5.f.262

Digitized by Google

Digitized by Google

MULTITUDO MAXIMA

EORUM QUI PRIORIBUS ECCLESIÆ SECULIS
CHRISTIANAM RELIGIONEM
PROFESSI SUNT,

OSTENSA, ET VINDICATA.

Digitized by Google

CASTI INNOCENTIS ANSALDI

ORDINIS PRÆDICATORUM

IN REGIO TAURINENSI ATHENÆO

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS

MULTITUDO MAXIMA

EORUM QUI PRIORIBUS ECCLESIÆ SECULIS
CHRISTIANAM RELIGIONEM
PROFESSI SUNT,

ADVERSUS

DAVIDEM CLARKSONUM,

*ALIOSQUE QUI ILLOS EXIGUO FUISSE
NUMERO CONSTITUUNT, OSTENSA,
ET VINDICATA.*

AUGUSTÆ TAURINORUM

IN REGIO TYPOGRAPHIO.

MDCCLXV.

CLARISSIMO SAPIENTISSIMOQUE VIRO

ANGELO CAROLO ISNARDIO

DE CASTELLO HAVARD,

MARCHIONI CARDALII, ET STREVII, COMITI SINFREDII, MOTTÆ ISNARDI, DE COMITIBUS VILLANOVÆ SOLARIORUM, BANNÆ DOMINI IN PEDEMONTIO, MARCHIONI SENANTES IN GALLIA, COMITI LIGNEVILLE, WITTEL, AC MALMAISSEN IN LOTHARINGIA &c.

CASTUS INNOCENS ANSALDI

ORDINIS PRÆDICATORUM.

EÆDEM illæ cauſſæ, quæ me ad hoc Opuſculum ſcribendum impulere, illud ſplendidiſſi-

Digitized by Google

*mo tuo nomine ornandum eſſe monuerunt, V*IR *P*RÆCLARISSIME. *Quum enim intelligerem nonnullos hypotheſibus ſuis conſulturos adfirmare, paucos fuiſſe antiquiſſimis temporibus Chriſtianos; quare fieret, ut imprudentes, nolenteſque, prope in calumniam Oſorum Chriſtiani nominis impingerent, qui veterem Eccleſiam ex paucis e fæce populi minutaque plebe conſtaſſe ſpargentes in vulgus, unum e præcipuis labefactare conantur credibilitatis fidei motivis, apertumque veritatis ac divinitatis eius argumentum, quod in præconcepta, ac veluti ſatis nota, celeri, multiplicique eiuſdem propagatione conſtituerunt Eccleſiæ Patres, cunctique Chriſtianæ Religionis Apologetæ: propterea operam dedi ut oſtenderem, eorum, qui prioribus ſeculis, & ante Conſtantinum, Chriſtianam pietatem*

profeſſi ſunt, maximam revera fuiſſe multitudinem & copiam; tantamque divini fuiſſe verbi vim & efficaciam, & adeo felicem divini Nominis prædicationem, ut Romano præſertim in Imperio innumeri reipſa fuerint, qui mediis etiam in perſequutionibus ad frequentiſſimos Eccleſiæ cœtus acceſſere: quod equidem, feliciter ſi ceſſerit, Religionis hoſtes intellecturos facile confido, e cœlo lapſam eſſe doctrinam illam, quæ ſe ſe non abſque mirabili prodigio tam longe lateque ac rapide diffudit. Verum, quum iidem exiguo veterum fidelium numero novam calumniam adjicere ſoleant in præſens, qua maximam nunc quidem eſſe fatentur Credentium quantitatem; non tamen eiuſmodi, quæ aliquod fidei noſtræ præſidium adferat; propterea quod demptis iis, qui probitatis ſimulatione, & fucata vir-

tutis ſpecie, ob dominandi libidinem, & aliquod ob emolumentum, Religionem colunt; ceteri, qui citra fraudem eam profitentur, in partes tribuantur duas; alteram ad imperitum vulgus, & ad infimæ fortunæ homines ſpectantem; alteram eorum, qui etiamſi honeſto aut nobili loco nati ſint, niſi tamen ignorantiæ cauſſa doctrinis noſtris non adhærent, ac in illis acquieſcunt: heinc ut obtrectatores iſtos non verbis, ſed facto refutarem, ſeligendum, ac eorum meditationi proponendum Virum duxi, qui inter Nobiles eximius, ac præſtantiſſimus inter vere Doctos eſſet, cuique Religio non ad ambitum & compendium via eſſet, ſed ipſe potius maximo foret Religioni emolumento. Tu vero Vir ille es, qui tam opportunam conſilio adfers meo, cauſſæque Orthodoxæ Religionis opem,

Marchio Præstantissime. Nam etiamſi nullibi deſint ſtudioſiſſimi Chriſtiani nominis cultores, quorum aliqui opibus & fortuna, aliqui imaginibus Majorum; nonnulli dignitatibus, nonnulli virtute ac pietate ſingulari; alii nulla mercedis ſpe, nulloque ducti æſtu dominandi; alii humanarum etiam divinarumque ſcientia rerum præſtant; non tam facile tamen alium invenerim quam Te, in quo ea omnia collecta reperiantur. Et vero, ut ii, qui Religionem minus faciunt, liberalibus ſe imbutos artibus gloriari ſolent, inter quas illuſtrem Hiſtoria habet locum, quotuſquiſque eorum eſſe poteſt, qui ſplendidiſſimum Gentis tuæ nomen & decus, antiquitatem & opes, egregia facinora & gloriam ignoret; quum inclitis Maiorum tuorum geſtis lapides, nummi, & Aſtæ non

modo Pompeiæ, unde fauſtiſſima tui Generis origo, ſed Subalpinæ etiam Galliæ, exterarumque monumenta Nationum adeo referta ſint, ut nullus ſit remotus earum angulus, ad quem Tuorum fama non pervenerit: nec ingenuum aliquem latere poſſint tot Conſanguinei tui, vel ſtrenui bello Duces, vel torquati Equites, aut ſupremis Aulæ honoribus ornati, aut ſacris inſigniti infulis, qui REGUM NOSTRORUM imperium, & Catholicæ commoda Eccleſiæ, virtute, prudentia, conſilio, ſplendore, conſtantia, & fortitudine tueri poſſe, ſibi gloriæ duxere? Neque vero ii ſoli, qui ex glorioſiſſima Stirpe Tua nomen Eccleſiæ dederunt, eam beneficiis, officiis, ac meritis cumulavere; ſed ceteri quoque, bellicis quamvis, aut aulicis artibus addicti, eius adhuc opes, privilegia, ædificia, ſa-

cerdotia auxerunt, ornaverunt, amplificaveruntque, ac in maius extulerunt; quarum fidem rerum egregii ac probatiſſimi Scriptores faciunt, ipſaque adeo templa, delubra, dona, ædes monaſticæ, & ſacræ, aræ ipſæ, ac tabulæ pictæ cultui divino conſecratæ, quibus ſi effuſiſſimam eorum addimus in egenos ac pauperes beneficentiam ac liberalitatem, dubitandum non erit, illos, non commodis & cupiditatibus ut ſervirent ſuis; nec ob pinguia ſacerdotia, aut honores, aut opes Eccleſiaſticas, quibus non egebant, Orthodoxæ fidei addictiſſimos fuiſſe; ſed immo pietatem coluiſſe ac Religionem, ut opibus, divitiis, & auctoritate ſua, Eccleſiæ commodo conſulerent, atque utilitati. Præclariſſimos hos tamen Maiores tuos ſi heic, VIR ILLUSTRISSIME, *oſtentarem, dubito an hodiernos in-*

Digitized by Google

credulos a contemptu Religionis dimoverem. Quid enim illi aliud, niſi ſimplicitatem Antiquorum accuſare, qui ad ea, quæ pueri animo imbiberant, ſine cognitione cauſſæ adhæreſcebant, quique nil de hodierna noverant Philoſophia; nil de cogitatis audiverant eorum, qui ætate noſtra jugo ac ſervitute veterum opinionum mortales exemerunt? Patere igitur, ut Te adverſariis eiuſmodi objiciam, VIR SAPIENTISSIME: *patere ut eum illis oſtendam, qui Maiorum ſuorum prudentiæ, juſtitiæ, fortitudinique animi, magis vero religioni, pietati, liberalitatique, beneficentiæ ac ſplendori doctrinam ſingularem addidit, ac mirabilem humanarum divinarumque rerum ſcientiam, præclarum in diſciplinas omnes ardorem, ac præſertim in eas, quæ hominem ſociali in ordine conſtituunt, tuenturque, & quæ*

nos ſive ad cœtus, ad concilia, ad civitates regendas, ſive ad humanum corpus conſervandum, ſive ad magis arcana Theologiæ capita intimius penetranda aptos reddunt; & in quibus adeo excellis, MARCHIO ERUDITISSIME, ut Te doctiſſimi quique, qui tecum agunt, admirentur, inter quos non pauci ad Regium pertinentes Athenæum, qui, abſque tuæ jactura dignitatis, tam libere, tam aperte, tam aſſidue, tanta cum jucunditate, tantoque cum fructu, ſublimioribus de argumentis quotidianos ſermones tecum conferunt, quos conſcios ac participes meditationum tuarum facis, quos nunquam niſi inſtructiores tuo e colloquio dimittis, quorum academicas exercitationes præſentia cohoneſtas tua, quibus munificentiſſimo animo ſelectiſſimos rariſſimoſque Bibliothecæ tuæ Libros commo-

das; illius, inquam, Bibliothecæ, quam ſummo ingenio, ſummo ſtudio, ſummo delectu, ac immenſis ſumptibus auxiſti ac locupletaſti, & ob quam unam, niſi tot admiranda ſe ſe offerrent ad REGIAM DOMUM pertinentia, Auguſta Taurinorum digna foret, quæ ab exteris Doctis viſeretur. Et porro peregrinæ eruditionis homines quotidie ad eam viſendam accedunt; ſed qualis quantaque eſt eorum admiratio, dum quod ceteris a Dynaſtis ad ornatum aliquando fieri conſuevit, ad faſtum modo, ad ambitionem, ad ſplendorem, ad famam, ad gloriam, ita a Te ad excelſæ mentis tuæ pabulum, & ad medicinam animi fuiſſe auctum & perfectum intelligunt, ut præſtantiora, quæ innumerabilibus in voluminibus continentur, Tu non modo memoria incredibili indicare, ſed acerrimo illuſtrare ingenio etiam valeas! quum nihil

eorum Te fugiat, quæ ad ſublimiores altiſſimaſque facultates, nihil eorum, quæ ad amœniores ſpectant diſciplinas, quas jam Tibi admodum adoleſcenti, quo primum tempore ſurgebas ad famam & gloriam, familiares effeciſti; neque Te fugiat quid in tot hodiernis civilis Philoſophiæ Scriptoribus ſequi ſeligique poſſit, & quid eorum de libertate ac licentia rejicere oporteat; quare iſti, eorumque ſectatores, Te ſi reſpiciant, tuarumque complexionem virtutum ſerio meditentur, fateri, ſi demum ſapiant, cogantur, non homines modo priſci & ſimplicioris moris, ruſticanæque veritatis, in Religionis caſtris, amore, ac ſtudio verſari, ſed acutiſſima etiam ingenia, ac Viros tum antiquiſſima nobilitate, tum pietate eximia, tum ſcientiarum omnium comprehenſione abſolutiſſima ornatos, qui totam vim bene vivendi in animi robore & magni-

tudine, & in omnium humanarum perturbationum contemptione ac deſpicientia, & in omni virtute poſuerunt. Unum eſſet reliquum, quod fortaſſe a nonnullis, qui Te coram non noverunt, quæri de Te poſſet, Marchio Præclarissime, qui ſcilicet tanta in ſapientia tenere modum valeas, quum in doctiſſimo quoque elatio animi frequens eſſe intelligatur? Verum qui de moderatione tua in tanta fortunæ mentiſque ſublimitate dubitaret, is perpendere deberet, Tibi non modo ſummorum Virorum ſcripta tamquam optimo Mæcenatum nuncupari; verum etiam ad Te confugere omnes, qui quacumque ratione in ſtadio Literarum currunt, ac minorum etiam gentium Scriptores, quos æque ſua Tibi pateris offerre, quibuſque favore ades, ope, gratia, ac humanitate ſingulari; Teque Opellam hanc meam ſpectatiſſimo tuo

nomini inſcribi non eſſe dedignatum: quod uti perenne ſtudii ac obſequii in Te mei, ita æternum erit modeſti, benigni, moderatique animi tui monumentum.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

Plurimorum opinio de paucitate primorum Chriſtianorum. Singularia Davidis Clarkſoni argumenta, pag. 1.

CAPUT SECUNDUM.

Maximum fuiſſe primorum Chriſtianorum numerum, ex Patribus, & antiquiſſimis Scriptoribus Eccleſiaſticis oſtenditur, pag. 12.

CAPUT TERTIUM.

Ingens primorum Fidelium numerus teſtimoniis oſtenditur & factis Ethnicorum, pag. 29.

CAPUT QUARTUM.

Non ideo Ethnicis maximum fuiſſe viſum veterum Fidelium cenſum, quod ſoliti fuerint Gentiles confundere noſtros cum Judæis, pag. 44.

CAPUT QUINTUM.

Primorum Chriſtianorum copiam Ethnicis haud viſam fuiſſe maximam ob numerum Hæreticorum, pag. 20.

CAPUT SEXTUM.

De Chriſtianis veteribus reſpectu Gentilium occultis, pag. 89.

CAPUT SEPTIMUM.

Ex artibus & moribus primorum Fidelium maxima eorum copia confirmatur, pag. 106.

CAPUT OCTAVUM.

Ex locis, in quæ primorum Chriſtiani temporum ad celebranda ſacra conveniebant, magis magiſque patet eorum multitudo, pag. 133.

CAPUT NONUM.

Ex ingenti Miniſtrorum ſacrorum copia maximum veterum Chriſtianorum numerum jure ac merito inferri, pag. 159.

CAPUT DECIMUM.

De innumeris primorum temporum Chriſtianis extra urbes, & per agros ſparſis, pag. 183.

CAPUT UNDECIMUM.

Ex Lucianæo Philopatridos dialogo primorum multitudo Chriſtianorum, aliaque ad eam pertinentia confirmantur, pag. 202.

CAPUT DUODECIMUM.

De pauperum claſſe cum reliquo veterum fidelium numero collata, pag. 330.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Non omnes præcipuarum etiam urbium fideles, adhuc poſt Conſtantinum, uno contineri ſolitos fuiſſe in Templo, ac in eo congregari, pag. 246.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De exterioribus cauſſis, occaſionibus, ac mediis, quibus veterum Chriſtianorum numerus adeo auctus & amplificatus eſt, pag. 278.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Nonnulla ſolvuntur adverſus multitudinem veterum fidelium objecta, pag. 309.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Reliqua refutantur, quæ contra ingentem primorum Chriſtianorum copiam opponi videntur poſſe teſtimonia & facta, pag. 330.

CAPUT PRIMUM.

Plurimorum opinio de paucitate primorum Chriſtianorum. Singularia Davidis Clarkſoni argumenta.

PRæcipua inter momenta, quibus ad veritatem, divinamque Chriſtianæ Religionis præſtantiam evincendam uſi ſunt veteres recentioreſque eius vindices, rapida ſane ac ingentiſſima illius propagatio recenſetur. Celerrima quippe, ac tam ſubito facta humanis ſine viribus, abſque coactione, aut armis, abſque callido conſilio, ubique ac in terris prope omnibus, cœtuum Chriſtianorum inſtitutio, illudque tam amplum & apertum in adventu Chriſti veterum Oraculorum de vocatione Gentium complementum, clare oſtendit manifeſtavitque potentiſſimum virtutis & fortitudinis ſuæ ſceptrum, quod ex Sion emiſit Dominus, quodque æternas orbis portas ac æratas fores divinitus perfregit; quare citiſſimus ille rapidiſſimuſque Evangelii curſus habitus ſemper fuerit divinæ illius originis ac præſtantiæ argumentum; Deuſque, Deus ipſe ſolus tantam &

tam ſubitam rerum mutationem exequutus fuiſſe intelligatur: profecto contra atque Moslemicæ contigit hæreſeos propagatio per Saracenos, vel a pueritia ad arma ferenda educatos, irrumpenteſque in Perſidem, Syriam, Palæſtinam, Ægyptum, ſeptentrionalem Africæ oram, aliaſque regiones prioribus a Kalifis celeri quidem occupatas curſu, ſed infinitis jam fractas & exhauſtas malis, adeo ut cedere debuerint facillima victori præda.

Hanc veritatis tamen, divinæque Chriſtiani dogmatis præſtantiæ notam plurimi mox fuere Criticos inter viros, qui non oppugnandæ quidem religionis cauſſa, ſed quo nonnulla vel ad hiſtoriam, & diſciplinam Eccleſiaſticam, vel ad doctrinam pertinentia, pro ſuis præconceptis tuerentur, aut labefactarent, prope fuerunt, ut everterent, in lapidem impingentes, quem vitare omnino oportebat; ſtatim enim cuicumque nexui ſolvendo ad paucitatem confugitur primorum Chriſtianorum. Sic, ut exemplo utar, Iſaacus Beauſobrius, acta diſputationis Archelai Epiſcopi Meſopotamiæ, & Manetis hæreſiarchæ apocrypha & falſa oſtenſurus libro hiſtoriæ criticæ Manichæiſmi I. capite 8. narratum in ipſa animadvertit ante cetera, decem aut duodecim mille Chriſtianos in Charrorum urbe fuiſſe: quem ille quidem fidelium numerum, poſt medium tertium ſeculum, nec Edeſſena in civitate, urbe illarum partium principe, reperiri potuiſſe cenſet, ob præconceptam eo temporis Chriſtianorum paucitatem, ob quam de allegata

ſidelium copia prope hærere viſus quoque Tillemontius, adnotatione in Manichæiſmum quarta. Paucitatem Chriſtianorum a Neronis ætate ſaltem, ad imperium Trajani propugnavit Campegius Witringa, obſervationum ſacrarum lib. IV. capite 7., & narrationem legionis fulminatricis everſuri, ad pauciſſimum primorum fidelium numerum confugiendum duxere Gilbertus Burnetius in epiſt. itiner. parte II. & Walterus Moylius in epiſtolis adverſus Petrum Kingium. Ludovicus Thomaſſinus parte I. de nova, & antiqua Eccleſiæ diſciplina capite 22. contendens nullas fuiſſe ruri tribus prioribus ſeculis Eccleſias, ceteræ inter momenta hoc etiam adfert, *pauciores tunc adhuc infideles in Chriſtianæ fidei caſtra confugiſſe*; quem ſequutus Ambroſius Gardeboſcus in ſynopſi hiſtoriæ Eccleſiaſticæ primi ſeculi parte VIII. libro I. diſſertatione II. quæſtione II. *Non ſatis*, inquit, *multiplicatus erat fidelium numerus, ut ex ipſis poſſent aſſumi non ſolum Epiſcopi, qui toti alicui præeſſent Diœceſi, ſed etiam Sacerdotes, qui præeſſent privatis quibuſdam, & particularibus Eccleſiis.* Neganda ne vero in præſens alicuius Eccleſiæ antiquiſſima origo? ad paucitatem confugitur Chriſtianorum primi temporis, uti præſtitit Hieronymus Tartarottus in diſſertatione de origine Eccleſiæ Tridentinæ. Dicendum ne de aliqua conſuetudine Eccleſiæ? eadem primorum paucitas fidelium in ſcenam trahitur; quemadmodum nuperus ſatis notus auctor compendii Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Gallico idiomate conſcripti, ubi de reformatio-

 ne

ne agens, & querimonias dirimens illorum, qui reſtauratas ubique vellent a populo aliquando factas ſacrorum Miniſtrorum electiones, ſubdit, jure ac rite id olim factum, *dum pauci adhuc erant numero fideles*, minime nunc futurum congruum in tanta multitudine. Aliquis auctor ne illuſtrandus? de paucitate dicitur primorum Chriſtianorum, uti præſtitit Petrus Cunæus, præfatione in Cæſares Juliani ſcribens: *Ex tanta mortalium, qui ubique per orbem tunc erant multitudine, perpauci quidam ſalutarem illam lucem, quæ a Chriſti vultu nobis adſulget, ſequebantur.* Innumeri demum ſunt, qui hoc reſponſi genere implexas ſolvunt diſciplinæ aut hiſtoriæ Eccleſiaſticæ quæſtiones, quamvis, ut verum fatear, illud curſim & obiter uſurpent. Ex oppoſito David Clarkſonus quum æqualitatem tueri vellet Presbyterorum cum Epiſcopis, conſuetis & centies difflatis ſuorum argumentis novum ſe adjicere gloriatus eſt ex primorum fidelium paucitate derivatum, quod ipſius in elucubratione utramque implet paginam, ceu de præſtantia Epiſcoporum ſupra Presbyteros actum foret, ſtatim atque pauci adeo ad quintum prope ſeculum fuerint Chriſtiani, ut nulla Eccleſiaſtica opus fuerit Hierarchia.

Equidem Hieronymum Tartarottum non modo Carolus Joſephus a Sancto Floriano in diſſertatione hiſtorica & critica de origine Eccleſiæ Aquilejenſis, quantum ſatis erat, refutavit; verum etiam Witringæ, Burnetii, & Moylii momenta egregie evertit Cl. Mamachius tomo I.

originum & antiquitatum Chriſtianarum, qui in univerſa etiam parte II. libri II. ſui operis late explicans, quibuſnam modis in regionibus omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, propagata fuit religio, ingentiſſimam veterum Chriſtianorum copiam clare adeo oſtendiſſe viſus eſt, ut ſupervacaneus credi labor omnis noſter poſſet, niſi Clarkſonus paucitatem illam ceteris à Scriptoribus præconceptam magis, quam probatam, non ad tria priora modo ſecula, ſed ad ſeriora etiam extendiſſet poſt Conſtantinum, & Julianum tempora, noviſque ac ſibi propriis tueri eam ſategiſſet argumentis, quibus ſingillatim oppugnandis refutandiſque dum operam collocamus noſtram; (ceteros quippe obiter ac per tranſenniam notare ſatis duximus). rem haud prorſus inutilem, immo fortaſſe tempori, quo tam immaniter & aperte fundamenta & dotes noſtræ oppugnantur religionis, congruam confidimus perfecturos.

Exigui jam vero primorum fidelium numeri has excogitavit Clarkſonus cauſſas. Multas fuiſſe animadvertit primum regiones pluribus vicis, ac villis, quam urbibus frequentes; proindeque tot illos, qui recenſentur, primorum temporum Epiſcopos, revera non fuiſſe niſi Chorepiſcopos, in oppidis videlicet, inque villulis & pagis conſtitutos, in quibus propterea pauci omnino incolæ, pauciſſimi vero vix eſſe poterant Chriſtiani: immo urbium Epiſcopos fuiſſe aliquos non ſemel appellatos, qui revera niſi paucorum Preſbyteri fidelium non erant; quum eundem lo-

 cum,

cum, quem πόλιν urbem aliquando appellabant, vel iidem, vel ſynchroni ſcriptores modo χώμην, modo χωρίον oppidum, oppidulum, vicum, aut agrum nominaverint. Porro ampliores Romani Imperii urbes primorum ætate Chriſtianorum incolis prope caruiſſe, ait idem Auctor, ob tot bella, & infortunia Rempublicam prementia, ac infeliciſſimum tunc temporis habitum civilium rerum, ac ſtatum; indeque colligit, vix aliquos præcipuis etiam in urbibus eſſe Chriſtianos potuiſſe; neque id primo tantum, aut altero Eccleſiæ ſeculo, ſed tertio, quartoque, ad ætatem uſque Theodoſii: quod confirmatum ait ex notiſſimo Gregorii Thaumaturgi dicto, qui quum migraturus eſſet e vita quærens, quot in civitate Neocæſarienſi, cuius Epiſcopatum geſſerat, reliqui eſſent fideles, reſponſumque ipſi foret, tantum eſſe ſeptemdecim, Deo grates agens, *totidem*, inquit, *erant fideles, quum cœpi Epiſcopatum*. Gregorium quoque Nazianzenum, & Paullinum Nolanum, *exigui ſe Paſtores gregis* appellaſſe animadvertens Clarkſonus, ſi exigui erant, ſubdit, tantorum, ſanctorumque adeo greges Epiſcoporum, & adoleſcente, regnanteque Chriſtiana Religione, quot arbitrabimur fuiſſe in eius infantia fideles, ac tempore perſequutionum, ſub Epiſcopis neque tanta virtute, ac ſapientia, nec tam illuſtri ſanctitate præditis? Ad hæc, plures in Palæſtina Epiſcopales fuiſſe animadvertit ſedes, quarum urbes tamen ad uſque Juliani Cæſaris ætatem infidelibus exundavere, & in quibus, præſertim Hieroſolymis, perſtitere

Ido-

Idolorum templa, aut Deorum ſaltem ſimulacra, in Judæorum odium ab Hadriano Cæſare erecta. Quorſum hæc vero cum aliqua Chriſtianorum illis in regionibus copia componi valeant? Quod ſi infinito Ethnicorum numero maximum addimus numerum Judæorum longe lateque urbes Romani Imperii incolentium, innumeroſque, quibuſcum noſtri æque confundebantur ab Ethnicis, hæterodoxos, & ſchiſmaticos, ab Epiſcoporum communione alieniſſimos, conſequens eſſe contendit Anglus ſcriptor, pauciſſimos fuiſſe fideles, qui orthodoxo cum Presbytero communicabant.

Paucitatem eiuſmodi confirmare magis ſtuduit ex pauperum Chriſtianorum numero cum Chriſtianis reliquis collato. Ponit quippe, Chriſtianos primi temporis tres veluti in partes diviſos fuiſſe, quarum una pauperibus conſtitueretur; quum autem ſcripſerit Cornelius Romanus Pontifex, apud Euſebium, fideles pauperes Romæ ſuo tempore numeratos fuiſſe mille & quingentos, ſequi docet, univerſos, qui Romæ colligebantur Chriſtianos, non fuiſſe, niſi quatuor mille & quingentos, qui numerus quum cum non excedat, qui nunc minoribus in oppidis parœciam conſtituit, fit, Clarkſono Judice, ut abſque ulla Eccleſiaſticæ neceſſitate Hierarchiæ unus Presbyter, alicubi Epiſcopus vocatus, illis omnibus regendis ſatis fuiſſe intelligatur; præſertim quum unum in locum, qui Eccleſia appellabatur, convenire tunc ſoliti eſſent fideles unius Eccleſiæ omnes, dum ſtato die ſacrum celebrarent, aut

Epiſcopus, ſive Presbyter, ab univerſa plebe eligeretur, aut aliquid totius conventus conſenſu ſtatuendum foret, aut promulgandum aliquid ad univerſos pertinens illius Eccleſiæ ſodales, quemadmodum Romæ contigit, dum Cornelius Pontifex Clero & univerſæ legit plebi epiſtolas Cypriani. Profecto ſi una in æde ſacra omnes tunc continebantur ampliſſimarum etiam urbium fideles, magno iidem eſſe numero non poterant.

Suas revera debuit agere vindicias Athanaſius, proptereaquod cunctos Alexandrinæ urbis credentes maiore congregaverit in templo nondum Imperatoris venia conſecrato. Evenit id anno CCCLV. quî potuiſſent vero multi illius ætatis, ſi Alexandriæ extitiſſent, fideles una in æde contineri? Tertia Romani urbs imperii erat Antiochia, in qua dum Paullus Samoſatenus Epiſcopali e ſede eiectus eſt, templum, in quod convenire conſueverant fideles, dimittere nolebat; quin & ſub Gratiano, Valente iuniore, ac Theodoſio unam Antiochiæ fuiſſe modo Chriſtianorum ſacram ædem ex eo colligit Clarkſonus, quod Paullino Epiſcopo eam poſſidente, haud potuerit populus niſi in templo extra urbem conſtituto Meletium Epiſcopali in ſede collocare. Sic quotquot erant Antiochiæ Orthodoxos, uno congregatos in loco, Euſthatium elegiſſe animadvertit: quo Arianorum artibus eiecto, compoſitis demum rebus, tum Catholicos, tum Hæterodoxos unum conveniſſe in locum; idemque Hieroſolymis eveniſſe, dum in templo pervigilium Paſchatis celebraretur, ſedente Epi-

ſcopo

ſcopo Narciſſo; & adhuc frequentius Carthagine, ubi Cyprianus coram Presbyteris, Clericis, Laicis, & plebe, de negotiis ad ordinationes, ad lapſos, & ad diſciplinam reliquam ſpectantibus agebat.

Diœceſes olim vel tantillum exſtenſas negat Anglus ſcriptor ob præſentiſſimam Epiſcopi in omnibus publicis & communibus Religionis actibus neceſſitatem. Heinc unum modo quacumque in Eccleſia ac Diœceſi altare contendit eſſe potuiſſe; propterea quod quum quis ſchiſma excitaſſet, altare contra altare, ideſt, novum in cœtu, in æde ſacra altare erexiſſe diceretur. Ex his autem omnibus iterum infert, unum ſatis fuiſſe prioribus Eccleſiæ ſeculis qualibet in urbe Presbyterum, ſive alio nomine Epiſcopum: aucta autem quinto ſeculo Chriſtianorum copia, auctum fuiſſe concedit ſacrorum Miniſtrorum numerum, ſed ea lege, ut quemadmodum unus antea fuerat qualibet in Parœcia Presbyter, paucorum Epiſcopus Chriſtianorum, ita ſubinde unus remanſerit in urbe Epiſcopus vocatus, ceteris recens Presbyteris, tanquam inferioribus adſcitis; vel quia ſucceſſores illius unius, qui in Parœcia antea fuerat, ſub Epiſcopi nomine, Paſtoris, communicatis conſiliis ſe ſe ſupra nuper inductos Presbyteros extulerint, & coactis Synodis præeminentiam ſupra illos ſuam conſtituerint; vel quia ad horum exemplar plures eiuſdem aucti Chriſtianorum cœtus Presbyteri ſuorum aliquem ſibi Eccleſiaſtico præeſſe jure decreverint: qua quidem in re præconceptæ, ut patet, Chriſtiano-

rum

rum primi temporis paucitati totum innititur Clarkſoni Presbyteros Epiſcopis æquantis fundamentum.

Opinionem ponentem Epiſcopos ac Presbyteros fuiſſe inſtitutione ſua pares ac æquales, tot invenio in præſtantiſſimis operibus reiectam, ut rurſus de ea heic agere neque neceſſe, neque opportunum ducam. Epiſcopos, Presbyteros, & Miniſtros ordine hierarchico memorant omnes omnino Patres, quibus pro tuenda primorum fidelium paucitate abutitur Clarkſonus: quî igitur ex iſta everſum iri contendit diſcrimen inter illos intercedens? tametſi exiguum olim noſtrorum numerum ipſi concedere placeret, haud intelligo, conſequi cur poſſet, Epiſcopos, ac Presbyteros, eiuſdem ordinis primo tempore fuiſſe. Nonne in Orientalibus infidelium partibus exiguus hodie eſt Chriſtianorum cenſus, qui ſuos tamen habent Epiſcopos a Presbyteris diſtinctos? Qui obſecro nexus inter paucitatem, aut copiam Miniſtrorum, eorumque ordinem hierarchicum, aut æqualitatem? Ex paucitate primorum, ſi qua fuiſſet, fidelium inferre quidem Clarkſonus jure potuiſſet paucitatem Presbyterorum, ac Epiſcoporum, non eorum tamen inter ſe æqualitatem, quæ ex numero non pendet. Renatus Maſſuetus, diſſertatione II. prævia in libros Sancti Irenæi, ſcribit, Marci Aurelii temporibus Chriſtianam Religionem nondum altas firmaſque radices in Galliis egiſſe; paucos propterea tunc fuiſſe in illis regionibus Chriſtianos. Quid ex hoc tamen colligit? illud ſane,

pau-

Digitized by Google

pauciſſimas æque Pothini, ac Irenæi ætate conſtitutas in Galliis fuiſſe Epiſcopales ſedes, ac Irenæum ſolum fuiſſe in illis regionibus Epiſcopali charactere inſignitum; quum tamen ex Irenæo ipſo, ex Gregorio Turonenſi, aliiſque ex vetuſtiſſimis conſtet monumentis, Lugdunenſium, ac Viennenſium Eccleſias Presbyteris tunc etiam non fuiſſe deſtitutas; proindeque horum reperiri ab Epiſcopis diſcrimen in paucitate quoque Chriſtianorum.

Quæſtione igitur eiuſmodi omiſſa, de primorum copia fidelium ſolliciti erimus in præſens; dolendum quippe foret, eam nobis eripi veritatis, dignitatiſque Religionis noſtræ notam. Quod tamen dum præſtabimus, minime Clarkſonum imitabimur, Apoſtolica tempora cum temporibus non dicam Tertulliani, aut Cypriani, ſed Conſtantini quoque, & filiorum eius confundentem; neque negabimus Religionem noſtram ſuum habuiſſe initium, & exordia ſua, ſuam veluti infantiam, progreſſum deinde, ac incrementum; glorioſiſſimum denique habitum, ac ſtatum; neque etiam imprudenter definiemus, quali ubique numero & copia fuerint prioribus ſeculis Chriſtiani: quod utique nec pervium eſſet, nec omnino neceſſarium; Clarkſoni ſiquidem, aliorumque, qui hac in re cum eo faciunt, evertendæ penitus hypotheſi ſatis futurum arbitror, ſi oſtenderimus, Credentes prioribus Eccleſiæ ſeculis, & ante Julianæa ac Theodoſiana tempora, in univerſum ingentiſſimo numero fuiſſe; taleſque habuiſſe cœtus, quibus neceſſarii fuerint ſuperio-

ris

ris ac inferioris ordinis Miniſtri: Chriſtianumque nomen haud ſemel ob inopinatos caſus, frequenteſque perſequutiones, prope dixerim, extinctum, ſemper tamen validius revixiſſe, ac refloreſcere copioſius viſum, donec diuturna pace cuncta refovente ad eam pervenerit amplitudinem & gloriam, quam fruſtra eius hoſtes inviderunt.

CAPUT II.

Maximum fuiſſe primorum Chriſtianorum numerum, ex Patribus, & antiquiſſimis Scriptoribus Eccleſiaſticis oſtenditur.

HAud exſcribemus heic, quæ nota nimis proſtant in Actibus Apoſtolorum de ingentiſſima eorum copia, qui ſacro Baptiſmatis lavacro donati ſunt, dum Apoſtoli adhuc Hieroſolymis agebant, dumque verbum Dei annunciavere, ſignaque edidere ſtupendiſſima per univerſam Judæam, Galilæam, & Samariam; tum etiam Antiochiæ, Iconii, Theſſalonicæ, Berœæ, Epheſi, Corintho, aliiſque innumeris in locis, in quibus creſcebat quotidie verbum Dei, multiplicabatur Credentium numerus, & Chriſto nomen ubique dabant viri & mulieres, non ex Judæis modo, verum etiam ex Gentilibus, adeo ut univerſus Actuum Apoſtolicorum liber nil magis

quam

quam ingentiſſimam fidelium turbam exhibere videatur. Mirum autem omnino eſt, ut dum Lucas, ſynchronus & divinus teſtis, totus fuerit in committendo poſteritati ſtupendo illo Evangelicæ lucis incremento, feris adeo temporibus haud deſint, qui ſe perſuadere poſſe aliis confidant, exiguum fuiſſe primorum cenſum Chriſtianorum.

Nec heic vero controverſia a nobis in medium revocanda eſt de ſenſu verborum Lucæ, Actorum II. 5. *Erant autem in Jeruſalem habitantes Judæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt*, ceu auditores Apoſtolorum ad omnes revera terræ regiones ſpectaſſent. Fatemur ſiquidem ſignum illud univerſale in generali diviſione populorum denotaſſe nationes præcipuas, ad quas reliquæ referri poſſunt; quia autem Judæi ex Aſia, Africa, & Europa, quod innuitur v. 9. audivere Apoſtolos; idcirco recte Lucas dixit, Proſelytos ex omnibus gentibus, Hieroſolymis vixiſſe; aut ſignificare voluit eas omnes nationes, quibuſcum commercia inſtituere poterant Judæi. Patres omnes fateor, vetereſque Scriptores Eccleſiaſtici, quorum teſtimonia fuſo refert agmine Fabricius in Lucæ ſalutari Evangelica, ab Herma ſcilicet, Juſtino Martyre, Irenæo, &c. adusque Theodoretum, inſinuare videntur voluiſſe, omnes revera gentes, omneſque nationes, vel ab ipſis Chriſtianæ prædicationis exordiis, Chriſto nomina dediſſe; quorum tamen dicta nimis præfracte ſumi non debere ſcribit recentiſſimus editor Juſtini in adnotationibus ad Dialogum illius cum Tryphone, proptereaquod Origenes tra-

ctatu

ctatu XXVIII. in Matthæum faſſus fuerit, multas adhuc fuiſſe tempore nationes, quæ nondum lucem Evangelii receperant. Poſtremum hoc nos libenter conceſſerimus, quod nil officiat immenſæ primorum fidelium quantitati, Romano in Imperio, ſi mavis, prioribus ſeculis reſtrictæ, quin tamen falſa fuerit ratio diſſerendi Patrum, qui ex illa quantitate veritatem Religionis noſtræ demonſtrabant.

Et vero, quemadmodum qui narrationem Moyſis confirmare ſatagunt, qua Noachi nepotes diſtracta in plures ipſorum lingua, alii in Orientem, in Occidentem profecti alii dicuntur, qui narrationem, inquam, eiuſmodi confirmare ſtudent viri ætatis noſtræ præclariſſimi, prophana ipſa ex Geographia, vetuſtiſſimiſque oſtendunt monumentis, quo ab agro illo, unde terrarum orbem inter ſe partiti ſunt poſt diluvium humani generis parentes, longius recedimus, eo etiam vel minus, vel ſerius elegantem vitæ rationem homines coluiſſe; proptereaquod qui procul ſedem, & domicilium collocarunt, & erraverunt diutius, ac tardius Reſpublicas conflata ſocietate conſtituerunt: ita eadem veluti ex Geographia ſatagebant Patres, vetereſque Eccleſiaſtici Scriptores, ut evincerent, non modo celerem, ac rapidiſſimam fuiſſe Chriſtiani nominis propagationem, verum etiam copioſiſſimum fidelium numerum, conſiderata ſcilicet locorum, in quibus conſtitutas Eccleſias reperiebant, longinquitate, ab Euphrate ſcilicet, ad Rhodanum uſque, immo & in Ægypto, Africa, aliiſque etiam extra Ro-

manum orbem in locis, tum earundem Eccleſiarum perpenſo ſtatu, & conditione, quæ jam Juſtini, Irenæi, Clementis Alexandrini, ac Tertulliani tempore, diſſitiſſimis in locis eadem gaudebant tamen ordinatiſſima vivendi ratione, jamque ſimillimos ubique colebant cœtus, iiſdem præditos legibus, viribus, moribus, Præſidibus &c. Quid ita obſecro? niſi quia, inquiebant, celeriter, rapidiſſimeque prope ubique percrebuerat Religio, plurimoſque paullo poſtquam Apoſtoli ad Evangelium annunciandum aggreſſi ſunt, nacta fuit ſectatores? Si paullatim enim, quemadmodum Noachi poſteri, remotiora ad loca perveniſſet, quæ in iſtis collectæ fuiſſent denique Eccleſiæ, non eandem tam cito habuiſſent, quam priores, faciem, fidem, atque morum diſciplinam. Ex citiſſima igitur Religionis Chriſtianæ propagatione, eam divinitus conſtitutam fuiſſe, egregie conficiebant Patres; eodemque ex rapidiſſimo progreſſu ingentem nos oſtendere poſſemus primorum numerum fidelium, pro nativo modo, quo propagantur illæ præſertim, quæ ad populum ſpectant, voceque ac traditione magis, quam ſcriptis proferuntur opiniones, ab una ſcilicet regione ad proximiorem, ac inde ad ſequentes; præſertim quum certum ſit, Apoſtolos in varias, ac prope omnes tunc cogniti orbis partes miſſos, Eccleſias ubique conſtituiſſe, neque adferri poſſet ratio, cur, omiſſis aliquibus integris Provinciis, ſe ſe in remotiores contuliſſent; ac Evangelium per ſaltus, ut ita dixerim, ſpargiſſent. Quare ſi in extremis Orientalibus, & Occidentali-

talibus Romani ſaltem Imperii locis, ſique ad ſeptentrionem etiam, & meridiem erant Eccleſiæ conſtitutæ, Patrumque teſtimonio illis in regionibus jam ineunte ſecundo ſeculo Chriſtiani, cur non etiam fuerint in locis ubique intermediis? Fas igitur & nobis foret ex ſpecioſiſſimis illis diſſerere veterum omnium teſtimoniis. Verum quia res facti agitur, & ad hiſtoriam pertinens, & quia, quamvis perperam, reſpondere Clarkſonus, & qui cum eo conſentiunt, poſſent, ubique fuiſſe quidem Chriſtianos, ubique vel a primis temporibus notum Chriſti nomen, ſed adhuc quocunque in loco exigua copia fideles; ideo ea heic modo apertiſſima veterum teſtimonia producemus, quæ ingentiſſimum eorumdem veluti locorum, eorumdemque cœtuum fidelium numerum evincunt.

Clemens Romanus de Apoſtolis Petro, ac Paullo inquiebat: *His viris, qui divinam vitam duxerant, aggregata eſt*, πόλυ πλῆθος ἐκλεκτῶν *MAGNA MULTITUDO electorum, qui multas contumelias, multaque tormenta propter æmulationem paſſi, pulcherrimo apud nos exemplo extitere.* Scriptam hanc epiſtolam fuiſſe poſt perſequutionem Domitiani cenſet Cl. Mamachius lib. II. originum & antiquitatum Chriſtianarum, proindeque, ut ille commodum animadvertit, ſi πόλυ πλῆθος MAGNA MULTITUDO Chriſtianorum Domitiani tempore multa pertulerat tormenta, magnus profecto eorum numerus illa ætate jam fuerit neceſſe eſt. Clemens Alexandrinus, poſtquam in cohortatione ad Gentes ſcri-

pſerat: Τάχει μὲν δὴ ἀνυπερβλήτῳ, κ. λ. τ. *Ceterum, potentia Dei, incredibili celeritate, & benevolentia, ad quam omnibus facilis patebat aditus, orbi terrarum illucens ſalutari ſemine UNIVERSUM complevit; nec enim tam exiguo temporis ſpatio TANTUM OPUS abſque divina providentia perfecit;* poſt hæc, inquam, ita ſcribebat libro Stromatum VI. *Et Græcam quidem philoſophiam ſi quis Magiſtratus prohibuerit, ea ſtatim perit: noſtram autem doctrinam a prima uſque prædicatione prohibent Reges, & Tyranni, nos pro viribus exſcindere conantes, ILLA AUTEM MAGIS ETIAM FLORET.* ἡ δὲ καὶ μᾶλλον ἀνθεῖ. Nemo tamen Tertulliano copioſius hoc in argumento verſatus eſt, ac diligentius, libro ſiquidem adverſus Judæos capite 7. ea Septimius exponens, quæ in ſecundo Apoſtolicorum Actuum capite leguntur, ſcripſit: *In univerſa, inquit, terra exiit ſonus eorum, in quem enim alium UNIVERSÆ GENTES crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Aſiam, & Pamphyliam, immorantes Ægyptum, & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem inhabitantes? Romani, & incolæ, nunc & in Hieruſalem Judæi, & ceteræ Gentes: ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Schytarum, & abditarum multarum gentium, & Provinciarum, & Inſularum nobis ignotarum, quæ enu-*

merare vix poſſumus, *in quibus locis* CHRISTI NOMEN, QUI JAM VENIT, REGNAT. Pamelius initio hujus teſtimonii, non *Elamitæ*, ſed *Elamiæ*, ſcriptum fuiſſe a Tertulliano cenſet, ideſt, Perſæ, ſic ab Elam, filio Sem, teſte Flavio Joſepho, libro antiquitatum Judaicarum I, capite 7. nuncupati, eo quod ſibi invicem vicini ſunt. Confirmari vero Septimii ſententiam addit a Beato Sophronio, Catalogo Virorum illuſtrium inter opera Hieronymi, qui beatum Thomam Apoſtolum prædicaſſe dicit Evangelium *Parthis*, *Medis*, *ac Perſis*, Caramanis quoque, Hircanis, Bactris, & Magis, Indis denique, apud quos in civitate Calamina martyrium paſſus ſit. Quamvis vero *Armeniæ* Provinciæ mentio non fiat in Actis Apoſtolorum, fidem tamen Chriſti jam tum apud eos viguiſſe, vel inde manifeſte arguit in allegatum Septimii locum Pamelius, quod non ita multo poſt, Armeni bellum Maximino Tyranno indixerint, antea Socii Romanorum, Chriſtianæ fidei & religionis ergo, a qua illos ad idololatriam conabatur adducere, cujus rei teſtis eſt Nicephorus libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ II, capite 28.

Fateor allegatum Tertulliani locum ex eorum eſſe numero, quæ tantummodo evincunt, vel ætate Apoſtolica, aut primo ſeculo, prope nullum fuiſſe terrarum angulum tam remotum, quò non Religio Chriſti penetraverit, minime vero recta confirmare via multitudinem fidelium. Aſt vim primum facimus in Septimii verbis: OMNIBUS IN LOCIS CHRISTI NOMEN REGNAT,

ſimil-

ſimillimis iis, quæ de prædicatione Chriſti paullo ante Clemens Alexandrinus protulerat: ILLA AUTEM MAGIS ETIAM FLORET, quæ vera non fuiſſent, ſi pauciſſimi extitiſſent tunc temporis Chriſtiani. Accedit, ceteros Patres, qui innumera & ipſi recenſent loca, ditiones, Provincias, gentes, inſulaſque, in quas ſe ſe vel primis ſeculis diffuderant fideles, ſimul addere, ac proteſtari, propterea factum fuiſſe, ut barbari moris, & manſuetudinem neſcientes etiam populi molliverint aſperitatem ſuam, & in placidos ſenſus aſſumpta tranquillitate migraverint, ut phraſi utar Arnobii libro contra Gentes II., quocum ceteri prorſus conſonant. Credis ne jam vero pauciſſimos ob incolas Chriſtianos per nationes ac provincias ſparſos, has mores inolitos, votereſque conſuetudines facile mutare voluiſſe? Conſpicuum profecto, frequens, perpetuum, præſentiſſimumque oportet Chriſtianorum fuerit exemplum, proindeque a plurimis fidelibus profectum, ut tantam in feros adeo animos inducere potuerit mutationem. Denique illis in exordiis fac etiam fuerint exigui ubique cœtus, puſilli ubique greges Chriſtianorum: fuerunt ubique tamen, aut ſaltem innumeris in locis, quod ingentiſſimæ conſtituendæ copiæ quis ſatis fuiſſe non intelligit? quippe ſi nec in præſens maximum negamus eſſe Judæorum numerum, quem ad TRES MYRIADAS aſcendere arbitratur in eorum hiſtoria Baſnagius, ob tot, exiguos quamvis, eorum cœtus multas apud nationes adhuc reliquos; tametſi agros, pagoſque, pluribus in ditio-

tionibus incolere vix poſſint, atque exulare a regnis plurimis cogantur; cur non ingentiſſimus primorum fuerit Credentium numerus, quum non urbes modo & oppida, ſed vicos etiam agroſque, ut videbimus, incolere frequentiſſimi ſolerent, ac in omnes prope terras penetraſſent?

Præſtat audire tamen rurſus Tertullianum ingentiſſimam fidelium copiam preſſius probantem capite Apologetici 17. his verbis: *Si hoſtes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantæcumque unius tamen loci, & ſuorum finium gentes, quam totius orbis. Heſterni ſumus, & VESTRA OMNIA IMPLEVIMUS, urbes, inſulas, caſtella, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum: ſola vobis reliquimus templa. Poſſumus dinumerare exercitus veſtros, unius provinciæ plures erunt. Cui bello non idonei, & non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere? potuimus & inermes, nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes, ſolius divortii invidia adverſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis locum remotiſſimum abrupiſſemus a vobis, ſuffudiſſet pudore utique dominationem veſtram tot qualiſcumque omiſſio civium; immo etiam & ipſa deſtitutione puniſſet: procul dubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quemdam. Quaſi mortui orbis quæſiſſetis, quibus imperaretis. Plures hoſtes, quam cives vobis remanſiſſent. Nunc enim*

pau-

pauciores hoſtes habetis præ MULTITUDINE CHRISTIANORUM PENE OMNIUM CIVITATUM, pene omnes Chriſtianos habendo. Sigebertus Havercampus in adnotationibus ad hunc locum arbitratur excidiſſe vocem *Chriſtiani* in illo Tertullianeæ orationis membro: *Poſſumus dinumerare exercitus veſtros: unius provinciæ plures erunt.* Perinde revera dixerit Septimius: ſcimus quot exercitus hodie Romani alant; verùm TANTA MULTITUDO CHRISTIANORUM EST, ut vel una provincia maiores inſtruere copias de iis poſſit. Hoc quidem membrum in ſolo Fuldenſi Codice reperiri teſtatur Havercampus, ſed Tertullianum plane ſapere, ac ipſi quæ ſequuntur, reſpondere ſubjicit; quare alios, & imprimis Rigaltium, illud præteriiſſe ægre fert.

Quum autem miſſo Romam apologetico ſuorum ſe cauſſam parum juviſſe intellexiſſet Tertullianus, propterea, graſſante adhuc Ethnicorum in Chriſtianos odio & crudelitate, ad Scapulam provinciæ Africæ Præſidem librum miſit, in eo præſertim oſtenſurus; civitatem nullam impune laturam tot Chriſtianorum cædes, qui nulla vi, id, cuius poſtulabantur, agnoſcebant. Itaque capite libri illius 2. ita ſcribebat: *Et utique ex diſciplina patientiæ divinæ agere nos ſatis manifeſtum eſſe vobis poteſt, cum TANTA HOMINUM MULTITUDO, PARS PENE MAIOR CIVITATIS CUIUSQUE, in ſilentio & modeſtia agimus, ſinguli fere noti magis, quam omnes*: & capite 5. rurſus: *Arrius Antonius in Aſia cum perſequeretur inſtanter, omnes illius civitatis Chriſtiani ante*

tribunalia eius ſe manu facta obtulerunt; cum ille paucis duci juſſis reliquis ait: ὦ δειλοὶ εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὶς ἢ βρόχοις ἔχετε. *Hoc ſi placuerit & hic fieri, quid facies de TANTIS MILLIBUS HOMINUM, tot viris ac feminis omnis ſexus, omnis ætatis, omnis dignitatis offerentibus ſe tibi? quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? quid ipſa Carthago paſſura eſt decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales ſuos illic unuſquiſque agnoverit, cum viderit illic fortaſſe & tui ordinis viros & matronas, & principales quaſque perſonas, & amicorum tuorum vel propinquos, vel amicos? Parce ergo tibi, ſi non nobis, parce Carthagini, ſi non tibi.* Cum tam ſincero & aperto teſtimonio quî obſecro exiguum componas tunc temporis numerum fidelium?

Jacobus tamen Baſnagius, qui prope omnia Clarkſoni argumenta, tacito licet ipſius nomine, in medium revocare viſus eſt libro hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ I. capite *6.* quorum nonnulla etiam adoptat, ut inde conſequatur, mediocrem ſaltem fuiſſe primorum copiam Chriſtianorum, mox citatum Septimii teſtimonium, ſuo tamen more, referens, duo committit errata; ita quippe ratiocinatur: ſi medio tertio ſeculo ob Chriſtiani nominis profeſſionem fuiſſent urbes decimandæ, igitur Chriſtiani tunc decima tantum erant pars hominum Romani Imperii, proindeque numero non multi. Aſt quis primum conceſſerit Baſnagio librum ad Scapulam fuiſſe medio tertio ſeculo conſcriptum? nullus procul dubiò. Pamelius in vita Tertulliani conſcriptum eum contendit an-

no

no Domini CLXXXXV. Samuel vero Baſnagius in Annalibus Politico-Eccleſiaſticis, anno CCXII. alii alio anno; ſed nemo neque ad ſeculum protrahit adultum, quum vix ad illud tempus vitam produxerit Septimius. Deterior vero eſt quam infert conſequutio. Quî enim decimam partem hominum in urbibus Romani Imperii conferas cum TANTIS MILLIBUS, & cum PARTE PENE MAIORI CIVITATIS CUIUSQUE, quam in eadem ſermonis ac orationis ſerie celebrat, ac urget Tertullianus? num PARS PENE MAIOR CIVITATIS idem erit cum decima hominum parte eam incolentium? Rurſus, quidnam eſt decimare? niſi decimum quemque ſontium afficere ſupplicio: dum enim decimabantur Romani Imperii legiones, num illi ſoli milites defecerant, qui puniebantur? minime ſane gentium, ſed legio univerſa; maiorque ſemper præconceptus eſt reorum numerus, quam eorum, qui denique plectuntur, dum aliqua multitudo decimari dicitur. Erat hæc immo expreſſiſſima Tertulliani mens, ubi adducto Arrii Antonii in Aſia exemplo, cui, quum perſequeretur inſtanter, omneſque illius civitatis ſe ſe obtuliſſent parati pro fide mori Chriſtiani, ille PAUCIS DUCI JUSSIS, ceteris dixit: *O ſtulti! ſi vobis mori cupido eſt, laqueos & præcipitia habetis.* Subdit vero Tertullianus: HOC SI PLACUERIT ET HIC FIERI, hoc eſt, ſi tu quoque, o Scapula, paucis duci juſſis, adhuc ceteros dimiſeris, erit Carthago tamen ob ingentem noſtrorum copiam decimanda. Non itaque decimam ſolum fuiſſe hominum Ro-

mani Imperii partem fas eſt colligere ex Tertulliano, præſertim quum heic de plectendis ultimo ſupplicio agat; nec in acerbioribus perſequutionibus in omnes ita animadverſum fuerit, ſed immo viderentur decimati. Verum fac noſtros ætate Tertulliani conſtituiſſe decimam tantum Romani Imperii hominum partem: exiguus ne dici propterea poterit fuiſſe tunc fidelium numerus? nil profecto minus; ſed immo, pro illorum conditione temporum, immenſus.

Poſt Tertullianum Origenes, qui ſuos adverſus Celſum libros ſub Gordiani ac Philipporum imperio elucubravit, libro illius operis I. habet: *Chriſtiana doctrina Græciam omnem, maioremque barbararum gentium partem ſubegit, & INNUMERAS ANIMAS ad Dei cultum, quem docebat, adſcivit.* Libro autem περὶ ἀρχῶν IV. Capite 5. ſcripſit: *In omni orbe terrarum, in omni Græcia, atque univerſis ceteris nationibus, INNUMERI ET IMMENSI ſunt, qui relictis patriis legibus, & his, quos putabant Deos, ſe diſciplinæ Chriſti tradiderunt.* Sed locus ipſius eſt Commentariis in Matthæum valde ſingularis, quo cœtus Chriſtianos quarumcumque civitatum cum cœtibus ethnicis earumdem conferebat, ac exempli loco tres memorabat Eccleſias Græcis notiſſimas, Athenienſem, Corinthiacam, & Alexandrinam, oſtenſurus populum Gentilium in civitatibus eiuſmodi nulla ratione fuiſſe Chriſtiano tunc cum populo juſtitia, pietateque conferendum, his verbis: Ἐκκλησία μὲν γὰρ τοῦ Θεοῦ, φέρ᾽ εἰπεῖν ἡ Ἀθήνησι, κ. τ. λ. *Nam Congregatio Dei, exempli gratia, quæ Athenis eſt,*

eſt, manſueta eſt, ac probe compoſita, quippe quæ Deo, qui eſt ſuper omnia, ſe probare cupiat; Athenienſium vero concio, ſive congregatio, ſeditioſa eſt, nec ullo modo cum Dei congregatione, quæ ibidem eſt, conferenda. Idem etiam dicas de congregatione Eccleſiæ, quæ eſt Corinthi, & congregatione populi Corinthiorum, verbi gratia, de Eccleſia Dei, quæ eſt Alexandriæ, cum concione populi Alexandrini. Progreditur inde Origenes ad Eccleſiaſticas dignitates, eaſque confert cum Senatu & Magiſtratibus Gentilium, βουλευτὰς noſtros βουλευταῖς ethnicis opponens, ad ſummum deinde aſcendens Magiſtratum, quam præſtantiores eſſent Principibus civitatum, Princeps Eccleſiæ, ſive Epiſcopi, oſtendit. Niſi vero ingens admodum fuerit fidelium copia, quæ Athenis, Corinthi, & Alexandriæ colligebatur, ſupervacanea ratiocinatio Origenis fuiſſet, ridendaque eius comparatio: quod de tam gravi viro vel ſuſpicari quis valeat? Quî enim mirum, ſeditioſæ ut eſſent univerſi Corinthiorum, Athenarum, & Alexandrini populi concio & congregatio; pacatæ ex oppoſito & quietæ congregationes Chriſtianorum, quæ in illis urbibus colligebantur, ſi iſti exiguo numero fuiſſent? Ubi ſiquidem turba & multitudo, ibi certe confuſio facile eſſe ſolet ac ſeditio; quum in paucitate quies & pax ſuapte natura regnare videantur. Si jure igitur aliquo populum illarum urbium credentem poterat cum infideli earumdem conferre populo Origenes; ſique virtutis ac religionis effectus erat ordo, quies, pax, quæ in cœtibus Chriſtianis obtinebant, ſequitur, illis in urbibus

bus numeroſiſſimos ætate ſua fuiſſe cœtus Chriſtianorum, ideoque maximo ibidem numero fideles.

Neque vero Athenis tantum, Corinthi & Alexandriæ, multitudinem noſtrorum tunc fuiſſe conſequaris. Nil magis cordi fuit Origeni, quam urgere contra Celſum ingentiſſimam hominum noſtrorum copiam, ut ſexcentis in locis videre eſt operis illius præclariſſimi, cuius ad librum VI. dum eam rurſus prædicaret, ita in adnotationibus vir magni apud ſuos nominis Spencerus: *Quis enim veterum Patrum de huius rei veritate diſſentit?* Medio revera tertio ſeculo Divus Cyprianus in libro ad Demetrianum, quem Anglicani editores exiſtimant fuiſſe Judicem Charthaginis, aut aliquem e Conſiliariis, qui Præſidi ſolebant in judiciis aſſiſtere, immenſa noſtrorum copia oſtentata, his proſequebatur verbis; *Inde eſt, quod nemo noſtrum, quando apprehenditur, reluctatur, nec ſe adverſus iniuſtam violentiam veſtram, quamvis NIMIUS ET COPIOSUS SIT NOSTER POPULUS, ulciſcitur.* Nempe, ut in adnotationibus ad caput XXXVII. Apologetici Tertulliani animadvertit Rigaltius: IN TANTA MULTITUDINE, toties, tamque atrociter vexata, mirabilis fuit patientiæ Chriſtianæ conſtantia, quæ non arte aliqua Præpoſitorum, ſeu factione, ſed datæ Chriſto fidei religione ſola continebatur. Huiuſce autem religionis ac patientiæ diſciplina Juliani Cæſaris, quamvis deſertoris, animum ſuccendit in reprehenſionem Titi cuiuſdam Epiſcopi Boſtrenſis, quod ipſe, ſuæ calumniator Eccleſiæ, per libellum induſtriam ſuam Principi jacta-

jactaverat, utilem ac neceſſariam frænandæ CHRISTIANORUM MULTITUDINI, alias in facinus erupturæ, ut jam ſecuritatis publicæ gloria non Chriſtiani nominis pietati, ſed efficacis ingenii ſui præſtantiæ deberetur.

Arnobius, qui ſub Diocletiano floruit, & opus contra gentes ſuum conſcripſit Coſſ. Maximiano & Galerio, ut ex Johanne Meurſio adnotat Elmenhorſtius, totus exſcribendus prope foret, ſi heic univerſa eſſent repetenda; quæ de ingentiſſimo habet cenſu Chriſtianorum. Libro illius operis primo Ethnicos inducit interrogantes, quinam illi forent, qui in Chriſti doctrinam & geſta credidiſſent? eis ita regerens: *Gentes, populi, nationes, & incredulum illud GENUS HUMANUM. Quod niſi aperta res eſſet, & luce ipſa, quemadmodum dicitur, clarior, numquam rebus huiuſmodi credulitatis ſuæ commodaſſent aſſenſum. Quod ſi falſa, ut dicitis, hiſtoria illa rerum eſt, unde tam brevi tempore TOTUS MUNDUS ipſa religione completus eſt? aut in unam coire qui potuerunt mentem gentes regionibus diſſitæ, ventis, cælo, convexionibuſque dimotæ?* Libro ſecundo ita pergit: *Nonne vel hæc ſaltem fidem vobis faciunt, quod jam per omnes terras in tam brevi temporis ſpatio immenſi nominis huius ſacramenta diffuſa ſunt? quod cum genera pœnarum tanta ſint a vobis propoſita Religionis huius ſequentibus leges, AUGETUR RES MAGIS, & contra omnes minas, atque interdicta formidinum animoſius populus obnititur, & ad credendi ſtudium prohibitionis ipſius ſtimulis incitatur?* Ita profecto Gentiles ratiocinari de-

debuiſſe contendebat æque Lactantius libro Divinarum Inſtitutionum V. capite 13. ſcribens: *Sed illi malitia & furore cæcantur, ne videant; ſtultoſque arbitrantur, qui cum habeant in ſua poteſtate ſupplicia vitare, cruciari tamen & emori malunt; cum poſſint ex eo ipſo pervidere, non eſſe ſtultitiam, in quam TANTA HOMINUM MILLIA PER ORBEM TOTUM una & pari mente conſentiant. Si enim feminæ ſexus infirmitate labuntur, viri certe ſapiunt. Si pueri, ſi adoleſcentes improvidi ſunt, maturi certe & ſenes habent ſtabile judicium. Si una civitas deſipit, ceteræ, UTIQUE INNUMERABILES, ſtultæ eſſe non poſſunt. Si una provincia, una natio prudentia caret, ceteros omnes habere intelligentiam recti neceſſe eſt. Cum vero ab ortu ſolis uſque ad occaſum Lex Divina ſuſcepta ſit, & OMNIS SEXUS, OMNIS ÆTAS, ET GENS, ET REGIO unis ac paribus animis Deo ſerviant, intelligere debuerant aliquid in ea eſſe rationis.* Omittimus ſimillima Athanaſii, Hieronymi, Chryſoſtomi, Theodoreti &c. teſtimonia innumeras non modo enumerantium nationes ac gentes, quæ ante Conſtantinum, datamque Eccleſiæ pacem, fidem noſtram ſuſceperunt, verum etiam illud magis urgentium, floruiſſe, immo regnaſſe inter illas Chriſti nomen, mutatos proinde illarum mores, deiectamque pene ſolio idololatriam, ob id ſolum ætate illa adhuc reliquam, quod intellexiſſent illorum temporum Chriſtiani patientiæ ac virtutum conſtantia, non vero ſeditione & vi eſſe hoſtes fidei & religionis ſuperandos. Quanam vero fronte egregii illi,

can-

candidiſſimique Apologetæ ita diſſerere ac diſputare potuiſſent, ſi Theodoſianum uſque ad ſeculum exiguo fuiſſent numero fideles?

CAPUT III.

Ingens primorum Fidelium numerus teſtimonio oſtenditur & factis Ethnicorum.

TAcitus libro Annalium XV. capite 44. narrato Romanæ urbis, quod Neronis opera contigit, incendio, ita proſequitur: *Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inviſos vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis eius Chriſtus, qui, Tiberio imperante, per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat: repreſſaque in præſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat non modo per Judæam originem eius mali, ſed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum MULTITUDO INGENS, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti ſunt.* Plinius ſecundus Bythiniæ Proconſul, in epiſtola ad Traianum Cæſarem, deſcriptis innocentiſſimis Chriſtianorum moribus, & agendi ratione contra illos poſtulata, ita pergit. *Viſa eſt mihi res digna conſultatione PROPTER PERICLITANTIUM*

NU-

NUMERUM. MULTI enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriuſque ſexus etiam, vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim CIVITATES tantum, ſed VICOS etiam, atque AGROS ſuperſtitionis iſtius contagio pervagata eſt, quæ videtur ſiſti, & corrigi poſſe. Certe ſatis conſtat PROPE JAM DESOLATA TEMPLA cœpiſſe celebrari, & ſacra ſolemnia diu intermiſſa repeti: paſſimque venire victimas, quarum adhuc rariſſimus emptor inveniebatur. Vix dignum heic eſt ut animadvertamus, fuiſſe qui in νοθείας ſuſpicionem epiſtolam eiuſmodi, quæ eſt XCVII. libri X. totumque librum epiſtolarum Plinii X. revocare ſtuduerint, quos ſcilicet egregie refutavit Joannes Maria Cattaneus, Plinii Commentator, diſſertatione ſingulari, libro X. præmiſſa. Hanc utique Plinii epiſtolam allegavere vetuſtiſſimi Scriptores, inter quos Tertullianus, qui capite Apologetici 2. Plinium *MULTITUDINE CHRISTIANORUM perturbatum* vocat; & Hieronymus in Chronico, qui ipſum *eorum MULTITUDINE perterritum* appellat. Si vero in ſola Bythiniæ Provincia tot erant omnis ætatis, ſexus & ordinis Chriſtiani, quanto maior eorum copia fuerit oportet in amplioribus ac populoſioribus provinciis? Lampridius in Severi vita tradit, Cæſarem illum de Chriſto inter Deos referendo cogitantem, prohibitum ab iis fuiſſe, qui *conſulentes ſacra, repererant, omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eveniſſet, & templa reliqua deſerenda.* Dion libro XXXVII. de Chriſtianis inquiebat: *Eſt etiam apud Romanos genus iſtud, imminutum quidem ſæpenumero*

mero, αὐξηθὲν δὲ ἐπὶ πλεῖστον, *ADEO AUCTUM TAMEN, ut vim legum pervicerit.* Triephon Lucianæus in Philopatride querebatur, Chriſtum jam inter Ethnicos ubique fuiſſe prædicatum: εἰ πω κοινῇ Χριστὸς καὶ ἐν ἔθνεσι, Lucianus ipſe vociferabatur in Pſeudomante, ἐμπεπλῆσθαι Χριστιανῶν τὸν Πόντον, Chriſtianis REPLERI Pontum.

Sed Gentilium omnium de nimia noſtrorum copia querelas, quotidie, communiter, ac univerſim factas, haud prætermiſere Chriſtianæ Religionis vindices, Tertullianus præſertim capite Apologetici 1. ſcribens: *Tanti ſunt Chriſtiani, quanti & denotamur. Obſeſſam vociferantur civitatem, in agris, in caſtellis, in inſulis Chriſtianos; omnem ſexum, ætatem, conditionem, & jam dignitatem tranſgredi ad hoc nomen quaſi detrimento mœrent.* Perinde ac ſi dixiſſet, ut heic adnotat Pamelius, tanta eſt EORUM MULTITUDO, quanta vos non præterit; ſed judicatis & deploramini multa proclamatione dolentes ſub prætextu juſtitiæ, & quaſi accepto detrimento, obſideri orbem hac Chriſtiana Religione, & ad hoc nomen OMNES HOMINES confugere, ut merito de Eccleſia Horatianum illud decantari poſſit:

Merces profundo pulchrior evenit.

Pergit Septimius verba Ethnici proferre de nimia noſtrorum copia querentis: *Sed non ideo, inquit, bonum, quia multos convertit. Quanti enim ad malum præformantur?* Quibuſcum conveniebant illa Cæcilii pariter Ethnici apud Minutium Felicem

cem

cem in Octavio: *At jam ut fœcundius nequiora proveniunt, ſerpentibus in dies perditis moribus, PER UNIVERSUM ORBEM ſacraria ipſa teterrima impiæ coitionis adoleſcunt*. Quibus regerebat Octavius Chriſtianus: *Quod in dies noſtri numerus augeatur, non eſt crimen erroris, ſed teſtimonium laudis; nam in pulchro genere vivendi & perſtat, & perſeverat ſuus, & accreſcit alienus.* Ita & alii Apologetæ Ethnicis occurrebant de nimio Chriſtianorum numero iracunde poſtulantibus. Apud Gruterum pag. CCLXXX. legitur vetus eiuſmodi inſcriptio:

DIOCLETIANVS JOVIVS ET MAXIMIAN.
HERCVLEVS CAES. AVG. AMPLIFICATO PER
ORIENTEM ET OCCIDENTEM IMP. ROM.
ET NOMINE CHRISTIANORVM DELETO
QVI REMPVBLICAM EVERTEBANT.

Paucitatem Credentium ad uſque Juliani tempora extendunt Clarkſonus, Petrus Cunæus, & Spanhemius. Ignoro, an aliquid a veritate magis alienum valeat excogitari. Dum enim Cæſar ille in Galliis verſaretur, ita ſimulatum ipſius in religionis negotio animum ob ingentem noſtrorum multitudinem Ammianus Marcellinus, Ethnicus ſane ſcriptor, libro XXI. capite 2. deſcribit: *Agebat itaque, nihil interim de ſtatu rerum præſentium mutans, ſed animo tranquillo & quieto incidentia cuncta diſponens, paullatimque ſe ſe corroborans, ut dignitatis augmento virium quoque congruerent incrementa. Utque omnes nullo impediente*

ad

ad ſui favorem illiceret, adhærere cultui Chriſtiano fingebat, a quo jampridem occulte deſciverat, arcanorum participibus paucis, aruſpicinæ, auguriiſque intentus, & ceteris, quæ Deorum ſemper fecere cultores; & ut hæc interim cœlarentur, feriarum die, quem celebrantes menſe Januario Chriſtiani Epiphaniam dictitant, progreſſus in eorum Eccleſiam ſolemniter Numine orato diſceſſit. Idem narrat Zonaras his verbis: ἤδη δὲ τὴν ἐν Χριςῷ ἐξομοσάμενος πίςιν, κ. τ. λ. *Quum vero Julianus jampridem Chriſtianam ejuraſſet fidem, verebatur ob id milites, QUOS PROPE CHRISTIANOS UNIVERSOS NOVERAT: Quare malitiam ſuam occultans, unumquemque pro arbitrio ſuo cultum ſequi, quem mallet, præcepit. Ipſe Natali Domini Eccleſiam ingreſſus, advocato Numine diſceſſit, quo eiuſdem cum militibus cultus eſſe videretur.* Valeſius ex Caſſiani collectione X. capite 2. ad locum citatum Marcellini adnotat, Natalem Domini a Zonara dici, quem Marcellinus Epiphania appellaverat; ea tamen inter ſe pugnantia non eſſe: quum Orientales diutiſſime crediderint, Chriſtum octavo idus Januarias & natum, & baptizatum eſſe; & utramque ſolemnitatem, non bifariam, ut in Occidente, ſed uno eodemque celebratam ab ipſis die, qui Epiphania vocabatur.

Jam vero ex narrato Juliani facto quis aperte non intelligit, valde plures tunc fuiſſe in Galliis Chriſtianos, quam ethnicos? Siquidem, ſi Juliano Duce PROPE UNIVERSI ROMANARUM COPIARUM MILITES CHRISTIANI ERANT, cur non eiuſmodi facilius fuerint ho-

mines civilibus, ſellulariis, domeſticis, & pacatioribus artibus addicti? cur non magis fœmineus ſexus de pietate plurimum ſollicitus? cur non copioſiore numero agreſtes atque ruſtici, ſub ethnicis, perſequutionibus minoribus vexati? Nec in Occidente ſolum, verum etiam in Oriente frequentiſſimos fuiſſe Chriſtianos, fidem facit aliud eiuſdem Juliani factum, qui quum ad bellum Perſicum proficiſceretur, Edeſſam, qua commodum in fines Perſarum ac pervium erat iter, ſe ſe conferre noluit, propterea quod univerſa civitas addicta erat ſacris Chriſtianorum, ut colligimus ex Actis Martyrum ſinceris apud Ruinartium.

Neque tamen primus fuit inter Cæſares Julianus, qui, multitudinis Chriſtianorum cauſſa, illis blandiri ſimulare coactus fuerit, quum quarti ſeculi initio, certe ante annum CCCXV. id præſtiterit Licinius, ob omnes ſui exercitus milites Chriſtianos, quod eruimus ex Lactantio, in libro de mortibus perſequutorum, capite 46. ubi prælium deſcripturus, quo ſuperatus eſt a Licinio Maximinus, hæc habet: *Liciniani ergo ſcuta deponunt, galeas reſolvunt, ad cœlos manus tendunt, præeuntibus Præpoſitis, & poſt Imperatorem* (Licinium) *precem dicunt. Illi oratione ter dicta, virtute jam pleni reponunt capitibus galeas, ſcuta tollunt, tubæ canunt, ſigna procedunt, Liciniani impetu facto adverſarios invadunt &c.* ad verba: *Illi oratione ter dicta*; ternarium numerum amaſſe in precibus veteres Chriſtianos adnotat Johannes Columbius. Licinium vero, quamvis infenſiſſi-

ſiſſimum noſtrorum hoſtem, illis tamen pro arcano imperii favere ſe ſimulaviſſe, ea detegunt, quæ Lactantius ſcripſit, libro Divinarum Inſtitutionum VI. capite 6. nempe: *Quidam probitate ficta viam ſibi ad potentiam muniunt, faciuntque multa, quæ boni ſolent, & quidem promptius, quod fallendi gratia faciunt; utinamque tam facile eſſet præſtare, quam facile eſt ſimulare bonitatem! ſed ii cum eſſe cœperint propoſiti ac voti ſui compotes, & ſummum potentiæ gradum acceperint; tum vero ſimulatione depoſita, mores ſuos detegunt; eoſque bonos,* (ideſt Chriſtianos) *quorum cauſam ſuſceperant, inſequuntur, & gradus, per quos aſcenderunt, amputant; ne quis illos contra ipſos poſſit imitari.* Moderatum, prudentemque ſe præbuit hoc loco Lactantius, non appellato nomine Licinii, cum Conſtantino conjunctione proxima conjuncti, qui ſororem Conſtantiam Licinio tradiderat uxorem. Ad illum reſpexiſſe tamen nemo dubitaverit, quia quum, ut ipſe habet in libro de mortibus perſequutorum capite 44. Licinius de reſtituenda Eccleſia literas proponi juſſiſſet, hortatuſque fuiſſet, ut ſacræ Chriſtianorum ædes in priſtinum ſtatum redderentur, Maximino demum ſuperato, firmatoque, ut ſibi videbatur, imperio, Chriſtianos vehementiſſime inſectatus eſt. Tanta vero erat eo temporis etiam in Occidente eorum copia & multitudo, ut eadem arte ac ſimulatione uti opus habuerit Maxentius, de quo ita acute ac graviter Gisbertus Cuperus in adnotationibus ad caput XXVI. citati operis de mortibus perſequutorum: *Notatu dignum præci-*

pue eſt, Euſebium libro VIII. capite 14. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ narrare, Maxentium initio ſimulaſſe ſe Chriſtianum eſſe, ἐπ' ἀρεσκείᾳ καὶ κολακείᾳ τοῦ δήμου Ῥωμαίων, *UT MOREM GERERET, BLANDIRETURQUE POPULO ROMANO. Nam inde videor affirmare poſſe, Chriſtianorum NUMERUM INGENTEM hoc tempore Romæ fuiſſe; neque enim aliam cauſam invenire, quamcumque in partem hæc verſem, poſſum, cur Chriſtianorum gratiam captaverit novus Imperator, qui Ethnicæ ſuperſtitioni erat devotiſſimus, & Chriſtianos odio proſequebatur.* Si imperium ut acquirerent, aut ſe in eo tuerentur, Chriſtianam ſimulare aliquando neceſſarium duxere religionem acerrimi ipſius hoſtes Licinius, Maxentius & Julianus, quanto noſtri numero fuerint oportet in univerſo Imperio Romanorum!

Ipſa ratio agendi Juliani adverſus noſtros, poſtquam omnem exuit larvam & ſimulationem, mirum oſtendit in modum eos copioſiſſimos fuiſſe; quippe non decretis, coactione, ac vi, ſed laqueis egit ac dolis, ut ſenſim ſine ſenſu eos ad idololatriam revocaret; intellexit ſiquidem, quod agens de Sancto Babyla martyre dixit Chryſoſtomus, πᾶσαν ἡλικίαν ἁπλῶς καὶ φύσιν ἑκατέραν, ÆTATEM OMNEM, OMNES UTRIUSQUE SEXUS ROMANI IMPERII INCOLAS ad mortem pro vera Religione ſubeundam paratos fuiſſe, ſi vim ipſe intentaſſet. Quod etiam animadvertit Jacobus Gothofredus in oratione de arcanis Imperatoris illius artibus ad profligandam Religionem Chriſtianam: *Fuit hoc inter Juliani arca-*

na ſophiſmata, vel potius dominationis flagitia, *omnia ad juſtitiæ famam dirigere, gnarus ſi vim regiam nudo capite intentaret, peſtiferam eam, periculoſamque, ea præſertim tempeſtate, ubi POTISSIMA ORBIS PARS CHRISTO FIDEM ADDIXERAT, ſic, ut tot ſimul corripere intutum foret: at ſi callide & aſtu navim torqueret, vimque blanditiis allineret, incruſtaretque, & tyrannidi, tamquam hamo, eſcam clementiæ ſpem, ſpeciemque indueret, induceretque, ad rem ſuam id arbitratus eſt.* Concinit in *Juliano* ſuo Warburtonus, in quo evincit, eum niſi artibus & fraude confidere non potuiſſe ad cultum Deorum pertrahere Chriſtianos, tunc adeo numero valentes, ut vi rem aggredi perinde fuiſſet, ac ſummæ maieſtatem poteſtatis evidentiſſimo objicere periculo. Conſonat demum alter Anglus, Deſvoeuxius, ubi de vita & moribus agens Juliani, manifeſtum facit, a Commodi imperio adusque regnum deſertoris, excepta decennali perſequutione, quæ neque univerſalis fuit, Chriſtianam rem adeo creviſſe, ac paucos adeo fuiſſe tunc reliquos Gentiles, ut æquum duxerint Chriſtiani Principes milite adhibito ethnicos aliquando protegere, & ab ira Chriſtiani vulgus liberare; ratus propterea, niſi impotentiſſimo laboraviſſet Julianus theurgiæ ſtudio, poſtulaviſſe dominationis potius leges ac regnandi artes, ut ſe ſe SUBDITORUM MULTITUDINI ſemper accommodans, ſaltem Chriſtianum eſſe ſimulaſſet.

Quid meditationes tamen recentiorum ſequimur, dum maximæ Chriſtianorum ſui ac anterio-

rioris temporis copiæ teſtem habemus Julianum ipſum in tot reliquis adhuc ſcriptis ? Integrum habemus huius Imperatoris opus adverſus Chriſtianam religionem apud Cyrillum Alexandrinum illud refellentem, & libro VI. hæc Cæſaris referentem in Chriſtianos verba: *Judæorum furorem & acerbitatem æmulamini, templa & aras evertentes, ac trucidantes non ſolum eos, qui in inſtitutis patriis manerent, verum etiam hæreticos, eiuſdem vobiſcum erroris Sectarios, qui non perinde ac vos mortuum lugebant. At enim hæc potius veſtra ſunt; nuſquam enim Jeſus iſta vobis præcipiendo tradidit, neque Paullus. Cauſa vero eſt, quod non ſperaverunt vos TANTAM AD POTENTIAM USQUAM PERVENTUROS*, ὅτι μηδὲ ἤλπισαν εἰς τοῦτο ἀφίξεσθαί ποτε δυνάμεως ὑμᾶς. *Satis enim habebant ipſi, ſi ancillas, aut ſervos deciperent, & per hos uxores & viros, quales Cornelius, & Sergius: quorum unus ſi illuſtres inter viros, Tiberii vel Claudii temporibus, laudatus appareat; de omnibus mentiri me putatote.* Æquior heic videtur hodiernis illis Scriptoribus Julianus, qui dum eum in Chriſtianorum odio imitari volunt, ſuperant. Ille ſiquidem tempora Tiberii & Claudii candide a temporibus diſtinguit, quibus noſtri jam ad TANTAM PERVENERANT POTENTIAM; dum pulchre ex oppoſito ſe feciſſe nonnulli in præſens arbitrantur, ſi, mutilo relato Juliani teſtimonio, non alios demum, quam ſervos & ancillas ante Conſtantinum invenerint Chriſtianos. Et vero nobiles quidem negat fuiſſe Apoſtolici temporis fideles Imperator, ſed maximo fuiſſe

nu-

numero non negat. En ipſius verba apud Cyrillum libro diſputationis decimo: *Jeſum neque Paullus Deum dicere auſus eſt, neque Matthæus, neque Lucas; neque Marcus: ſed bonus ille Johannes,* αἰσθόμενος ἤδη πολὺ πλῆθος ἑαλωκὸς ἐν πολλαῖς τῶν Ἑλληνίδων καὶ Ἰταλιωτίδων πόλεων ὑπὸ ταύτης τῆς νόσου, *quum ſenſiſſet MAGNAM MULTITUDINEM IN MULTIS URBIBUS Græcis & Italicis jam tum eo morbo captam eſſe: audiretque, opinor, monumenta quoque Petri & Paulli, clam quidem, ſed tamen audiret ea coli, primus id prodere auſus eſt.* In Satyra, quam *Cæſares* inſcripſit, maximam noſtrorum multitudinem conteſtatur Julianus, dum noſtra irridens Baptiſmi & Pœnitentiæ ſacramenta, Conſtantini filium ita loquentem inducit: ὅστις φθορεύς, ὅστις μιαιφόνος, κ. τ. λ. *QUISQUIS mulierum corruptor, QUISQUIS homicida eſt, QUISQUIS piaculo aut execrando ſcelere ſe ſe obſtrixit, fidenter adhuc adito: etenim, ſimulatque hac aqua ablutus fuerit, illicò ego eum purum reddam. Quod ſi iiſdem ſe rurſus flagitiis contaminaverit, efficiam, uti tonſo pectore, & capite percuſſo expietur.* Miſopogonem adeamus a Juliano contra Antiochenos ſcriptum, qui quum eſſent prope omnes Chriſtiani, erant propterea Imperatori quammaxime infenſi. Satyram igitur contexuit illam, in qua de ſe ita fatus eſt: *Sacrificavit ſemel Cæſar in templo Jovis, deinde in Fortunæ, deinceps ivit ad Cæſaris; neque enim quoties ad Daphnes templum ierim, memoria teneo. Veniunt Syrorum Calendæ? Cæſar rurſus ad Jovis Philii: venit publicum feſtum? Cæſar continuo in templum Fortu-*

 næ;

næ; intermiſſo autem neſaſto die, rurſum in ædem Jovis Philii more maiorum vota ſuſcipit. Et quis Cæſarem ferat tam ſæpe in templa ventitantem, quum liceat ſemel atque iterum Diis moleſtiam exhibere? ferias autem illas celebrare, quæ toti populo communes ſunt, & quarum participes eſſe poſſunt, non ii modo, qui Deos norunt; ſed etiam ii, QUORUM PLENA EST CIVITAS. Ἀλλὰ ὧν ἐστὶν ἡ πόλις πλήρης. Quinam illi, obſecro, qui Deos non colebant, & quorum plena erat Antiochia? utique Chriſtiani. Ut enim ad hunc Juliani locum adnotat Petavius, ludos heic & ſpectacula intelligit Auguſtus, quibus Chriſtiani non minus, quam Gentiles adeſſe conſueverant, magna ſanctiſſimorum Præſulum querela. Cauſſam cur ipſum oderint Antiocheni ſubjiciebat Imperator his verbis: *At Chriſtum amatis, & quaſi Numen tutelare colitis, pro Jove, & Daphnæo, & Calliope. Nam e vobis quidem certe plurimos, ac fere omnes, Senatum, divites, populum offendi. Etenim POPULI MAGNA PARS, IMMO TOTUS POPULUS, qui impietatis ſectam ſequitur, mihi ſuccenſet, quod me videt Patrum religionem amplecti, eique adhærere.* Ὁ μὲν γὰρ δῆμος ἄχθεταί μοι τῷ πλείστῳ μέρει, μᾶλλον δ' ἅπας ἀθεΐαν προελόμενος, ὅτι τοῖς πατρίοις ὁρᾷ τῆς ἁγιστείας θεσμοῖς προσκείμενον. TOTUS IGITUR ANTIOCHENUS POPULUS Juliano teſte, erat Chriſtianus. Daphnæum in templum ſe ſe ſacrificaturum contuliſſe ſubdit Imperator, nullam tamen pompam, nullas ſe ſubdit ibi reperiiſſe libationes, nullas victimas, nullos miniſtros Deorum, ſed unum modo ſacer-

cerdotem, *qui ego*, inquit, *domo anſerem iſtum Deo affero, civitas enim nihil apparavit.* Pudere debuiſſet Julianum, niſi res tunc notiſſima fuiſſet, tantam ſuorum ſolitudinem fateri & paucitatem immenſa & populoſiſſima in urbe, qualis erat totius caput Orientis Antiochia. Sed alia Antiochenis objicit in eorum gratiam & utilitatem ab ipſo perpetrata, pro quibus eos niſi injurias & contumelias non rependiſſe queritur, ipſumque vehementiſſimo odio perſequutos; ſed quare? *Quia*, inquiebat, *(CHI) Conſtantino Chriſtiano Cæſari bellum me indixiſſe creditis; ſed revera quia KAPPA* (Chriſtum) *deſideratis*: *ὅτι πολεμῶ τῷ Χῖ πόθος δὲ ὑμᾶς εἰσεισι τῷ Κάππα.* Nil evidentius demum ad conteſtandam primorum copiam Chriſtianorum ex Juliano, verbis ipſius in epiſtola ad Arſacium Galatiæ Pontificem. Effecerat Auguſtus dolis, laqueis, & plagis ut plurimi ſuam defectionem a Religione imitarentur. Deorum id numini ac prodigio tribuendum eſſe exiſtimabat, *quod brevi temporis ſpatio TANTA AC TAM INOPINATA RERUM IMMUTATIO CONSEQUUTA ESSET, quam Ethnicorum nemo NE SPERARE QUIDEM AUT OPTARE auſus fuiſſet*, *ἐν ὀλίγῳ τοσαύτην καὶ τηλικαύτην μεταβολὴν κ.τ.λ.* & idololatria ante ſe per univerſum Romanum orbem abrogata fere ac exſtincta, poſtliminio jam revocari poſſe videretur. Heinc ex præſenti tunc rerum facie decepti Cunæus, Spanhemius, & Clarkſonus, qui aucta ſub Juliano ethnicorum copia, Chriſtianos ante Cæſarem illum numero exiguos crediderunt fuiſſe, ac præpoſterum tulere

lere de univerſo anteriori tempore judicium. Fuit Julianus fateor poſt Conſtantinum atque eius filios. Sed qui iſtorum vices, & facta, moreſque, & arcana rerum non ignorant, ſatis etiam intelligunt, minime illorum conditioni temporum ac hominum aſſerendam eſſe copiæ Chriſtianorum ſummam. Sed de his aliqua fortaſſe alias.

Satis erit animadvertere in præſens, rationem agendi Gentilium ceterorum, diu ante Julianum, multitudinem Credentium eo quoque temporis vehementer confirmare. Si enim tribus prioribus ſeculis pauciſſimo fuiſſent numero Chriſtiani, cur Principes ac Præſides tot leges ac edicta adverſus Chriſtianum nomen evulgaſſent, ac modo generales, modo particulares excitaſſent in ipſum perſequutiones? ſi noſtri niſi exiguum tunc, imperitum, ac vile vulgus non fuiſſent, cur operam dediſſent, ut eorum ſectam refutarent Celſus, Trypho, Lucianus, Theoſtenes, Demetrianus, Cæcilius, Porphyrius, Maximus, Julianus, Hierocles, Creſcens, Libanius, aliique vetuſtiores Philoſophi ac Rhetores, quorum plurima opera jam ætate ſua exoleviſſe teſtabatur Chryſoſtomus loco ſuperius allegato? Hi certe maximi animorum motus, hæ leges, polemica hæc ſcripta ſatis oſtendebant, maximam contigiſſe, quod ad religionem pertinet, Romano in Imperio mutationem.

Nec adverſa modo, ſed etiam ſecunda aliquorum Romanorum Cæſarum in rem Chriſtianam voluntas in cauſſa fuit, noſtros tunc temporis numeroſiſſimos fuiſſe. Eorum qui ante Conſtantinum

tinum regnávere, pro Chriſtianis edicta plurima recenſet atque exhibet Johannes Albertus Fabricius in Luce ſalutari Evangelica capite XII. ea noſtrorum cenſum quammaxime augere profecto debùerunt. Agit Mamachius libro II. parte II. originum & antiquitatum Chriſtianarum capite XXI. §. 4. de Imperatoribus Romanis, qui propenſiore in Chriſtianos animo permiſere, ut eorum, in Italia potiſſimum, religio late proferretur, poſtque omnia, quæ ad aliquorum clementiam Principum erga noſtros pertinere reperta ſunt, penitiori ac veteri ex hiſtoria, & critice explicata, ita orationem egregie concludit: *His igitur Imperatoribus, cum prodire in publicum noſtris, conventus agere, ad eoſque, qui propenſi ad noſtram diſciplinam eſſent, adire, eiſque veritatem exponere, multiſque rebus confirmare liceret, adeo auctæ opes Chriſtianæ Reipublicæ cum in aliis regionibus, tum in Italia imprimis fuerunt, ut ubi adeptus eſt principatum Conſtantinus, non ÆQUARE modo noſtri numerum ethnicorum, ſed SUPERARE etiam viderentur.* Cur vero vel prioribus Eccleſiæ ſeculis immenſo non fuiſſent numero Chriſtiani, quum eorum ſecta, nunc favore & clementia Principum incrementa caperet, nunc odio ac furore tyrannorum, adeo certum quum ſit, Martyrum noſtrorum ſanguinem fuiſſe ſemen Chriſtianorum?

CAPUT

CAPUT IV.

Non ideo Ethnicis maximum fuiſſe viſum veterum fidelium cenſum, quod ſoliti fuerint Gentiles confundere noſtros cum Judæis.

QUamvis allegata ethnicorum teſtimonia aut ignoraverit, aut diſſimulaverit Clarkſonus, non ignoraſſe ſe oſtendit tamen frequentes ethnicorum de multitudine Credentium in locis omnibus querelas: aſt id factum fuiſſe conjicit contenditque, propter eaquod ethnici noſtros cum Judæis facile confuderint, proindeque ex utriſque copiam demum ingentem viſam, non quod ingenti revera numero tunc fuerint fideles. Ne quid vero diſſimulare ipſe videar, fateor, innumeros ac prope omnes, quos ipſe viderim, ſive in amœnioribus, ſive Eccleſiaſticis in literis verſatos, in eam lapſos opinionem de confuſione noſtrorum cum Judæis a Gentilibus olim facta, quamquam nihil hi de paucitate aut copia Chriſtianorum primæ ætatis cogitaverint. Adferunt præſertim Dionis verba in Domitiano ſcribentis, Clementem & Domitillam *prolapſos in ritus Judæorum*, quum revera Chriſtiani fuerint; deque Nerva Cæſare adjicientis, ipſum vetuiſſe, *quemquam neque contemptus Deorum, neque Judaici ritus crimen impoſterum accuſare.* Animadvertunt, Elium Spartianum, in vita Caracallæ, de ipſo ſcripſiſſe: *Septennis puer quum colluſo-*

luſorem ſuum puerum ob Judaicam religionem gravius verberatum audiſſet, neque patrem ſuum, neque patrem pueri, vel auctores verberum diu reſpexit. Quum autem Caracalla Chriſtiano-ſanguine fuerit educatus, ut auctor eſt Tertullianus in libro ad Scapulam cap. 4. inde inferunt, Spartianum quoque noſtros cum Judæis confudiſſe. Proſtant *leg. 3. §. ult. ff. de decurion.* ea quæ de Chriſtianis pariter accipienda docent: *Eis qui judaicam ſuperſtitionem ſequantur DD. Severus & Antoninus honores adipiſci permiſerunt: ſed & neceſſitates eis impoſuerunt, quæ ſuperſtitionem eorum non læderent.* Quemadmodum & illud Imperatoris Antonini leg. 1. Cod. de Judæis: *Quod Cornelia Salvia Univerſitati Judæorum, qui in Antiochienſium civitate conſtituti ſunt, legavit, peti non poteſt.* Quum enim ſecundum *legem 20. ff. de rebus dubiis*, fas non fuiſſet legare corporibus, niſi quibus coire liceret, noſtros propterea videtur reſponſum eiuſmodi reſpexiſſe. Sed & Damaſcius apud Photium in vita philoſophi Iſidori, de Theoſebio quodam Dæmonem exire compellente, inquiebat; *Juravit ſolis radios per Deum Hebræorum*, κὰι τὸν ἑβραίων θεὸν, quem Chriſtum heic intelligi oportere aiunt, qui marginalia ſcholia Photio appoſuere, propterea quod Chriſtiani initio appellati fuerint Judæi; alia addunt ex Luciano & Epicteto, aliiſque; neque defuere, qui in illius permixtionis & confuſionis argumentum ea proponere non dubitaverint, quæ Rutilius Numatianus in Itinerario cecinit. v. 395.

Atque

Atque utinam numquam Judæa ſubacta fuiſſet
Pompeii bellis, imperioque Titi;
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos natio victa premit.

Ipſe tamen optarim vehementer, hac in re, non Clarkſonum dixerim, ſed tot etiam alios viros præſtantiſſimos aliqua diſtinctione, maiorique cautione proceſſiſſe; ſunt enim plurima, quæ opinionem eiuſmodi, tam abſolute ac generatim poſitam, falſitatis poſtulare videantur. Primum ſiquidem, vel in infantia Chriſtianæ Religionis ea fuit agendi ratio Judæorum adverſus noſtros, ut fieri vix potuerit, ethnicos crediſiſſe, unam ex utraque gente conſtitutam fuiſſe ſacrorum ſocietatem. Certum eſt ex ſacris literis primas in noſtros perſequutiones ira & odio Judæorum commotas fuiſſe, quorum de hoſtili in Chriſtianos animo querebatur Origenes libro contra Celſum ſecundo. Juſtinus vero Martyr ita de illis in dialogo cum Tryphone Judæo. *Quantum in vobis eſt, afficitis contumelia diris voventes in Synagogis veſtris eos, qui in Chriſtum credunt. Neque enim ea vobis adeſt poteſtas, ut manus nobis inferatis, propter eos, qui nunc rerum potiuntur: quoties autem adfuit, rem confeciſtis.* Tertullianus *Synagogas Judæorum, fontes perſequutionum* appellabat in Scorpiaco capite 10. & capite 7. Apologetici Chriſtiana de Religione ſcribebat: *Tot hoſtes eius quot extranei, & quidem proprie ex æmulatione JUDÆI.* Denique libro I. ad nationes cap. 14. inquiebat: *Credidit vulgus Judæo, quod enim aliud*

genus,

genus, *& SEMINARIUM infamiæ noſtræ?* Divus Auguſtinus libro VI. de Civitate Dei capite undecimo ſcripſit; *Seneca inter alias civilis Theologiæ ſuperſtitiones reprehendit etiam ſacramenta Judæorum, & maxime Sabbata, inutiliter eos facere affirmans, quod per illos ſingulos ſeptem interpoſitos dies ſeptimam fere partem ætatis ſuæ perdant vacando; & multa in tempore urgentia non agendo lædantur. Chriſtianos tamen JAM TUM JUDÆIS INIMICISSIMOS, in neutram partem commemorare auſus eſt, ne vel laudaret contra patriæ ſuæ veterem conſuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forſitan voluntatem.* Accuſabant Chriſtianos Judæi apud tribunalia Gentilium; maximo geſtiebant gaudio, dum noſtri ad ſupplicia ob Chriſti nomen rapiebantur, ad eorum ſpectanda martyria alacres currebant, ut in epiſtola Smirnenſis legimus Eccleſiæ de martyrio SS. Polycarpi & Sociorum, exque paſſione SS. Pionii Sociorumque apud Ruinartium; voce ſcriptiſque palam & in publico adverſus Judæos noſtri decertabant, ut Tertullianus tradit initio libri ſui contra ipſos. Quî fieri igitur poterat, ut unum genus hominum, eiuſdemque ethnicis viderentur religionis, Judæi & Chriſtiani?

Ratio agendi Imperatorum erga noſtros, & Judæos, cognitum fuiſſe ab ethnicis, quod inter utramque intercedebat gentem diſcrimen manifeſtat. Veſpaſianum, *quamquam JUDÆORUM DEBELLATOREM*, noſtris tamen pepercisse gloriabatur Tertullianus capite V. Apologetici. De Hadriano autem ita Oroſius libro hiſtoria-

rum

rum VII. capite 13. *Hadrianus per Quadratum diſcipulum Apoſtolorum, & Ariſtidem Athenienſem, virum fide ſapientiaque plenum, & per Serenum Granium Legatum, libris de Chriſtiana Religione compoſitis, inſtructus atque eruditus praecepit per epiſtolam ad Minutium Fundanum, Proconſulem Aſiae, datam, ut nemini liceret Chriſtianos ſine obiectu criminis, aut probatione damnare. Ille idem Judaeos, perturbatione ſcelerum ſuorum exagitatos, & Palaeſtinam, Provinciam quondam ſuam, depopulantes, ultima caede perdomuit: ultuſque eſt Chriſtianos, quos illi, Cotheba duce, quod ſibi adverſus Romanos non adſentarentur, excruciabant; percepitque, ne cui Judaeo introeundi Hieroſolymam eſſet licentia, Chriſtianis tantum civitate permiſſa: quam ipſe in optimum ſtatum, murorum exſtructione, reparavit, & Aeliam vocari de praenomine ſuo praecepit*; ſive, ut Xiphilinus ſcripſit, Colonia Hieroſolymam deducta, urbem etiam Capitolinam appellavit. Diverſis autem de cauſſis, diverſis ſub Imperatoribus, ac Praeſidibus, diverſo tempore & loco, utrique evenerunt genti diverſa fata, pericula, & mala. Quanta Chriſtiani copia in Aegypto fuerint ſecundo Eccleſiae ſeculo omnia fidem faciunt monumenta, ex oppoſito quum Judaei anno CXIV, deficientes a Traiano, tum illo, tum proximo anno, occidiſſent in Aegypto hominum ducenta millia, atque in inſula Cypro ducenta quadraginta millia itidem trucidaviſſent; ab eo tempore ſub Romanis capitale fuit Judaeis illuc appellere, ut omnibus notum eſt.

Quid

Quid quod ethnici ipſi Chriſtianis, haud modo quod eſſent NOVUM GENUS, verum etiam DIVERSUM a Judaico obiiciebant? Svetonius in vita Neronis capite 16. *Afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum SUPERTITIONIS NOVÆ & maleficæ.* Diognetus adhuc infidelis, a Juſtino martyre, ut ex huius ad illum epiſtola intelligimus, percontabatur, cur Chriſtiani *neque eos, qui a Græcis Dii exiſtimabantur, pro Diis haberent, neque Judæorum religionem obſervarent; ϗ τί δὴ ποτε καινὸν τὸ γένος, & cur NOVUM HOC GENUS & inſtitutum in conſuetudinem venire nunc cæperit, & non prius?* Clemens Alexandrinus libro Stromatum VI. *Novum dedit nobis Teſtamentum: quæ enim ſunt Judæorum & Græcorum, ſunt vetera. Nos autem, qui NOVE ipſum τρίτῳ γένει TERTIO GENERE colimus, ſumus Chriſtiani.* Tertullianus libro ad Nationes I. capite 8. *Recogitate, ne quos TERTIUM GENUS dicitis, principem locum obtineant, ſiquidem nulla gens non Chriſtiana.* Heinc illa Gisberti Cuperi in adnotationibus ad librum de mortibus perſequutorum: *Ethnici RELIGIONEM NOVAM obiiciebant quotidie Chriſtianis, uti patet ſatis ſuperque apud Arnobium libb. I. & II. aliiſque.* Inde Aſclepiades Gentilis apud Prudentium hymno X. περὶ στεφ. *NOVELLUM DOGMA* Chriſtianis obiicit. Et Baronium ſequutus Triſtanus tomo I. pag. 698. per *pueros & puellas novorum hominum*, apud Capitolinum in vita Marci Antonini philoſophi, intelligit pueros Chriſtianorum. Cur vero NOVUM & TERTIUM genus appellati noſtri a Gentilibus, niſi quia eos

D di-

diverſos noverant ab ethnicis æque ac a Judæis? Cæcilius ethnicus apud Minutium Felicem in Octavio: *Cur nullas aras Chriſtiani habent, nulla templa, nulla nota ſimulacra? unde autem, vel quis ille, aut ubi Deus unicus, ſolitarius, deſtitutus, quem non gens libera, non regna, non ſaltem Romana ſuperſtitio noverunt? JUDÆORUM ſola & miſera gentilitas unum & ipſi Deum, ſed PALAM, ſed TEMPLIS, ARIS, VICTIMIS, cæremoniiſque coluerunt.* Galerii Maximiani edictum apud auctorem libri de mortibus perſequutorum n. 34. ita habebat: *Chriſtiani, qui parentum ſuorum reliquerant ſectam, ut non illa veterum inſtituta ſequerentur, quæ forſitan primum parentes eorum conſtituerant: ſed pro arbitrio ſuo, atque, ut iiſdem erat libitum, ita ſibimet leges facerent, quas obſervarent, & per diverſa varios populos congregarent.* Nonne veterum, ac parentum nomine, reſpectu Chriſtianorum, *Judæos* heic indigitat Galerius, quorum tamen *Sectam* iſtos deſeruiſſe, aliaſque ſibi conſtituiſſe leges, ac diverſos a judaicis conſtituiſſe cœtus, reprehendit? Integrum habemus Juliani Cæſaris adverſus Chriſtianam Religionem opus apud Cyrillum Alexandrinum, illudque quid aliud, quam perpetua antitheſis Judæos inter & Chriſtianos?

Non erubeſcebant noſtri de appellationibus illis, & inimicitiis, quas habebant cum Judæis. Notatu digna ſunt quæ Tertullianus habet capite Apologetici XXI. nempe: *ſed quoniam edidimus antiquiſſimis Judæorum inſtrumentis ſectam iſtam* (Chriſtianam) *eſſe ſuffultam, quam ALIQUANTO NO-*

VEL-

VELLAM, & Tiberiani temporis, plerique ſciunt, profitentibus nobis quoque, fortaſſe an hoc nomine de ſtatu eius retractetur, quaſi ſub umbraculo inſignissimæ religionis, certe licitæ, aliquid propriæ præſumptionis abſcondat, vel quia præter ætatem neque de victus exceptionibus, neque de ſolemnitatibus dierum, neque de ipſo ſignaculo corporis, neque de conſortio nominis cum Judæis agimus; quod utique oportet, ſi eidem Deo mancipemur. Sed & vulgus jam ſcit Chriſtum, hominem utique aliquem, qualem Judæi judicaverunt, quo facilius quis nos hominis cultores exiſtimaverit. Verum neque de Chriſto erubeſcimus, ut quos ſub nomine eius deputari, & damnari juvat, neque de Deo aliter præſumimus. Locus profecto inſignis, quo mox ad plurima utemur. Nunc ex eo ſatis erit adnotare, adeo abfuiſſe ut Chriſtianos cum Judæis ethnici in univerſum permiſcerent & confunderent, quin potius iidem quammaxime caverent, ne noſtri, ſub Judæorum larva & nomine, latere pertentarent, propterea quod permiſſa Romano eſſet in Imperio religio Judæorum; (circumciſionem quippe ab Hadriano ipſis vetitam, ſtatim reſtituit Antoninus, ut ex Modeſtino poſt Caſaubonum animadvertit Samuel Baſnagius in Annalibus Politico-Eccleſiaſticis ad A. D. CXLIII.) ex oppoſito Chriſtianam profeſſionem publice exerceri nollet vulgus ethnicorum, ne propterea quod conceſſa Judæis per leges foret ſuis vivendi moribus libertas, Chriſtiani, qui ſacra Judæorum ſcripta venerari proteſtabantur, eumdemque ſummum adorare Deum, eadem idcirco, quaſi cum Judæis fa-

Digitized by Google

facerent, publice gaudere vellent tolerantia; heinc *NOVELLAM*, diverſamque a Judaica *originem* ethnici fidelibus obiiciebant, *NOVELLUM DOGMA*, *RELIGIONEM NOVAM*, *NOVAM SUPERSTITIONEM*, *NOVUM GENUS*, *GENUS TERTIUM* appellabant, ac phraſi Perſii *HESTERNOS*, nempe novos, ac nuperos; urgebantque diverſum nomen, diverſos ſolemnitatum dies, diverſos ritus atque cæremonias, cultum Chriſti tandem, a quo Judæi abhorrebant. Profecto ſi Judæi noſtros univerſim cum Judæis confudiſſent, quorſum de tuendo quod inter utroſque intercedebat diſcrimine ſolliciti fuiſſent? quorſum nec eamdem eſſe, nec eamdem eſſe poſſe utriuſque gentis rationem tam pertinaci diligentia contendiſſent? Haud alia profecto de cauſſa *LICITA* a Tertulliano vocabatur *Secta Judæorum*, niſi quod publice permiſſa foret a Romanis; quum ex oppoſito Chriſtianis prope ſemper audienda eſſet lex horrendi carminis, *NON LICET ESSE VOS*, ut capite IV. Apologetici inquiebat idem Tertullianus. Quod nam apertum magis, obſecro, & certum diſcriminis inter utramque gentem ab ethnicis poſiti argumentum?

Id ut magis magiſque manifeſtum fiat, illuſtrandus eſt locus Svetonii, in Domitiani vita, capite 12. ubi habet: *Præter ceteros judaicus fiſcus acerbiſſime actus eſt, ad quem deferebantur, qui velut profeſſi judaicam intra urbem viverent vitam, vel, diſſimulata origine, impoſita genti tributa non pependiſſent. Interfuiſſe me adoleſcentulum memini, quum a Procuratore, frequentiſſimoque conſilio, inſpice-*

ſpiceretur nonagenarius ſenex, *an circumſectus eſſet.* Parum adeo feliciter locus iſte intellectus eſt, ut a plurimis adduci ſoleat in objectæ confirmationem permixtionis; qua in opinione verſati ſunt omnes, quos viderim, Svetonii interpretes, & magnus ille quoque, ut a ſuis dicitur, Cauſaubonus; quamvis non eadem ratione cuncti diſſerant. Sunt qui JUDAICUM FISCUM ea fuiſſe appellata contendunt, quæ, quacumque ratione non a Judæis modo, ſed & a Chriſtianis exigebantur, ut ſuam in urbe religionem poſſent impune profiteri. Aſt ſi hoc verum eſſet, haud intelligo nonagenarius cur ſenex inſpiciendus fuiſſet, an circumſectus foret, ut diſcerneretur a Chriſtiano, & ad ſolvendum tributum cogeretur; quum illud adhuc pendere debuiſſet, etiamſi Chriſto dediſſet nomen, & circumciſus minime fuiſſet; quippequod JUDAICUM FISCUM, uti ponunt, non a Judæis modo, ſed a Chriſtianis æque, Romæ degentibus, exigerent Gentiles. Porro judaicum tributum a ſolis judaicam religionem profeſſis exactum fuiſſe dubitandum non eſt, ipſius originem tradente Xiphilino in vita Veſpaſiani, ubi narrata Romanorum Cæſarum de univerſo judaico populo victoria, proſequitur his verbis: *Ex eo conſtitutum eſt, ut Judæi, qui patrios ſervare ritus vellent, duas quotannis Jovi Capitolino drachmas ſolverent.* Ἀπ' ἐκείνου δίδραχμον ἐτάχθη τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διῒ κατ' ἔτος ἀποφέρειν. Tale tributum Arrianus vocavit in Syriacis, φόρον τῶν σωμάτων, *tributum corporum.* Heinc Juvenalis illa ſatyra III. 13.

Nunc

Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis;

Nec non Martialis, ubi ait:

Sed quæ de Solymis venit peruſtis
Damnatam modo mentulam tributis.

Tertullianus Apologetici capite 18. ita in rem noſtram: *ſed & Judæi palam lectitant: vectigalis libertas. Vulgò aditur Sabbatis omnibus.* Ad quæ Sigebertus Havercampus patere animadvertit, Carthagine etiam & alibi, perſoluta annua penſione, libere ſynagogas ſuas ſub Romanis ethnicis Imperatoribus Judæos frequentaſſe. Romæ certe ac in Italia manſionem ſuam redimere conſueviſſe addit, quum ſinguli ex imperio Titi δίδραχμον Jovi Capitolino inferrent; gravius etiam ac durius à Domitiano habiti, lenius a Nerva, ut docet eius nummus inſcriptus: FISCI JVDAICI CALVMNIA SVBLATA, apud Patinum in Theſauro p. 115. Judaico de tributo egit Julianus in epiſtola ad nationem Judæorum, in qua etiamſi eius originem diſſimulet, ut in odium Chriſtianorum recutitis blandiretur, eouſque ut gloriari non erubuerit, tot noſtri temporis Scriptorum magnus iſte heros, SUIS SE MANIBUS arripuiſſe, ac in foveam conjectos perdidiſſe Aulicos Conſtantini fratris, ut inquiebat, ſui & amicos, quos vectigales in judaicam gentem tabulas invexiſſe ſimulabat, ἃς μὲν ἐγὼ ἐν χερσὶν ἐμαῖς λαβόμενος, κ. τ. λ. attamen ex eius adhuc dictis patet, ſervitutem ac vectigal eiuſmodi ad ſolos

Ju-

Judæos ſpectaſſe, minime vero ad Chriſtianos, quos Julianus heic memorare haud prætermiſiſſet, ſi tali, aut alicui tributo ob religionem obnoxii ſub Imperatoribus ethnicis fuiſſent.

Numquam revera aut Eccleſiaſtica, aut civili in hiſtoria, aut in actis Martyrum, aut in Apologeticis Patrum ſcriptis, conceſſam inveneris Chriſtianis pretio, per leges, moribus vivendis ſuis libertatem. Latendi quidem permiſſionem aliqui noſtrorum in perſequutionibus aliquando redimebant, obtinebantque; non ethnicorum tamen lege Principum, aut Magiſtratuum edicto, publico pacto, aut conceſſione, neque publico vectigali, aut tributo; ſed clam ſolum, & a gentilibus Miniſtris per fraudem muneris, & ob pecuniam diſſimulantibus occulto, ut colligere eſt ex Tertulliano, in libro de fuga in perſequutione capite 12. ita declamante; *Et Dominus quidem hominem redemit ab Angelis munditenentibus Poteſtatibus, a ſpiritualibus nequitiæ, a tenebris huius ævi, a judicio æterno, a morte perpetua. Tu autem pro eo paciſceris cum delatore, vel milite, vel furunculo aliquo Præſide, ſub tunica, & ſinu, quod aiunt, ut furtivo, quem coram toto mundo Chriſtus emit, immo manumiſit .... Aſpice regnorum, & imperiorum utique a Deo diſpoſitum ſtatum, in cuius manu cor Regis, tanta cotidie ærario augendo proſpiciuntur remedia cenſuum, vectigalium, collationum, ſtipendiorum: nec umquam uſque adhuc ex Chriſtianis tale aliquid proſpectum eſt, ſub aliquam redemptionem capitis, & ſectæ redigendis, cum TANTÆ MULTITUDINIS nemini,*

ignotæ fructus ingens meti poſſet. CUM IGITUR NIHIL NOBIS CÆSAR INDIXERIT in hunc modum ſtipendiariæ ſectæ ſuæ, ſed nec indici umquam tale aliquid poſſit, Antichriſto jam inſtante, & in ſanguinem, non in pecunias hiante Chriſtianorum; quomodo mihi proponere potes, reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari? miles me, vel delator, vel inimicus concutit; nihil Cæſari exigens, immo contra faciens, cum Chriſtianum legibus humanis reum mercede dimittit. Neſcio dolendum, an erubeſcendum ſit, cum in matricibus beneficiariorum, & curioſorum, inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones, & lenones, Chriſtiani quoque vectigales continentur. Nempe, ut heic animadvertit Rigaltius, *Beneficiarii* dicebantur, milites beneficio Principis adſumpti ad officia, ſive miniſteria certa: itaque apparebant Principis mandatis exequendis. Ex eorum ſchola, ſive corpore, erant *Curioſi*, curſus publici curæ præpoſiti, qui & *Stationarii* dicebantur, diſpoſiti per ſtationes. Iis autem inter cetera hoc muneris injungebat lex prima Cod. de curioſis, *ut crimina judicibus nuncianda meminerint.* Ergo reorum nomina requirebant & deferebant, ipſoſque reos ſiſtebant tribunalibus, & judicio, ut ex Euſebio patet, atque ex pluribus actis Martyrum. Huiuſmodi officia in prævaricationem demum, & concuſſiones degeneravere. Beneficiarii quippe, & Curioſi, penſionibus annuis, aut menſtruis corrupti, tabernariorum, ganeonum, furum, lenonum ſcelera diſſimulabant; & quia Chriſtiani etiam aliqui, perſequutionum tempore, ita ſe a concuſſio-

cuſſionibus redimebant, Septimius turpe & Chriſtiano pudendum nomini aiebat, inter ganeones, & fures, & tabernarios, & lenones, Chriſtianos quoque vectigales cenſeri. Clandeſtinum autem ac privatum fuiſſe univerſum eiuſmodi redemptionis a vexatione genus, oſtendit idem Tertullianus ſubdens; *Concuſſor prædam ſuam aſpiciens, dicit, de reatu eſt*; ſcilicet concuſſor aſpiciens nummos, quibus acceptis, Chriſtianum aut judicibus non nuntiavit, aut delatum non comprehendit, aut jam cumprehenſum dimiſit, hoc de reatu eſt, inquit, hoc pretium meæ prævaricationis eſt, perfidiæque. Revera in univerſo de fuga in perſequutione libro, ubi non eſſe eam numerata pecunia redimendam perſuadere nititur Tertullianus, nec minimum quidem apparet veſtigium aut pecuniæ, aut tributi Chriſtianis ob religionem a fiſco imperati: oppoſita immo proſtant omnia, quemadmodum ubi ſcribit: *Eſto ſapientia, non præmio cautus. Neque enim ſtatim & a populo eris tutus, ſi officia militaria redemeris.* Nempe, etiamſi nummis collatis concuſſores placaveris, pacemque ab iis redemeris, non ſtatim a rabie quoque populi furentis in tuto eris poſitus. Quod ſi facultatem ſuæ profitendæ religionis libere & in univerſum perſoluta pecunia Romani Imperatores Judæis concedebant; id ex oppoſito per leges ac edicta numquam fidelibus permiſere, alios profecto ab aliis omnino diſtinxerunt.

Verum quid inquient dicendum de obiectis veterum Scriptorum teſtimoniis? Arbitror primum, non omnia, quæ adducuntur, eſſe eiuſmodi, ut

in

in eiſdem Chriſtiani cum Judæis confuſi revera ſint. Profertur, ut exemplo utar aliquo, Svetonius in vita Claudii, ſcribens, eum *Judæos impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expuliſſe.* Verum quî non diſtinxerit Svetonius Chriſtianos a Judæis, quum in vita Neronis noſtros vero ac proprio nomine appellarit, immo dixerit: *Afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum SUPERSTITIONIS NOVÆ & maleficæ?* Priore igitur in teſtimonio Judæos ſolos denotavit, qui impulſore, non Chriſto Salvatore noſtro, ſed verius Chreſto, ſive Græco, ſive Romano, e vulgi fæce homine, tumultus agere veriti non ſunt, ut doctiſſimis obſervatum eſt viris apud Gallicum interpretem operis Addiſoni de veritate Religionis Chriſtianæ in adnotatione ad §. 11. ſectionis 2. Simili ratione perperam ad Chriſtianos referuntur Dionis verba ſcribentis, *prohibitos Judæos conventus agere.* De propriis namque Judæis hæc accipienda nemo dubitaverit qui Svetonium legerit in Tiberii vita capite XXXVI. ac Tacitum libro annalium II. exque Tillemontio, articulo monumentorum V. ubi de clade agit Judæorum animadverterit, Judæos eiuſmodi, fuiſſe ex captivis, quos Romani fecerant in bellis Ariſtobuli & Antigoni, inque Italiam abduxerant; utque vir doctus adnotat, quum ibi multitudinem tantam Dion ſignificaverit, ut abſque tumultu Roma exigi non poſſent, id in Chriſtianos nullo modo convenit, recens tunc nimium Romam advecto Petro, quem primum eam in urbem fidem intuliſſe, cum Irenæo, Euſebio, Epipha-

phanio, Chryſoſtomo, ac Theodoreto cenſendum eſt. Sane frequentiſſimos jam fuiſſe Romæ, ac ante Religionis noſtræ ibidem exordia, Judæos, ex eo intelligimus, quod Herode e vivis ſublato quinquaginta Legatos Romam e Judæa miſſos, ut liberationem e jugo Regum impetrarent, duodecim mille Judæi comitati ſunt, teſte Flavio, libro antiquitatum XVII. capite 12. imperante autem Caligula, maximam urbis trans Tiberim partem a Judæis habitatam ſcripſit Philo in legatione ad Caium. Claudius ipſe initio regni ſui tot tantoſque Judæos Romæ numerabat, ut ſeditionem veritus, illis una convenire interdixerit. Neque vero dubitandum, vexatos Romæ fuiſſe Judæos antequam aliquo ibi numero exſtiterint Chriſtiani; idque ob ſeditiones atque turbas eo temporis in Judæa frequentiſſimas, de quibus fidem faciunt Acta Apoſtolorum capite V. & Flavius Joſephus libro Antiquitatum XVIII. cap. 1. 2. & in libris de bello Judaico. Pearſonius in annalibus Paulinis epiſtolam Apoſtoli ad Romanos ſcriptam monet anno Neronis III. in qua præſertim eos docebat, omnem poteſtatem a Deo eſſe, eique ſubiectos nos eſſe oportere; quod ab Apoſtolo inculcatum adnotat Hieronymus capite III. Commentarii in epiſtolam ad Titum, *propterea quia Judæ Galilæi per illud tempus dogma adhuc vigebat; & habebat plurimos ſectatores*, qui nefas ſcilicet ducebant ethnicis ſubjici Principibus. Proclive eſt, maiores fuiſſe Judæorum in Palæſtina turbas anno Claudii XII. quo eos Roma expulit; quare in Dionis loco nil actum de Chriſtianis.

Fer-

Fertur Epicteti locus apud Arrianum diſſertatione II. capite 10. ubi ait: *Quum viderimus quempiam animo utrinque ancipiti, dicere ſolemus, Judæus non eſt, ſed ſimulat: quum autem ſuſceperit affectum baptizati & circumciſi, tunc revera eſt, ac appellatur Judæus.* ὅταν δὲ ἀναλάβῃ τὸ πάθος τοῦ βεβαμμένου, καὶ περιῃρημένου, τότε καὶ ἐστὶ τῷ ὄντι, καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος. Hoc ex loco confuſos cum Judæis ab Epicteto noſtros viri doctiſſimi arbitrati ſunt; ſed perperam profecto. Siquidem Proſelyti Judæorum, ætate adhuc illa, non circumciſione modo, ſed Baptiſmo æque donabantur; ut enim docet Cl. Collega meus, Regius ſacrarum literarum Profeſſor, Johannes Franciſcus Marchinius; poterant externi quilibet, quos Judæorum religionis ſtudium commoviſſet, ad eos ſe adjungere, voluntariam ſubire circunciſionem, totam Moyſis legem profiteri, & in grege oriundorum ex Iſraele annumerari. Hi Proſelyti erant *juſtitiæ & fœderis*, qui ſtatim a ſanata circumciſionis plaga BAPTIZATI recens in Dei populo naſci putabantur; quo ſpectavit Chriſtus Johannis III. Nicodemi Magiſtri in Iſrael ignorationem admiratus. Id antea tradiderant Grotius, Buxtorffius, Seldenus, Capellus, Druſius, Lightfootes, Pocokius, Mejerus, Hottingerus &c. &c. qui & morem BAPTIZANDI, a Judæis Proſelytos perſeveraſſe poſt Chriſtum oſtendunt; Johannes Reiskius præſertim in diſſertatione *de Baptiſmo Judæorum*, & Johannes Andreas Danzius, in *Baptiſmate Proſelytorum Judaico*, ubi eius cognitionem atque famam ad ethnicos perveniſſe oſtenſurus,

ſurus, allegato utitur Epicteti loco. Non videtur hic igitur noſtros cum Judæis confudiſſe.

Lucianus pariter creditur in dialogo de morte Peregrini plurima turbaſſe, noſtroſque cum recutitis confudiſſe, propterea quod quum de Chriſtianis aperte ſatis diceret, attamen immiſcet Scribas, Prophetas, Sacrificia, Synagogam, ac de Legislatore dicit, qui ſectatoribus præcepit ſuis, ut cunctos loco fratrum haberent: quo ſane dicendi genere Moyſen a Luciano ſignificatum nonnulli arbitrantur, & Chriſtianam ab ipſo legem cum Moſaica confuſam. In univerſa tamen illiuſmodi congerie nihil eſt, quod Chriſtianis primis non conveniat, quorum Synaxes appellatas fuiſſe *Synagogas*, Præſules autem *Scribas* & *Prophetas* appellatos, neminem ignorare arbitror. Certum vero eſt, Moyſen pro fratribus habendos eos modo ſanciviſſe, qui ex eodem genere ex Hebræis oriundi erant; quum Chriſtus ex oppoſito ſolus veruſque Legislator ille fuerit, qui ſancivit omnes homines, ceu ab eodem Deo & Patre derivatos, fratrum loco a fidelibus habendos. Heinc Tertullianus libro contra Marcionem IV. cap. 14. *Quamdiu intra Iſraelem erat Sacramentum, merito in ſolos fratres miſericordiam mandabat. At ubi Chriſto dedit gentes hæreditatem & poſſeſſionem terminos terræ, & cœpit expungi quod dictum eſt per Oſeæ, non populus meus, populus meus, & non miſericordiam conſequuta, miſericordiam conſequuta, natio ſcilicet; exinde Chriſtus in omnes legem paternæ benignitatis extendit, neminem excipiens in miſeratione, ſicut in vocatione.* Et vero ethnicos æque, ac in-

infideles ceteros, fuiſſe a noſtris FRATRES appellatos pulcherrimis oſtendit teſtimoniis in ſæpe allegato opere Cl. Mamachius; proindeque ſolum in noſtros mentem animumque intendebat Lucianus, neque tunc quidquam de Judæorum Secta cogitavit, quorum nemo in Judaiſmo perſeverans, aut Chriſtum coluiſſe, aut pro ipſius pati voluiſſe nomine, poterat exiſtimari. Adde, ethnicos ipſos ſæpeſæpius a Luciano ſimul cum Chriſtianis irriſos fuiſſe. Num igitur alios ab aliis religione ac moribus diverſiſſimos fuiſſe ſatyricus Samoſatenſis ignorabat?

Nos equidem ignoramus, cur *Judaica ſuperſtitio*, de qua Ulpianus *leg.* 3. §. *ult. de decurion.* Chriſtianæ ſocietati aptari debeat, aut poſſit; quum rectæ interpretationis, præſertim legum, canon princeps ſit proprietas verborum, cuius tenaciſſimus cuſtos fuit Ulpianus, cui fuere notiſſimi Chriſtiani. Superſtitio quidem dicta fuit Romanis in legibus Religio noſtra, non *Judaica* tamen *ſuperſtitio*. Sed nec ex quo aliquid collegio Judæorum legari non potuerit, ſequitur collegium eiuſmodi illicitum fuiſſe. Sunt hæ ſcilicet diverſæ admodum quæſtiones, de quibus Gothofredus in adnotationibus ad legem allegatam, & Cuiacius libro obſervationum VII. capite 30. Si quid tamen, ad oſtendendum ſolitos fuiſſe ethnicos confundere cum circumciſis Chriſtianos, præpoſtere adductum eſt, illud ſane fuit Rutilii Numatiani teſtimonium, quod integrum ita habet.

Reddi-

Reddimus obſcænæ convicia debita genti
Quæ genitale caput propudioſa metit,
Radix ſtultitiæ, cui frigida Sabbata cordi,
Sed cor frigidius religione ſua eſt.
Septima quæque dies turpi damnata veterno
Tamquam laſſati mollis imago Dei.
Cetera mendacis deliramenta cataſtæ
Nec pueros omnes credere poſſe reor.
Atque utinam numquam Judæa ſubacta fuiſſet. &c.

Quidnam hac in rerum ſerie aptari Chriſtianis poteſt? nihil ſane. Honorii ætate, poſt Stiliconis cædem, Romamque ab Alarico captam, quod fuit anno CCCCX. floruit Rutilius Claudius Numatianus, vir Conſularis, qui Præfecturam urbis adminiſtravit anno CCCCXIV. ut Voſſius admonet de Hiſtoricis & Poetis Latinis. Iniquum & virulentum habuit profecto, non in Judæos modo, ſed etiam in Chriſtianos animum, imprimis Monachos Capraria, & Gorgoniæ inſulæ; ſed noſtros a circumciſis quammaxime diſtinxit; nec fuit, aut eſſe potuit eo temporis, qui utroſque non diſtingueret. Quod ſi cauſſam inquiris, cur preſſos tunc a Judæis Romanos victores dixerit Rutilius? commodum eam adfert Tillemontius in vitis Imperatorum, articulo 55. animadvertens, ab anno CCCCIV. ad CCCCXVI. Honorio imperante plura fuiſſe lata in favorem Synagogarum, & Judæorum edicta, quæ ipſos potiori in conditione, quam qua fruebantur Gentiles, conſtituebant. Illis namque temporibus per ludibria legum modo opprimebantur Judæi, modo immo-

dicis

dicis donabantur privilegiis, quæ facilem exágerandi anſam ethnico Poetæ præbuerunt.

Sed omnia excutere adducta a Philologis loca permoleſtum eſt. Altius propterea res repetenda, quo & huic quæſtioni, ac univerſæ diſputationi noſtræ non mediocrem lucem afferamus. Diſtinguendus propterea ſtatus ac diſciplina Chriſtianorum ab Apoſtolica Eccleſia ad Marcum uſque Aurelium, & Commodum, a ſtatu & diſciplina, quæ veluti cœpit ab Aurelio, & Commodo, ad ætatem uſque Diocletiani, & ad finem tertii ſeculi. Quot quantæque jam Apoſtolicis fuerint temporibus Eccleſiæ, ab ipſis Apoſtolis fundatæ, ex uno patet earum alphabetico catalogo, quem ex ſcriptis ipſis Apoſtolicis contexuit Johannes Albertus Fabricius capite V. ſalutaris lucis Evangelicæ. Stupendum numerum vix crederes, niſi divinæ literæ fidem facerent. Illi autem ſyllabo ſi innumeras adieceris, quas idem auctor ſubdit ex traditionibus ac Patribus, vel ſi paucos ponas in cœtu quolibet fideles, immenſam vel tum habebis ſummam Chriſtianorum. Creviſſe vero quotidie rem Chriſtianam, ſeque ſe Salvatoris nomen ſecundi initio ſeculi in omnes prope mundi partes diffudiſſe, nemo certe dubitaverit: attamen infinita, ut ita dixerim, Chriſtianorum multitudo & copia, taliſque, quæ frequentiſſimos ubique cœtus conſtituere potuerit, a miraculo veluti repetenda eſt pluviæ exercitui Marci Aurelii a Chriſtianis impetratæ, ob quam pax & publica tranquillitas Credentibus conceſſa, quæ quum ſub Commodi imperio perſtiterit, fidelium nume-

numerum mirum auxit in modum, Euſebio teſte libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ V. capite 21. dum Commodus Romanum obtineret Imperium, ſcribente: *Res quidem noſtræ tranquilliore in ſtatu verſabantur, pace per Dei gratiam cunctas orbis terrarum Eccleſias complexa: atque interim ſalutaris Dei ſermo EX OMNI HOMINUM GENERE QUAMPLURIMOS ad religioſum ſummi Numinis cultum pertrahebat: adeo ut MULTI ex iis, qui ex urbe Roma genere atque opibus eminebant, ſimul CUM UNIVERSA DOMO ET FAMILIA ſalutem conſequuturi accurrerent.* Orta tunc proinde infinita illa Credentium copia, quam Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Euſebius ipſe, aliique celebravere.

Illud autem huic adjiciendum, ante illam aucti immenſum Chriſtianorum cenſus copiam, apud plurimos præſertim in Oriente Chriſtianos omnem prope exteriorem Eccleſiæ diſciplinam ad formam regiminis exterioris Synagogæ fuiſſe comparatam; perſeveraſſe etiam in pluribus Chriſtianis legales quaſdam obſervationes atque ritus; & *quia tum pene omnes Chriſtum Deum ſub legis obſervatione credebant*, ut de Credentibus Hieroſolymitanis inquiebat Sulpicius Severus libro II. Hiſtoriæ Sacræ capite 45. *ideo Chriſtiani ex Judæis potiſſimum putabantur.* Oppoſitum evenit dum ſub M. Aurelio, & Commodo deinde maxima eorum pars, qui, præſertim in Occidente, ad Religionem Chriſtianam convertebantur, Gentiles fuerant; quique odio quaſi naturali adverſus Judaicam gentem acti, judaicos ritus & obſerva-

Digitized by Google

tiones libentiſſime omiſerunt, anſamque ſanctiſſimis Eccleſiæ Præſulibus dedere, ut multos immo Gentilium ritus in maiorem Dæmonis confuſionem ethnicis ereptos, & ab omni purgatos ſuperſtitione, myſticaque ſignificatione donatos, in Eccleſiam inducerent; quare hæc a Synagoga tunc etiam rudiorum oculis diverſiſſima compareret; qua de re fidem facit Gregorius Nyſſenus in vita Gregorii Thaumaturgi, ne heic eos appellem, qui eam latiſſime oſtenderunt, Grotium, Witringam, Sanctium, Rhenferdium, Tentzelium, &c. &c.

Revertimur ad Tertulliani locum, ubi de noſtra ſecta dixiſſe Septimium vidimus, eam *ALIQUANTO NOVELLAM ET TIBERIANI TEMPORIS PLERIQUE SCIUNT*, nec iſtos ignorare, Chriſtianos *neque de victus exceptionibus, neque de ſolemnitatibus dierum, neque de conſortio nominis cum Judæis agere*. Subditque: *SED ET VULGUS JAM SCIT, CHRISTUM HOMINEM UTIQUE ALIQUEM, QUALEM JUDÆI JUDICAVERUNT.* Diſtinguit egregie Tertullianus inter cognitionem vulgus, & cognitionem plerorumque, opinor doctiorum, & civilis ſaltem eruditionis. Hi probe noverant, Chriſtianos innumeris de cauſſis diverſiſſimos fuiſſe a Judæis. Vulgus penitiorem non habens tot diverſitatum notitiam, noverat adhuc tamen, Chriſtianos illud veluti fuiſſe Judæorum genus, qui Chriſtum adorabant ceteris a Judæis cruci affixum. Opinionem igitur ponentem confuſos olim ab ethnicis fuiſſe Chriſtianos cum Judæis, ita tem-

temperandam exiſtimarim, ut id quidem apud rudiores obtinuerit prope ad Marci Aurelii, aut Commodi ætatem, dum adhuc exterior Eccleſiæ diſciplina ad Synagogarum normam videbatur comparata; ſecus tamen, ſi ſermo ſit de eruditioribus, poſtque Cæſarum, de quibus diximus, imperium, poſt innumeros Gentiles in Eccleſiam ingreſſos, poſt immutatam, & oppoſitam ritibus Judæorum, apud noſtros, diſciplinam, poſt generalia in noſtros edicta, quæ immunes Judæos relinquebant. Quis enim tunc vel de populo hærere, & utramque gentem confundere adhuc potuiſſet? Nemo ſane Romano ſaltem in imperio. Qui enim in Oriente legalibus diutius adhæſere Nazaræi, adeo Occidentalibus ignoti erant, ut de illis Auguſtinum epiſtola LXXX. docendum duxerit Hieronymus; neque eiuſmodi legalium obſervantes, ſed a veris Judæis proſcriptiſſimi, Chriſtiani, anſam Græcis, Latiniſque Scriptoribus dare potuerunt, ut Chriſtianam gentem cum Judaica confunderent.

His conſtitutis, pauca addimus ad Svetonii locum nonagenario de ſene inſpecto, an circumſectus foret. Loco illo quippe allegato, videri, inquiunt nonnulli, circumciſionis diſcrimine opus fuiſſe, ut Chriſtiani ne, an Judæi eſſent, dignoſceretur. Primum tamen haud video, cur heic ſit de Chriſtianis cogitandum, quum nil tale offerat obvius loci ſenſus, ac nativa interpretatio. Potuit quis in ſuſpicionem venire Judaiſmi, etiamſi Judæus non foret; aut eiuſmodi exiſtens, ne tributum ſolveret, originem diſſimulare; proinde-

que, quum judaicus fiſcus tunc acerbiſſime ageretur, imperata a Procuratore nonagenarii ſenis inſpectio. Porro, fidelibus diſcriminandis a Judæis, inutilis & ſupervacanea eſſe fortaſſe ætate illa potuiſſet tam obſcura Publicanorum diligentia. Quum enim Hadriano imperante id evenerit, & adhuc adoleſcentulo Svetonio, quo tempore plures jam circumciſi Chriſtiana tranſierant in caſtra, immo aliqui ex Oriente credentes, qui circumciſionem adhuc uſurpabant, agere Romæ potuiſſent; propterea ex ſolo illo corporis ſignaculo Gentiles certe tunc intelligere minus potuiſſent, quinam vere Judæi eſſent, quive potius Chriſtiani. Concedamus tamen fiſco judaico Præfectos, parum de profeſſionibus & ſymbolis fidei ſollicitos, ex ſolo corporis ſignaculo noſſe voluiſſe, Judæus aliquis foret, nec ne; quum revera Judæorum propria fuerit circumciſio, noſtrique, maximam partem, Romæ præſertim ac in Occidente, vel Hadriani tempore, ab illa abſtinerent: quid tum vero? num proinde noſtram cum judaica ſectam ethnici univerſim confundebant? minime ſane gentium; ſed immo diſtinguebant quammaxime, ac præcipue ob circumciſionem. Denique etiamſi Hadriani tempore utramque gentem, ut diximus, confundere fortaſſe potuiſſent, non tamen poſtea, univerſo exteriori noſtrorum habitu prorſus immutato, ac ætate illa, qua proprie immenſa eſſe cœpit multitudo Chriſtianorum.

Diligentiores revera ethnici Scriptores, quemadmodum Svetonius, & Tacitus, etſi obiter de Judæis & Chriſtianis primis ac antiquiſſimis dixere

xere, ipſorum tamen diverſitatem ſibi notam eſſe oſtenderunt. Eos modo ſuis damnabant in edictis Romani Imperatores, qui ſe CHRISTIANOS eſſe confiterentur. Plinius ſecundus ad Trajanum ſcribebat eos, de quorum copia querebatur, ſolitos fuiſſe *carmen CHRISTO, quaſi DEO, dicere ſecum invicem.* Qui loquens apud Lucianum inducitur præſtigiarum aliquid editurus, CHRISTIANOS procul eſſe imperabat. De Alexandro Severo ita Lampridius: *Clamabatque ſæpius quod a quibuſdam ſive Judæis, ſive Chriſtianis audiverat, & tenebat &c.* Galenus principio liri III. de differentia ſignorum, memoravit τοὺς ἀπὸ Μωσοῦ, ἢ Χριστοῦ, *illos qui a Moyſe, & a Chriſto.* Tangit & principio libri II. *Chriſtianos.* Equidem non negaverimus, etiam poſt regna M. Aurelii, & Commodi, Gentilium aliquem repertum iri, qui noſtræ religionis homines *Judæorum* nomine dehoneſtaverit, noſtraſque cæremonias *Judaica Sacra* appellaverit. Verum id ab eo factum, non quod utriuſque ignoraverit diſcrimen gentis; ſed ut iniuria, ludibrio, & contumelia noſtros ita afficeret, quemadmodum oſtendit Mamachius libro operis ſæpe allegati I. capite 2. §. 23. Sic noſtros paſſim *Galilæos* ethnici vocabant; Lampridius in vita Heliogabali *Chaldæos*; Themiſtius oratione XII. ad Jovianum *Syros.* Num Joviano imperante adhuc confuſi cum Iudæis Chriſtiani? Itaque ſi immenſo fuiſſe numero crediti, dictique fuere a Gentilibus Chriſtiani primorum temporum, ſique ab ipſis obſeſſam urbem queſti ſunt Gentiles, nilque in agris, in ca-

 ſtellis,

ſtellis, in inſulis magis eſſe quam Chriſtianos; ſi omnem ſexum, ætatem, conditionem, immo dignitatem, ad Chriſtum tranſgreſſam fuiſſe deploraverunt, quemadmodum ſuperiore capite oſtendimus; non ideo id factum, quia diſtinguere ſoliti non eſſent Chriſtianos a Judæis; ſed verius, quia noverant, ingentiſſimum jam fuiſſe ſecundo Eccleſiæ ſeculo, non fidelium hominum dicam, ſed etiam Chriſtianorum cœtuum incrementum.

CAPUT V.

Primorum Chriſtianorum copiam Ethnicis haud viſam fuiſſe maximam ob numerum Hæreticorum.

ANimadvertit Clarkſonus, Euſebium libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ IV. capite 11. ſcribere non dubitaſſe, quoſcumque primorum temporum ſectarios, *Chriſtianorum nomine* fuiſſe ab ethnicis donatos, Χριστιανοὶ καλοῦνται, Celſumque Epicureum apud Origenem libro contra ipſum III. hæc Chriſtianis obieciſſe: *Quum pauci adhuc eſſent, una ſententia erant: ſparſa autem eorum MULTITUDINE, ſtatim diviſi in partes ſecantur.* Hiſce animadverſis, minime mirum videri oportere ſubdit Anglus ſcriptor, ſi Gentilibus magna aliquando viſa fuerit Chriſtianorum copia, inter quos quum tot olim recenſerentur Gnoſtici, Marcionitæ,

Digitized by Google

nitæ, Cataphryges, atque Novatiani, a communione Catholica alieni, inde colligit, pauciſſimos fuiſſe, qui orthodoxo cum Presbytero, ſive loci Epiſcopo, tunc facerent; proindeque ætate illa opus haud fuiſſe variis Miniſtrorum ſacrorum ordinibus, aut Presbyteris uno in cœtu pluribus, quibus unus ab Apoſtolis derivato jure Epiſcopus præfuerit.

Aſt quantum hac etiam in re Clarkſonum ſua fallat ratio, dici vix poteſt. Ita namque Origenes Celſo reſpondebat: *Manifeſtum quidem eſt, paucos initio fuiſſe Chriſtianos, ſi comparentur cum MULTITUDINE, quæ ſequuta eſt;* ὅτι μὲν οὖν συγκρίσει τοῦ ἑξῆς πλήθους ὀλίγοι ἦσαν ἀρχόμενοι Χριστιανοί, *quamquam non omnino pauci erant. Ceterum videntur mihi Celſo in notitiam veniſſe quædam ſectæ, quæ ne Jeſu quidem nomen nobiſcum retinuerunt. Forte audivit de iis, qui vocantur Ophiani, & de Caianis, & ſi qua alia ſecta fuit, quæ a Jeſu per omnia recederet.* Quæ graviſſima reſponſio latiſſimum nobis campum aperit oſtendendi, Chriſtianorum copiam ethnicis haud videri potuiſſe maximam ob numerum hæreticorum.

Equidem, ſi de Apoſtolico ævo primum dicimus, hæc in illam ætatem laus ab Hegeſippo confertur, quemadmodum ex Euſebiana Rufini verſione animadvertunt viri præſtantiſſimi, quod, ſingulari Dei providentia, fuerit a violentiori & manifeſtiori hæreſeon incurſu libera; corruptoribus veritatis, ac Divini Verbi temeratoribus, aut nuſquam omnino exſtantibus, aut etiam, ſi qui forte fuerunt, in abditis & occultis terræ hiati-

bus, deliteſcentibus. Sunt qui Nicolaitas exſtitiſſe dubitent; ſunt qui omnino negent. Certum eſt, omnes ætatis Apoſtolicæ hæreticos, quamvis Eccleſiæ communione ob errorem ac hæreſim privatos, nulli tamen numeri alicuius ſectæ nomen dediſſe; neque tale genus, ac ſocietatem, aut cœtum conſtituiſſe hominum, ut eorum cauſſa dici ac ab ethnicis potuerint haberi maximo numero Chriſtiani.

Et vero, ut animadvertit celebris Georgius Bullus in judicio Catholicæ Eccleſiæ adverſus Epiſcopium capite quinto, conſtat, Simonianos, Cerinthianos, Ebionæos, ceteraſque primævas Eccleſiæ peſtes, non Romæ, ſed in Oriente, & in Aſia maxime, impia ſua dogmata ſparſiſſe. Heinc Ignatius in epiſtolis ad Eccleſias Aſiaticas conſcriptis hæreticos iſtos paſſim perſtringit: idem vero ad Romanos ſcribens, nullam in illa Eccleſia hæreſim reprehendit; immo ipſa ſalutatione Romanos diſerte laudat ob omnimodam fidei puritatem, atque hac præcipue de cauſſa Eccleſiam Romanam Tertullianus STATU FELICIOREM ECCLESIAM appellat libro de præſcriptione hæreticorum capite 36. De hæreticis vero agens, qui Chriſti Divinitatem negabant, & quos Juſtinus martyr memorat in dialogo cum Tryphone, ita idem Bullus, pag. 180. citati operis: *Satis aperte dixit Juſtinus, ipſos non modo a ſe diverſum ſenſiſſe, verum etiam a ſententia ac fide τῶν πλειστῶν MULTITUDINIS CHRISTIANORUM abiiſſe. Ac ſane qui Juſtini ætate Dominum noſtrum hominem tantum ex hominibus genitum*

nitum eſſe docuerunt, vel Carpocratiani, vel Cerinthiani, vel denique Ebionæi erant; qui in unum quaſi corpus collecti, PAUCISSIMI erant ad reliquos Chriſtianos comparati, omneſque ab Eccleſiarum Apoſtolicarum communione ſegregati fuerunt. Proindeque nulla erat ratio, quare eos, etiamſi cum veris Chriſtianis Gentiles confudiſſent, conſtituere proinde credidiſſent tamen ingentiſſimam, quam fatebantur, copiam Chriſtianorum.

Varios fateor in ramos ſeſe diſtraxerat ſecta Gnoſticorum, ſed hac eadem de cauſſa nec aliquos alicuius numeri cœtus, nec aliquam ſectatorum copiam conſtituere ſibi potuerunt. Non enim, quemadmodum veri Chriſtifideles, unum idemque ipſi ſentiebant; ſed pro eclecticiſmo, & ſyncretiſmo, quibus omnino laborabant, oppoſita omnes incidebant in ſomnia, diverſiſque agendi ac vivendi rationibus, diverſa utebantur diſciplina. Commodum de illis Tertullianus capite XLII. libri de præſcriptione hæreticorum; *Mentior, ſi non etiam a regulis ſuis variant inter ſe, dum unuſquiſque proinde arbitrio ſuo modulatur quæ accepit, quemadmodum ſuo arbitrio ea compoſuit ille qui tradidit. Denique penitus inſpectæ hæreſes omnes in multis cum auctoribus ſuis diſſentientes reprehenduntur.* Inde vero tanta recentiorum non modo, ſed etiam veterum obſcuritas, varietas, diverſitas, & apparens etiam antilogia, in erroribus hæreſeon eiuſmodi obſcuriſſimarum deſcribendis. Quum autem communem fidei profeſſionem non haberent, quemnam conſtituere cœtum, & congregare conventum potuiſſent?

Nul-

Nullum profecto, quemadmodum teſtabatur Tertullianus capite mox allegati operis XLIII. *Plerique nec Eccleſias habent, ſine matre, ſine ſede, orbi fide, extorres, ſine lare vagantur.* Capite ſuperiore animadverterat, eiuſmodi hæreticos de Gentibus Chriſtianæ fidei aggregandis numquam ſollicitos fuiſſe, quos ſcilicet ea cura modo tetigiſſet, ut Catholicos corrumperent, immiſſiſque pravæ doctrinæ ſeminibus adulterarent. *De Verbi autem adminiſtratione quid dicam*, inquit; *cum hoc ſit negotium illis non ethnicos convertendi, ſed noſtros evertendi? hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi jacentibus elevationem operentur: quoniam & ipſum opus eorum non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis deſtructione: ita fit, ut ruinas facilius operentur ſtantium ædificiorum, quam exſtructiones jacentium ruinarum.* Qui paullo ante Tertullianum ſcribebat Clemens Alexandrinus libro Stromatum VI. n. 15. ſibi obſtaculum obiicit Gentilium, qui propter hæreſium diſſenſionem alienos ſe a fide noſtra profitebantur; eiſque, inter cetera egregie illuſtrata, hiſce etiam regerit; ϗ ὥσπερ οὐδὲ μιᾶς μὲν τῆς βασιλικῆς τυγχανούσης κ. τ. λ. *Quemadmodum ſi una quidem ſit VIA REGIA, & multæ etiam aliæ, ex quibus aliquæ ferunt in præcipitium, aliquæ vero ad fluvium rapide fluentem, aut ad mare profundum, non dubitaverit quiſpiam viam ingredi propter diſſenſionem, ſed utetur VIA REGIA, & trita, & ſejuncta a periculo*, Χρήσεται δ' ἂν τῇ ἀκινδύνῳ, ϗ βασιλικῇ, ϗ λεωφόρῳ, *ita quum alii alia dixerint, non eſt diſcedendum a veritate, quæ in ANTIQUA EST*

EC-

ECCLESIA, ἐν τῇ ἀρχαίᾳ ἐκκλησίᾳ. Comparat Clemens Eccleſiam Catholicam cum via publica, regia, & militari; hæreticorum vero ſectas privatis cum ſemitibus, tramitibus, & callibus; itaque potiſſimum ex orthodoxis ingentiſſimus, quem ipſe celebrat, conſtitutus erat numerus Chriſtianorum.

Poſt Gnoſticos erupit Marcion, quem multos corrupiſſe ſcribit Juſtinus apologia II. & quorum de diſcipulis ita Tertullianus libro adverſus Marcionem IV. capite 5. *faciunt favos & veſpæ, faciunt Eccleſias & Marcionitæ.* Verum, quam miſer fuerit illorum ſtatus, ex capite 36. eiuſdem libri intelligimus, ubi ita Septimius: *Age Marcion, omneſque jam commiſerones, & coodibiles eius hæretici, quid audebitis dicere?* quorum inopiam & anguſtiam latius proſequitur libro V. cap. 10. & tandem capite 20. ita de iiſdem: *Quum & hodie MAIOR PARS SIT OMNIBUS IN LOCIS ſententiæ noſtræ, quam hæreticæ.* Marcionitas ſequuti ſunt Montaniſtæ, quorum paucitas, præterquamquod numquam credi poteſt auxiſſe oculis Gentilium cenſum Chriſtianorum; illud accedit maxime, Chriſtianos tamquam ingentiſſimum & immenſum conſtituentes numerum celebratos fuiſſe ab Irenæo, Juſtino, Clemente Alexandrino, ac Tertulliano, antequam Montani aſſeclæ apertum in ſchiſma irrupiſſent, ſeparatoſque collegiſſent a Catholicis cœtibus conventus. Pamphylus ſane Martyr, in apologia pro Origene, conſervata nobis voluit hæc antiquiſſimi illius Scriptoris verba: *Requiſiverunt ſane quidam, utrum hæ-*

reſim

reſim, aut ſchiſma oporteat vocari eos, qui Catha-phrygæ nominantur? Qua de re nil ab Origene reſponſum, quod, in primordiis, Montaniſtæ vix a Catholicis differrent, ut fuſe oſtendunt Rigaltius in judicio de Tertulliano, huius operibus præfixo, & Cardinalis Orſius in diſſertatione apologetica pro orthodoxia SS. Perpetuæ ac Felicitatis martyrum, adverſus Baſnagium capite 2., qui etiam in diſſertatione hiſtorica de capitalium criminum abſolutione ſectione II. capite III. digreſſione II. evincit, Tertullianum A.D. CXCVIII. adhuc cum Catholicis communicaſſe, proindeque nondum aperte erupiſſe ſchiſma Donatiſtarum. Jam vero quum Johannes Laurentius Moshemius in diſquiſitione Chronologico-Critica de vera ætate apologetici a Tertulliano conſcripti, Sigeberto Havercampo inſcripta, egregie ſapienterque, virorum cetera doctiſſimorum calculis refutatis, exaratum ipſum fuiſſe demonſtraverit A.D. CXCVIII. ſequitur, ethnicos jam acriter fuiſſe lamentatos de nimio, ac exundanti Chriſtianorum numero, antequam ille potuerit augeri a numero Montaniſtarum.

Poſt A. D. CC. ſeparatio tandem illa manifeſtiſſime erupit, ut ex operibus eiuſdem Septimii contra orthodoxos patet, illo tantum tempore exaratis. Verum, eo ne tunc etiam fuere Montaniſtæ numero, ut auctus videri propterea ethnicis potuerit fidelium cenſus? Minime profecto: quum de ſectæ ſuæ paucitate fidem faciat ipſe jam totus Montaniſta Tertullianus, libro de jejuniis capite 11. ſcribens: *Omnia autem iſta credo*

igno-

ignota eis, qui ad noſtra turbantur, aut ſola forſitan lectione, non etiam intentione comperta, ſecundum maiorem vim imperitorum, apud GLORIOSISSIMAM SCILICET MULTITUDINEM PSYCHICORUM. Et in libro de pudicitia capite 24. rurſus: *Et ideo Eccleſia quidem delicta donabit, ſed Eccleſia Spiritus, per ſpiritualem hominem, non Eccleſia NUMERUS EPISCOPORUM.* Ad quæ ita Rigaltius: *Paracleticam, ſive Montaniſticam ſuam paucitatem opponit MULTITUDINI CATHOLICORUM.* Denique libro de pudicitia capite 12. adducto contra Catholicos commate Pſalmi: Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, ſubdit: *Ut ſolus plures,* ad quæ denuo Rigaltius: *Iterum perſtringit Catholicos, & ſchiſma ſuum conſolatur, quaſi ipſe ſolus innocentia ſua vinctus inſtar plurium ſit apud Deum: quo ſenſu dixit alias, Eccleſiam eſſe in uno, aut in altero.* Cur, obſecro, qui Catholicus olim Septimius Eccleſiaſticam Hierarchiam ſtrenue prædicare viſus erat, apertum deinde lapſus in ſchiſma, eam floccifacere, immo oppugnare veritus non eſt, atque Eccleſiam in tribus eſſe perſonis ſomniavit? Certe, quia Catholici Epiſcopi Montaniſtas a communione repellebant; ipſi vero ſectæ ſuæ Epiſcopos non haberent, ut ab eruditiſſimis viris obſervatum eſt. Nulla igitur cœtuum & Eccleſiarum, ne dicam hominum, quantitas excogitari in Montaniſtis poterat, quæ reliquam conventuum fidelium copiam faceret auguſtiorem.

Mon-

Montaniſtas Novatiani excepere, qui licet tanta, qua illi, ſolitudine non laboraverint, ii non fuere tamen, ex quibus facta credi ab ethnicis potuerit immenſa Chriſtianorum multitudo. Adverſus Novatianos librum de unitate Eccleſiæ ſcripſit Divus Cyprianus, in cuius limine hæc habuit: *Quid vero aſtutius, quidve ſubtilius, quam ut Chriſti adventu detectus & proſtratus inimicus, videns idola derelicta, & per NIMIUM CREDENTIUM POPULUM ſedes ſuas, ac templa deſerta, excogitaverit novam fraudem, ut ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos? Hæreſes invenit & ſchiſmata, quibus ſubverteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet unitatem.* Quam belle immenſam fidelium copiam ſeparat & diſtinguit ſanctus Pater a ſuperaddita fæce hæreticorum! Antequam igitur ſererentur, diffunderenturque per orbem hæreſes, teſte Cypriano, erant idola generatim derelicta, & per NIMIUM CREDENTIUM POPULUM, ſedes Dæmonis, ac templa Numinum deſerta; nec niſi jam propagato Eccleſiæ corpore, ſchiſmaton ac hæreſeon vulnera ſupervenere; fulgebatque illud adeo, & copia enitebat ſua, ut propriam a ſegregibus illis amplitudinem minime mutuatum fuiſſe intelligatur. Tanta vero obſcuritate laboravere primum Novatiani, ut Orientalibus vix noti fuiſſe videantur, quum omnibus Eccleſiaſtica in hiſtoria innutritis notum ſit, Græcos Scriptores Novatianum ipſum cum Novato confudiſſe; & quamvis poſtea Novatianiſmus, aliquas Orientalibus quoque in Eccleſiis concitare turbas pertentaverit, qui

eo

eo tamen commoti fuerant, breviſſimo tempore ad mentem rediere, ut ex epiſtola diſcimus Dionyſii Alexandrini ad Stephanum Romanum Pontificem, apud Euſebium libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ VIII. cap. 5. ubi inter cetera inquit: *Scias autem, frater, cunctas per Orientem, & alterius poſitas Eccleſias, quæ prius erant diſciſſæ, nunc tandem ad unitatem reverſas eſſe, & omnes Eccleſiarum ubicumque Antiſtites unum idemque ſentire, & ob redditam inſperato pacem incredibili gaudio exultare: Demetrianum ſcilicet Antiochiæ, Theoctiſtum Cæſareæ, Æliæ poſt mortem Alexandri Mazabanem, Marinum Tyri, Laodiceæ vero, poſt Thelimidis obitum, Heliodorum, Helenum Tarſi, cunctaſque Ciliciæ Eccleſias: Firmilianum denique cum univerſa Cappadocia. Solos enim Epiſcopos illuſtriores nominavi, ne forte epiſtola noſtra prolixior, & oratio moleſtior redderetur. Syriarum quidem Provinciæ omnes cum Arabia, Meſopotamia quoque, Ponto, & Bithynia: ac, ut uno verbo abſolvam, OMNES UBIQUE TERRARUM lætitia geſtiunt ob hanc concordiam fraternamque charitatem.* Haud potuere igitur in Oriente ſe ſe proferre, aut radices agere Novatiani. Quamvis enim Annaliſta Cyprianicus ad A. D. CCLVII. & Valeſius in adnotationibus ad allegatum Euſebii teſtimonium, talem totius Novatianiſmi ab Eccleſiis Orientalibus eiectionem non ſtatim a ſedata perſequutione, vel ea jam levius incumbente, ſed paullo poſt, accidiſſe arbitrentur; attamen ſi animadvertimus, epiſtolam Dionyſii citatam ad Stephanum ſcriptam fuiſſe, Cornelii poſt Lucium ſucceſſorem, proindeque

paullo

paullo poſtquam vel in ipſo Occidente eruperat Novatianiſmus, intelliget quiſque, hæreſim illam vix exortam in abditos anguſtoſque angulos fuiſſe illa ſaltem ætate ablegatam. Amplior haud fuit ſtatus Donatiſmi, ut ex Optato Milevitano patet, libro II. de ſchiſmate Donatiſtarum, ita eos arguente: *Ergo ut in particula Africæ, in angulo parvæ regionis, apud vos eſſe poſſit Eccleſia: apud nos in alia parte Africæ non erit? in Hiſpaniis, in Gallia, in Italia, ubi vos non eſtis, non erit? ſi apud vos tantummodo eſſe vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Mæſia, Thracia, Achaia, Macedonia, & in tota Græcia, ubi vos eſtis, non erit? ut apud vos eſſe poſſit, in Ponto, Gallatia, Cappadocia, Pamphylia, Phrygia, Cilicia, & in tribus Syriis, & in duabus Armeniis, & in tota Ægypto, & Meſopotamia, ubi vos eſtis, non erit? Et per tot innumerabiles Inſulas, & ceteras Provincias, quæ numerari vix poſſunt, ubi vos eſtis, non erit?* Eiuſmodi dici jure poterant de ſuperioribus omnibus hæreticis, quorum alii tantum in Oriente, alii ſolo in Occidente, plurimi in aliquibus modo terrarum angulis, veneno ſuo paucos ſegreges, brevique tempore, infecerunt.

Nam ſi indolem naturamque dogmatum, nec non principia, & rationem agendi conſideramus Gnoſticorum, Marcioniſtarumque, Montaniſtarum, & Novatianorum, hiſce præſertim de cauſſis manifeſtum erit, non potuiſſe ſectas illas, niſi ſumma hominum ac ſectatorum inopia laborare. Quid enim obſecro in vitam actionemque, ſolatium & purgationem hominum influere comple-

xio

xio illa rerum, notionumque inter ſe diſcordium poterat, quam Gnoſtici, cuiuſcumque fuiſſent demum generis ac dogmatis, inſana cogitatione proponebant? quidnam percipere, imo cogitare vulgus poterat, dum ſexcenta, nec ab acutiſſimis omnino intellecta, & prorſus barbara Baſilidianorum nomina audiebat, aut fabuloſa Eonum Valentinianorum portenta, aut deliria Marcionis? heccine aliquam ad ſe trahere diſcipulorum copiam potuiſſent? Porro quam durum & aſperum eſſet illud vivendi genus, quod conſectabantur Montaniſtæ, ignorat arbitror nemo, ac ex triſtioribus Tertulliani ſcriptis ſatis patet. Quemadmodum enim prope priores illæ peſtes, & Gnoſticorum ſectæ, matrimonium vehementiſſime damnabant; ita ſecundas Montaniſtæ nuptias; proindeque, uti prioribus illis mortalium inſaniſſimis, & in humani propagationem generis furentibus; ita poſterioribus etiam iſtis, pauciſſimos adhærere debuiſſe, ratio & natura ipſa, immo hiſtorica narratio ſatis manifeſtant. Quum vero lapſis nullam eſſe pro Eccleſiæ poteſtate ſpem ſalutis aſſererent Novatiani, nec unam niſi pœnitentiam, nullam erga eos, qui poſt baptiſmum deliquiſſent, adhiberi oportere ab Eccleſia miſericordiam, quî multitudinem hominum congregare potuiſſent? Utique, quum nullum tam potens Chriſtianæ fuerit illicium ſectæ, quam ſpes & fiducia purgationis animæ, quam ſe mortales per Baptiſmum obtinere, ac pœnitentiæ ritibus recuperari poſſe in Eccleſia confidebant, quotuſquiſque eſſe potuit, qui ſemel poſt Baptiſmum

 lapſus,

lapſus, non ſtatim quæſiverit Catholica in Eccleſia remedium, ſecundamque poſt naufragium tabulam, veniam commiſſorum ſcilicet, nomine, vice, loco, & auctoritate Chriſti ab Eccleſiæ Paſtoribus largiri ſolitam? Fateor Novatianos quoque virtutem atque opera urſiſſe pœnitentiæ, hortatoſque fuiſſe peccatores, operam ut darent, an fortaſſe a Deo impetrare ſibi veniam delictorum poſſent. Verum, quamnam Præſules Novatiani trahere ad ſe plebis copiam potuiſſent, cui communionem & pacem impertiri ſe non poſſe faterentur? quamnam, præſertim ante Conſtantini ſucceſſores, talium habere Præſidum rationem fideles debuiſſent, a quibus, poſt Baptiſma peccatis iterum obnoxii, nullis lacrymis, & precibus, nullaque pœnitentia, Eccleſiaſticæ beneficium communionis impetrare potuiſſent? Solitudine igitur, ætate præſertim perſequutionis, & lapſorum, laboraverint oportet Novatiani: quorum & ſolitudo & paucitas in cauſſa æque fuerint vehementiſſime amplificati orthodoxorum ubique gregis & numeri, quod reſpicere viſus eſt Julianus, jam allegato loco, ubi ſcripſit: *Quiſquis mulierum corruptor, quiſquis homicida eſt, quiſquis piaculo, aut execrando ſcelere ſe ſe obſtrixit, fidenter adhuc adito: etenim ſimul hac aqua ablutus fuerit, illico ego eum purum reddam: quod ſi iiſdem ſe RURSUS FLAGITIIS CONTAMINAVERIT, efficiam, uti tonſo pectore, & capite percuſſo expietur*; nullam propterea habens Auguſtus Novatianorum, eorumque cœtuum rationem, ac ſi nulli penitus fuiſſent. Vidimus porro

ex

ex Tertulliano hæreticos præſertim priores de Gentibus Chriſtianæ fidei aggregandis nil ſollicitos fuiſſe, ſed tantummodo de corrumpendis veris Chriſtianis. Si tamen una animadvertimus quod teſtatur Irenæus, libro contra hæreſes III. cap. 4. ita veros fideles actos fuiſſe, *ut ſi quis ipſis annuntiaverit ea, quæ ab hæreticis adinventa erant; ſtatim concludentes aures, longo longius fugerent, ne audire quidem ſuſtinentes blaſphemium colloquium*; quid aliud inferre jure poſſumus; niſi hæreticorum ſectas neque ex Gentilibus, neque ex veris Credentibus ad eas tractis, talem efficere cenſum potuiſſe; ut noſtri, eorum cauſſa, maximo, nimioque numero habiti a Gentilibus fuiſſent.

Ait jam vero, non inficiamur, Euſebius, primos etiam hæreticos appellatos fuiſſe Chriſtianos a Gentilibus, immo eorum mores obtrectandi calumniandique Evangelii materiam ſubminiſtraſſe. Verum quidnam ſtatim eodem libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ IV. capite 7. addit Præſul Cæſarienſis? Iſtud profecto: *Sed hæ Dæmonis artes, nequaquam diuturnum tempus ei proceſſere. Quippe quum ſeipſam veritas adſtrueret, & commendaret; progreſſuque temporis clarius in dies illuceſceret; adverſariorum inventa a ſemetipſis confutata, confeſtim exſtincta ſunt: aliis ſuper alias exorientibus ſectis, quum priores adhuc diffluerent, ac in multiplices & multiformes errorum ſpecies vario quæque modo evaneſcerent. Catholica autem Eccleſia, quæ ſola vera eſt, ſemperque ſui ſimilis, & conſtans, NOVIS QUOTIDIE INCREMENTIS AUGEBATUR, gravitate, ſinceritate, & libertate, modeſtia denique*

que & ſanctitate vitæ cuiuſdam, philoſophiæque divinæ, omnium oculos non Græcorum modo, verum etiam Barbarorum perſtringens; ἔμεινε δὲ μόνη ἄρα παρὰ πᾶσι κρατῦσα, *manſitque diſciplina noſtra SOLA OMNIUM CONSENSU SUPERIOR ET VICTRIX, ac præ reliquis ſectis modeſtia, gravitate, divinæque præceptis ſapientiæ, excellere ab omnibus judicata: adeo ut exinde ad noſtra uſque tempora nemo ſit auſus ullam infamiæ labem fidei noſtræ aſpergere, aut aliquam euiſmodi calumniam inferre, qualem veteres illi Religionis hoſtes jactare conſueverant.* Hucuſque Euſebius.

Valeſius in adnotationibus ad hunc locum illuſtranda ſibi ſumit verba μόνη παρὰ πᾶσι κρατῦσα, indeque factum fuiſſe ait, ut Chriſtiana Religio a Gentilibus tandem appellata fuerit PRÆVALENS SECTA, & Chriſtiani κρατῦντες PRÆVALENTIS SECTÆ HOMINES dicerentur. Ita Damaſcius in Iſidori vita pag. 1058. de Petro Mongo Alexandriæ urbis Epiſcopo ſcripſit: ὁ δὲ τῶν κρατῦντων τῶν δόξων ἐπισκοπεῖν ἐιληχὼς ὄνομα πέτρος, ἀνήρ. *Is vero, qui prævalentis Religionis Epiſcopus erat &c.* Idem rurſus de Ammonio loquens: *Paciſcitur cum eo, qui tunc temporis prævalentis erat ſectæ*, τὸν ἐπισκοπῦντα τὸ τηνικαῦτα τὴν κρατῦσαν δόξαν. Sed & idem Damaſcius apud Suidam in voce σεβηριανὸς inquit: *Huic Zeno Auguſtus maximam ab Imperatore dignitatem promiſit*, ὁ γένοιτο τῶν κρατῦντων, *dummodo prævalentis ſectæ*, hoc eſt, *Chriſtianus fieret.* Porphyrius, longe ante Damaſcium, in libro de oraculorum philoſophia, cuius locum adduxit Euſebius libro IX. præpara-

 tio-

tionis Evangelicæ capite 10. ac Theodoretus libro I. de curatione Græcanicæ ſuperſtitionis, homines prævalentis Religionis κρατοῦντας appellavere; quemadmodum auctor quæſtionum & reſponſionum ad orthodoxos inter opera Juſtini, quæſtione CXXVI. *adhuc vigente Gentilium cultu*, κρατοῦντος τοῦ Ἑλληνισμοῦ. Hinc vox Nicæna in Synodo audita: τὰ ἀρχαῖα κρατείτω. Uſus eſt ea voce ſæpenumero Chryſoſtomus; uſus eſt & Julianus in Miſopogone, ubi quum ſe Daphnæum Apollinis templum purgari curaſſe, indeque mortui, hoc eſt, Babylæ martyris, reliquias auferri juſſiſſe narraſſet, hiſce proſequutus eſt verbis: *Meam orationem Deus teſtimonio confirmavit ſuo; quod utinam numquam feciſſet, neque ſuburbium tam multis annis ſervatum deſeruiſſet; ac potius in illa tempeſtate ac procella mentes POTENTIORUM avertiſſet, manuſque cohibuiſſet.* ἐν ἐκείνῃ τῇ ζάλῃ τρέψας ἀλλαχοῦ τῶν κρατούντων τὴν διάνοιαν, καὶ τὰς χεῖρας βιαζόμενος. Hæſit heic aqua viro ceterum maximo, Petavio, dum in adnotationibus ad hunc locum ſubdidit: *Non ſatis explicatum mihi eſt, qui nam ſint* κρατοῦντες *illi; niſi cuſtodes loci Genios intelligat: quorum ſedulitatem ac vim divina potentia fruſtrata eſt; quæ ut Antiochenſes ulciſceretur, incendium illud immiſit.* Non recte profecto. Siquidem κρατοῦντες, de quibus heic Julianus, non alii, quam Chriſtiani erant, qui ut paullo ante Auguſtus ipſe dixerat: *Daphnæum templum inflammaverant*: τὸ πῦρ ἐνῆψαν ἐκεῖνο, quoſque eo nomine donabat, quia numeroſiores præſertim Antiochiæ erant, idcirco prævalentes, ac poten-

 tio-

tiores. Quamvis vero hæc nomina κρατῦσα, & κρατῦντες, de ſecta uſurpata paſſim fuerint, deque iis, qui Principes habebant ſacrorum conſortes, quare ſint, qui eo etiam nomine librum quæſtionum ac reſponſionum ad Orthodoxos Juſtino martyri abiudicent, quod mentio in eo fiat κρατῦντος Chriſtianiſmi; aſt certum eſt, Euſebium noſtros PRÆVALENTEM SECTAM appellaſſe reſpectu hæreticorum, qui prima ætate errores diſſeminaverant; Orthodoxos quippe cum ſectis illis conferebat, illorumque copiam, dignitatem, ac decus, iſtorum obſcuritati paucitatique antepoſitam fuiſſe tradebat. Quomodo igitur ob numerum hæreticorum ingens viſa fuiſſet univerſim ethnicis fidelium multitudo?

Hoc ipſi inficiati ſunt quodammodo Gentiles, qui Catholicos, ſive Catholicam Eccleſiam ut a conventiculis hæreticorum diſtinguerent, MAGNAM ECCLESIAM appellabant. Sunt enim hæc Celſi, qui nobis obiiciebatur, maximi profecto gloriæ Chriſtianorum hoſtis, verba apud Origenem libro contra ipſum V. num. 59. *Ergo idem Deus, Judæorum eſt, & Chriſtianorum; quippe id MAGNA ECCLESIA aperte confitetur.* τῶν ἀπὸ μεγάλης Ἐκκλησίας τῦτο ὁμολογῦντων, *quæ etiam admittit ut vera, quæ Judæi commemorant de ſex diebus &c.* ad differentiam eorum, qui extra MAGNAM ECCLESIAM, alium ſibi, alium fuiſſe Judæis Deum ſomniabant. En Celſum igitur Orthodoxorum cenſum, ob ingentem fidelium numerum, & in oppoſitionem paucitatis hæreticorum, MAGNÆ ECCLESIÆ nomine hone-

ſtan-

ſtantem: propterea niſi non ſunt ethnicis maximo fuiſſe numero fideles ob ingentem numerum hæreticorum.

Vix vero ſuſpicari poſſum, futurum fore hodierna die aliquem, qui adverſus maximam veterum Catholicorum copiam obiicere locum vellet auctoris quæſtionum ac reſponſionum ad Orthodoxos, qui inter opera Juſtini martyris ædi ſolet. Quæſtione ille I. certæ inſtar exploratæque rei ſtatuit; *Orthodoxos, qui ſoli ſunt Deo grati, Gentilibus, Judæis, & omnibus Hæreticis non modo numero non pares fuiſſe, ſed etiam pauciores.* Quærens propterea, an non inutilis fuerit Judaici cultus abrogatio, quum multa adhuc ſeductio mundum detineret; quietum minime ſollicitat exiguus, quem præconcipit, Orthodoxorum numerus; ſed rem concedit non invitus, illucque confugit, ut Catholici de paucitate gregis prædictum fuiſſe contendat, dum Chriſtus inquit: *multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Verum qui eiuſmodi ex homine conſtituere ſe poſſe crederet, Orthodoxos primis Eccleſiæ temporibus inferiores numero hæreticis fuiſſe, vehementiſſime erraret. Primo ſiquidem Juſtinum illius operis auctorem non fuiſſe, adeo inter omnes convenit, ut id probare, eſſet quam maxime otioſum. Deinde poſtremus ſancti martyris editor Maurinus, admonitione in illud prævia, quinto tantum ſeculo fuiſſe concinnatum oſtendit, intra tempus, quod ab eiectis Pelagianis Epiſcopis ad turbas Neſtorianæ hæreſeos effluxit, apertumque Pelagianum fuiſſe illius operis auctorem ſexcentis probat ar-

gumentis atque teſtimoniis, inter quæ allegatam quæſtionem, immo reſponſionem non omittit, ſcribens: *Orthodoxos ergo minime intelligebat eos, qui in Eccleſia Catholica ultra Romani Imperii fines porrecta Apoſtolicam doctrinam, uno ore & animo profitebantur*; *horum enim MULTITUDINEM miratus fuiſſet*; *ac cum ea ethnicos, Judæos, & hæreticos, ne ſimul quidem collectos, conferri poſſe judicaſſet*; *ſed neceſſe eſt, ut Orthodoxorum numerum recidiſſe exiſtimaverit ad parvam illam Pelagianorum manum, quæ tot Nationum unanimem conſenſum in maximis rebus aſſeverandis, & defendendis, argumentum erroris eſſe ducebat.* Paucitas igitur Orthodoxorum, apud auctorem hunc, erat revera exiguus Pelagianorum numerus, & hæreticorum multitudo numerus erat maximus Orthodoxorum, ut ex ipſius verbis & ſenſu Editor Cl. iterum evincit in obſervationibus ad quartam, & ad centeſimam quæſtionem.

CAPUT

CAPUT VI.

De Chriſtianis veteribus reſpectu Gentilium occultis.

QUamvis ethnici tam candide & aperte proteſtati ſint, maximam fuiſſe primorum copiam Chriſtianorum, arbitror tamen, non omnem iſtorum cenſum illis ubique & ſemper cognitum fuiſſe, ſed maiori adhuc, quam quo Gentilibus videbatur, numero fuiſſe noſtros, innumeroſque tum perſequutionis, tum pacis etiam tempore, occultos, de quibus, quemadmodum nulla requirebatur, ita nulla facta eſt, aut reliqua eſſe potuit in monumentis illorum temporum memoria. Nam etiamſi probe noſſent Chriſtifideles, nullo umquam caſu, vitandæque etiam mortis cauſſa, fas fuiſſe ſibi corde retentam fidem dicto factöve inficiari, aut falſam ſimulare religionem; quare horrerent helceſaiticam perfidiam; quin immo quamvis intelligerent, teneri ſe pro Chriſti præcepto fidem exterius etiam profiteri: quod utique coram fratribus ſuis, ac Præſulibus præſtabant: iidem tamen ſimul noverant, adactos ſe ad publice conteſtandum Chriſtianum nomen coram Gentilibus ſolummodo fuiſſe aliquo in loco, aut aliquo etiam tempore, quando ſcilicet per omiſſionem Chriſtianæ profeſſionis neceſſarius ac eximius honor Deo debitus ſubtraheretur, aut proximus ita fuiſſet ſpirituali ſingularique commodo privatus, ut nullo alio tem-

tempore, nullo alio in loco potuiſſet ipſi provideri. Docebantur itaque Chriſtiani interrogatos quidem ſe a poteſtate publica & a judice ſuam proteſtari fidem debuiſſe; non autem ſemper, ubi de religione neque interrogarentur a privatis; neque enim erubeſcit Chriſtum, niſi qui ipſum non confitetur quandò tenetur eum confiteri; jubebanturque fideles ab iis quidem abſtinere, quæ proteſtativa erant cultus idolorum, non autem ab adiaphoris, niſi ſcandalum immineret; quemadmodum de idolothytis docuerat Apoſtolus I. ad Corinthios 8. & 10. licere propterea arbitrabantur, æquuum immo ducebant, fidem aliquando occultare, ne hoſtibus occaſio inquirendi de religione præberetur. His vero conſtitutis, ſibi quiſque facile perſuaſerit, innumeros eſſe oportuiſſe occultos Gentilibus primo illo tempore Chriſtianos.

Et primum ſi de locis & annis agimus, quibus nulla ſæviebat perſequutio, ea erat maioris Chriſtianorum partis vivendi ratio, ut quoad leges ſanctiſſimæ religionis ſinerent, in civili & ſociali vita vix eſſet aliquid, quo a probis & honeſtioribus ethnicis diſtinguerentur, &, ut inquiebat in Apologetico ſuo Tertullianus: *adeo in quiete, ſilentio, & modeſtia agentes, ut ſinguli magis noti eſſent, quam omnes.* Si quando igitur in noſtros inquiri non jubebant Imperatores, videtur maxima ſaltem Credentium pars potuiſſe privatim, & occulte ſuam colere religionem, quin ethnicis comperti eſſent, præſertim iis, qui de ceterorum cogitandi, agendique ratione ſolliciti

non

non erant. Quod enim noſtri templa non adirent, vix eſt ut cogitemus, fuiſſe Chriſtianæ profeſſionis apud ethnicos indicium. Num enim cogitas Gentiles omnes templa frequentare, publicisque & communibus precibus Deos fatigare ſuos conſueviſſe, etiam dum nullo Magiſtratu, nullo fungebantur Sacerdotio? Tertullianus capite apologetici XXI. commodum ſcribebat: *Sed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſeculo neceſſarii, aut ſi Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares.* Utique ἐμφατικῶς, ſed quibus intelligitur, omnes, prope dixerim, privatæ conditionis homines, qui nulli adacti erant dignitati aut magiſtratui in Republica, nullis muneribus aut officiis in religione ethnicorum, quemadmodum nullius, ut Epicurei, ita eius, quem maluiſſent, dum nulla ſæviebat perſequutio, eſſe privati occultique cultus potuiſſe, ac propterea clam & quiete agentes, ſuæ adhærere potuiſſe religioni, quin cogniti ethnicis fuiſſent.

Id evincit factum, cuius occaſione Tertullianus librum ſcripſit de corona. Quum enim Severi, & Aurelii Cæſarum ſolennia peragerentur Romæ, miles quidam amplexus fidem Chriſti acceſſit ad Tribunum, qui donativum cuique erogabat, laureamque caſtrenſem, quam ceteri in capite, hic in manu geſtabat; qua de cauſſa, poſt ictus bene multos, in carcerem truditur. Tale militis facinus Commilitones etiam Chriſtiani, tamquam imprudentis & præcipitis, & intempeſtivæ fortitudinis exemplum vituperavere; deque eo ſermones habiti, ut de abrupto, &

præ-

præcipiti, ac mori cupido, qui quum corona utens potuiſſet occultari, ſeque alioſque in periculum imprudens commiſiſſet. Eas voces caſtigaturus Septimius allegatum concinnavit opus, in quo rationem cogitandi, & agendi plurium tunc temporis fidelium nobis manifeſtat, inquiens ſcilicet: *Exinde ſententiæ ſuper illo; neſcio an Chriſtianorum, non enim aliæ ethnicorum, ut de abrupto, & præcipiti, & mori cupido, qui de habitu interrogatus, nomini negotium fecerit: ſolus ſcilicet fortis, inter tot fratres commilitones, ſolus Chriſtianus. Plane ſupereſt, ut etiam martyria recuſare meditentur, &c.* Vides Montaniſticum furorem, fugam in perſequutione, & occultationem fidelium, reprobantem, ſed a Catholicis ceteris prudenter uſurpatas. Sic nonnullos, qui antea Sacerdotes Numinum in Hiſpania fuerant, ac poſtea nomen Chriſto dederant, Sacerdotalibus uſos adhuc coronis ex canone LV. Concilii Illiberitani intelligimus, cuius Patres, tametſi in ſeveritatem procliviores, leviſſima eos caſtigavere pœnitentia, propterea quod illi, ſe ſe ethnicis occultandi cauſſa, id arbitror feciſſent. Aliqui quidem coronis abſtinebant, ut refert Minutius Felix in Octavio; ſed plures, ubi mos ferebat, variis lectorum etiam florum frondiumque coronis utebantur, quos propterea citato opere criminabatur Tertullianus, interrogans Chriſtianum, an coronam ſpinarum pati Chriſtus voluiſſet, *ut tu nunc & lauro, & olea illuſtri aliqua fronde, & quod magis uſui eſt, centenariis quoque roſis de horto Mydæ lectis, & utriſque liliis, & omnibus violis*

lis coroneris? Quo nam tuus te, Tertulliane, æſtus rapit? nonne antequam a moderatione Catholica diſcederes, tumetipſe Chriſtianos celebraveras, quod altiſſima dum ſaperent, civiliter tamen viverent, eiuſdemque cum ceteris forent victus, habitus, inſtructus?

Perſequutionum vero tempore diligentioribus utebantur cautionibus fideles, ſive fuga celeri, ſive mutatione veſtium, quemadmodum de Philippo Arabe ait Huetius libro Origenianorum I. capite 3. quem *Imperatoris inſignibus detractis*, Chriſtianorum cœtui interfuiſſe ſuſpicatur. Quot quantique, ut ſe ſe a perſequutorum cognitione ſubtraherent, veſtes mentiti in hiſtoria Eccleſiaſtica leguntur! Ruſticabantur alii, ut tutius occultarentur. In actis SS. Epipodii, & Alexandri martyrum, apud Ruinartium, furor Gentilium adverſus Chriſtianos dicitur *præcipue in urbe Lugdunenſi debacchatus, in qua pro ſui magnitudine quanto maiores degebant populi, tanto etiam Gentilium copioſior rabies æſtuabat: Judices, Officiales, Tribuni, milites, vulgus.* Magnarum propterea lucem urbium occultari volentibus aliquando ſatis fuiſſe reor, quin latebras omnino quærerent, anguſtias, & ſolitudinem locorum. Qui vero in urbium frequentia remanere cogebantur, ſecretas & arcanas quaſdam uſurpabant notas, iiſque utebantur ſignis, quibus dum ſe invicem notos facerent, hoſtibus ignoti remanerent. Epiſtolam ad Dominicum Georgium ſcripſit vir Cl. Alexius Symmachus Mazochius, veterem inſcriptionem Chriſtianam paucos ante annos in

Cœ-

Cœmeterio Prætextati via Appia detectam illuſtraturus, ubi inter cetera inquit. *Veterum virorum eruditorum querelæ de Chriſtianarum inſcriptionum obſcuritate, non aliam magis idoneam cauſſam afferre mihi videor poſſe, quam ſacroſanctam arcani diſciplinam, qua per illa priora ſecula Religionis myſteria celabantur. Ea, inquam, diſciplina in Chriſtianorum epitaphiis mire prorſus ſe prodit, in quibus non tantum Chriſti nomen obſcura monogrammatis nota obtegitur, verum etiam eius ſanctiſſimæ ſectæ cultores ſive per ſcalpta navis, anchoræ, oleæ, columbæ, & quæ ſunt plura eiuſcemodi HIEROGLYPHICA SYMBOLA deſignabantur, ſive per conſuetum illud, ſed tamen notionis incertæ, BENEMERENTIS vocabulum, cui etiam pacis vocem plerumque adiungebant, ſed quanam potiſſimum intelligentia nonniſi initiatis, NON ITEM EXTERIS, aſſequi promtum erat...... Videtur tituli huius auctor ſtudioſe ÆNIGMATA conſectatus; atque id operam dediſſe, ut crucem, ſi non ſymmyſtis ſuis, (qui probe hunc morem callebant) at certe GENTILIBUS, & poſteritati figeret.* Quo quidem in teſtimonio veritati litat Vir doctiſſimus, dum de impervia agit ſignificatione notarum eiuſmodi, ſymbolorum, & ænigmatum, quæ arcano conſcripta ſenſu experti faſſique ſunt Aringhius, Fabrettus, Ciampinus, ceterique Chriſtianarum antiquitatum peritiſſimi. Acutius occultorum eiuſmodi ſignorum finem aſſequutus eſt Cl. Antonius Maria Lupius, diſſertatione III. inter philologicas & antiquarias, dum ea primis a fidelibus uſurpata fuiſſe docet,

non

non tantum divina ut myſteria, ſed magis ut ipſos ſe Gentilibus celarent, dum per eadem initiatis tantum innoteſcerent. Exemplum ponit in voce **ΙΧΘΥΣ**, quam veluti arcanam notam non modo in tumulis inſculpere, ſed in anulis præcipue geſtare conſueverant; dum enim literæ vocis una ſumebantur, *piſcem* ipſa denotabat, per alluſionem ad Tobiæ piſcem, qui figura fuit Salvatoris noſtri; dum vero tamquam initiales ſeparabantur, erat eorum ſenſus: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ. *Jeſus Chriſtus, Dei filius, Salvator.* Aliis arcanioribus uſos fuiſſe, præſertim perſequutionis tempore, fideles notis addit Lupius, quarum ſenſum niſi antiquorum Patrum opera & ſcriptis conſequi nemo valet; nec alia de cauſſa ita Credentes egiſſe, niſi ut ſecreto invicem innoteſcerent, & a Gentilibus non dignoſcerentur. Erant igitur Chriſtiani plures aliquando Gentilibus occulti.

Synaxes noſtri in domibus, occulteque, & ſparſim, atque per manipulos, nocte præſertim, ac ſolitariis in locis, perſequutionum tempore agebant, adeo ut nec Dominicum omitterent, nec ethnicis tam facile innoteſcerent. Heinc illæ ab hoſtibus Hæteriæ appellatæ. De eiuſmodi noſtrorum prudentiſſima cautione fidem facit Tertullianus, libro de fuga in perſequutione capite 3. cui tamen talis agendi ratio non erat *niſi plane frivola & frigida fides, deprehendens eos, qui timide conveniunt in Eccleſiam. Dicitis enim, quoniam incondite convenimus, ſimul convenimus, & complures concurrimus in Eccleſiam, quærimur a natio-*

nationibus , & timemus, ne turbentur nationes. Verum quod Septimio diſplicebat, primos fideles jam docuerat Ignatius in epiſtola ad Antiochenos, operam ſcilicet ut darent, ne aperta nimis ac inverecunda agendi ratione hoſtes irritarent, exacerbarenturque illi, qui anſam contra nos quærebant: ita ſimiliter Cyprianus epiſtola IV. ad ſuos ſcribebat Presbyteros & Diaconos: *Peto quoque ad procurandam quietem ſollertia & ſollicitudo veſtra non deſinat, &, ſi fratres pro dilectione ſua cupidi ſunt ad conveniendum, & viſitandum Confeſſores, tamen caute hoc, & non glomeratim, nec per MULTITUDINEM SIMUL JUNCTAM puto eſſe faciendum, ne ex hoc ipſo invidia concitetur, & introeundi aditus denegetur, & dum inſatiabiles multum volumus, totum perdamus.* Neque tamen noſtros, ita agentes, omnes perſequutorum diligentiam eluſiſſe arbitramur. Verum ipſis ex quæſtionibus Martyrum, quas nobis eorum Acta plurima apud Ruinartium conſervarunt, ac præcipue ob collectas in domibus & occulte celebratas, intelligitur, noſtrorum habitum & ſtatum haud fuiſſe Judicibus cunctis manifeſtum. Ex quo enim tormentis extorquere a martyribus hoſtes ſatagebant nomen & conditionem reliquorum, qui ſibi ignoti erant, fidelium; ita & locorum, in quæ convenerant. Certiſſimum clam noſtros convenire in perſequutionibus ſolitos, ac ethnicis ignotos fuiſſe ſæpenumero, indicium.

Sane ſi quibus compertus omnis eſſe ſemper debuiſſet Chriſtianorum cenſus, Principibus, Præſidibuſque Provinciarum, Judicibus ac Magiſtra-

tibus

tibus eſſe notus debuiſſet. Quid enim difficile magis, quam ignorare ſummam poteſtatem, quorum nam ſint ſubditi ſacrorum? Attamen vel Neronianæ tempore perſequutionis intelligimus, maiorem noſtrorum partem, occultiſſimam Principi ac Magiſtratibus fuiſſe. Tacitus ſiquidem libro annalium XV. capite 44. deſcripto Romæ, quod furore Neronis evenerat, incendio, ita pergit: *Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inviſos vulgus Chriſtianos appellabat ..... primo correpti QUI FATEBANTUR, deinde, indicio eorum, MULTITUDO INGENS, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti ſunt.* Locum hunc jam olim, ad calcem diſſertationis de martyribus ſine ſanguine, me illuſtraſſe memini, vindicaſſeque adverſus ſiniſtram Bælii interpretationem, qui in commentario ſuo philoſophico ſuper Chriſti verbis, *compelle intrare*, ex modo dicendi Taciti colligere ſe poſſe exiſtimabat, Chriſtianos illos, quamvis innocentes, tormentorum tamen acerbitate, faſſos fuiſſe ſe incendii auctores. Erraſſe, inquam, Bælium dixi, nec ipſum animadvertiſſe, non omnes, qui Romæ degebant, Neronis ætate, Chriſtianos, maximo quamvis numero, ethnicis tamen notos fuiſſe, verum immo partem maximam occultos. Nonnulli igitur, qui vix illic ortæ Chriſtianorum doctrinæ apertiore quodam modo nomen dederant, debuere primo corripi. *Correpti qui fatebantur*, non incendium, sed Chriſtum, Chriſtique religionem; *deinde indicio eorum*, qui innocentiæ,

 habi-

habituſque, ſtatus, ac profeſſionis ſanctiſſimæ ſocios laudaverant, *MULTITUDO INGENS*, quæ pariter non incendium, ſed occultiore modo Chriſtum fatebatur, detecta, correptaque fuit, & quæſitiſſimis affecta pœnis; *haud perinde in crimine incendii*, quod ſe perpetraſſe faſſa numquam fuerat, quodque perpetratum a Nerone noverant, ſpargebantque in vulgus vel immaniſſimi Chriſtianorum hoſtes, *quam odio humani generis convicti ſunt*, ſtudio ſcilicet ac profeſſione nominis Chriſtiani, ita a Gentilibus olim appellata, ſive quod omnes ſectæ noſtros oderint, ſive quod noſtros eas odio habere exiſtimarent. Eo ſenſu verba Taciti interpretatos fuiſſe Balduinum, Ablancurtium, Continuatorem Ameloti, Colomam, Datum, Davanzatum, Fleurium, Clericum &c, oſtendimus; nec aliud clarius tali ex teſtimonio inferri, quam plurimos per illa fuiſſe tempora occultos Romæ, ac reliquis in regionibus, Chriſtianos.

Notiſſima Plinii epiſtola ad Traianum idem apertiſſime confirmat; ſiquidem in ea legimus, obſtupefactum Proconſulem illum *PROPTER PERICLITANTIUM NUMERUM*, quorum alii *ante triennium*, alii *ante plures annos*, alii *ante viginti*, Chriſto nomen dederant, idque ignorabatur. Tertullianus Scapulam Provinciæ Africæ Proconſulem ſic, ut vidimus, alloquebatur: *Quid facies de TANTIS MILLIBUS HOMINUM, omnis ſexus, omnis ætatis &c.* imprudenter ſane ac inconſulto hæc omnia Proconſulem Africæ docuiſſet Tertullianus, ſi huic omnes comperti

fuiſ-

fuiſſent Carthaginis Chriſtiani. Galerius Maximianus in edicto apud auctorem libri de mortibus perſequutorum capite XXXIV. ita de fidelibus ſuo tempore exitium paſſis: *Cum noſtra juſſio exſtitiſſet, ut ad veterum ſe inſtituta conferrent; multi periculo ſubiugati, multi etiam deturbati ſunt; atque cum PLURIMI in propoſito perſeverarent, ut videremus, nec Diis eoſdem cultum & religionem debitam exhibere, nec Chriſtianorum Deum obſervare; contemplationem mitiſſimæ noſtræ clementiæ intuentes, & conſuetudinem ſempiternam, qua ſolemus cunctis hominibus veniam indulgere, promptiſſimum in his quoque indulgentiam noſtram credidimus porrigendam, ut denuo ſint Chriſtiani, & conventicula ſua componant, ita ut ne quid contra diſciplinam agant.* Qui nam illi obſecro, qui in propoſito perſeverantes, neque tamen Deos, neque Deum noſtrum colere Galerio videbantur, quique inſtauratis cœtibus poterant eſſe iterum Chriſtiani? Non alii utique, quam fideles perſequutionis tempore Chriſtum occulte venerati, ideoque Cæſari, multoque magis privatis ac plebejis Gentilibus, ignoti. Quid quod innumeri erant fideles, quos ethnici ad idololatriam reverſos nimis facile credebant, quare perſequutionibus exactis omne Chriſtianum nomen ſe funditus deleviſſe gloriarentur; quum nil aliud tamen minis ac terroribus ſuis præſtitiſſent, quam magnæ ut aliquando Credentium pars in externum aliquem laberetur idololatriæ actum, criminoſum illum quidem, ſed qui interiorem animum Chriſtianæ profeſſioni relinqueret addictum: quare

vix aliqua pax & quies a perſequutoribus fiebat, ut ad Eccleſiæ ſinum reverti, ſeque ſe Martyribus, ac Epiſcopis commendare geſtirent ſive libellatici, ſive thurificati, & ſacrificati, ſive qui nomini etiam Chriſtiano maledixerant, ut ex Cypriani libro de lapſis intelligimus. Heinc illa Lactantii libro Divinarum Inſtitutionum V. cap. 13. ſcribentis: *Cum autem noſter NUMERUS ſemper de Deorum cultoribus AUGEATUR, numquam vero ne in ipſa quidem perſequutione minuatur, (quoniam peccare homines, & inquinari ſacrificio poſſunt, averti autem non poſſunt a Deo; valet enim vi ſua veritas;) quis eſt tandem tam excors, tamque cæcus, qui non videat in utra ſit parte ſapientia? . . . . . Evertiſſe funditus religionem Dei opinantur, ſi homines inquinaverint; cum & Deo ſatisfacere liceat, & nullus ſit tam malus Dei cultor, quin data facultate ad placandum Deum revertatur. Si enim ipſi cum Deos ſibi arbitrantur iratos, tamen donis & ſacrificiis, & odoribus placare eos credunt: quid eſt tandem cur Deum noſtrum, tam immitem, tam implacabilem putent, ut videatur jam is Chriſtianus eſſe non poſſe, qui Diis eorum coactus, invituſque libaverit?* Epiſtolam ad Paullum Voetium ſcripſit eruditiſſimus Gisbertus Cuperus, quam tomo II. editam habes pulcherrimæ Lactantii editionis Nicolai Lengletii, & in qua de artibus agit Vir præclariſſimus, quibus ethnici utebantur, Chriſtianos ut detegerent, qui, acerbiores ut vitarent perſequutiones, una cum Gentilibus Deorum templa aliquando frequentabant, non ut idola colerent, ſed ut ſe ho-

hoſtibus celarent. Et ſane, cur nam in perſequutionibus Magiſtratus, atque Judices tantam adhibuiſſent curam aliquando & diligentiam, ut Chriſtianos quærerent, veſtigarent, detegerent, ac invenirent? cur tam acerba in quæſtionibus tormenta, quo vocati in judicium, eos, quos habere poterant, ſectæ ſocios manifeſtarent, ſi Chriſtiani omnes ubique & ſemper cogniti ethnicis fuiſſent?

Quid quod & multi aliquando ſive humanitate, ſive acti avaritia, Gentiles ea fuere in noſtros conniventia, ut eos occultari paterentur. Tertullianus in Scorpiaco capite 1. Hæreticorum, qui martyria refragabantur, voces repetens ſcribebat: *Haeccine pati homines innocentes? ut putes fratrem, aut DE MELIORIBUS ETHNICUM: ſiccine tractari ſectam nemini moleſtam?* Si meliores ethnici fortunam noſtrorum in perſequutionibus miſerebantur; itaque operam dare debuerunt, ut iidem vulgo celarentur. Præſidum aliqua humanitate & moderatione præditorum ſyllabum veluti concinnavit Tertullianus in libro ad Scapulam capite 4. ſcribens: *Quanti autem Præſides & conſtantiores, & crudeliores diſſimulaverunt ab huiuſmodi cauſſis? ut Cincius Severus, qui Thiſtri ipſe dedit remedium, quomodo reſponderent Chriſtiani, ut dimitti poſſent: ut Veſpronius Candidus, qui Chriſtianum quaſi tumultuoſum civibus ſuis ſatisfacere dimiſit: ut Aper, qui modice vexatum hominem, & ſtatim deiectum, nec ſacrificium compulit facere, ante profeſſus inter Advocatos, & Adſeſſores, dolere ſe incidiſſe in hanc cauſ-*

ſam. Pudens etiam miſſum ad ſe Chriſtianum, in elogio concuſſione eius intellecta, dimiſit, ſciſſo eodem elogio, ſine accuſatore negans ſe auditurum hominem ſecundum mandatum. Alia reperiuntur erga noſtros humanitatis eiuſmodi exempla, quibus agimus, ut conſequamur, plurimos Præſides, Iudiceſque, immo & privatos Gentiles, facile paſſos eſſe, latere atque occultari Chriſtianos.

Erant ex oppoſito qui publico conſtituti in munere, ſed avaritia laborantes, occaſione perſequutionum utebantur, pecunias ut corraderent, proindeque eos omnes fideles occultari libentiſſime ſinebant, a quibus aurum extorſiſſent. Patere id arbitror ex allatis capite huius Commentarioli IV. Tertulliani teſtimoniis, quibus Montaniſtico carpebat zelo eos, qui numerata pecunia ſe ſe ab inquiſitione in cauſſa fidei redimebant. Ut enim optime animadvertit Cardinalis Orſius, in diſſertatione de pace lapſis data tribus prioribus Eccleſiæ ſeculis, ſatis conſtat, fuiſſe plurimos, qui ubi pecunia Judicis animum tentari, atque commoveri poſſe ſentiebant, mox Chriſtianos ſe eſſe fateri non dubitarent, & ob hanc cauſſam ſibi non licere idolis ſacrificare; rogare ne vi, neve tormentis, ad id faciendum inducerentur: oblataque pecunia, ut ſibi impune ac libere Chriſtianos eſſe liceret, impetrarent: qua in re nullum fuiſſe crimen, generatim & aperte canone ſuo XII. pœnitentiali, docuerat Sanctus Petrus Alexandrinus. Et vero omnibus Orthodoxis id fas ſibi fuiſſe ætate Tertulliani animadvertit etiam Rigaltius, ad Septimii

loca

loca capite IV. allegata, quamvis minus adcuratus eſſe videatur, dum confeſtim adjicit, paullo poſt aliter eveniſſe, ſe ex iis ſuſpicari, quæ apud Cyprianum de Libellaticis leguntur. Perperam id, inquam, Rigaltius. Quærens noviſſimus S. Martyris editor in eius vita numero 6. in quo nam poſitum eſſet facinus Libellaticorum, certiſſime evincit, eos non ex datis; ſed ex acceptis libellis nomen traxiſſe: *SECRETO confeſſos fuiſſe Magiſtratui Chriſtianos ſe eſſe, ac totam rem ita attemperate tractatam, ut nec Chriſtianus impie quidquam dicere, aut facere ſibi videretur, nec Judex in periculum veniret*: non manum Libellaticorum, non os fuiſſe pollutum addit; ſed ſolam conſcientiam; quia videlicet illis conſciis fictum ſcelus in acta publica relatum fuerat: duplex quidem fuiſſe Libellaticorum genus, ſed non alio diſcrimine, niſi quod alii ad Magiſtratum ipſi veniſſent, alii mandaſſent, alio eunte. Demum infert: *Libellaticos aliquam a Judicibus accepiſſe conditionem, quæ & tuta Judici, & Chriſtiano non aperte impia videretur.* Univerſum igitur eiuſmodi negotium OCCULTE cum Judice tranſigendum erat; SECRETA erat ea qualiſcumque muneris, aut pretii a Chriſtiano dati oblatio, & a vexatione per pecunias redemptio; quum ex lege ita cum noſtris agere Judices ac reliqui, qui fidelium inquiſitioni præerant, non poſſent; proindeque quum illi ſuam ceteris Gentilibus manifeſtam eſſe prævaricationem nollent, ſequitur, eos optare non ſolum, ſed omni etiam efficere arte debuiſſe, ut ceteris ignoti remanerent ethnicis,

qui ſe ſe ab inquiſitione, immundiſque offerendis ſacrificiis, pretio redemerant Chriſtiani. Quid legibus Romanorum magis vetitum, quam clandeſtina, & illicita collegia, qualia Chriſtianorum collectæ, tempore perſequutionis, habebantur? ab aliquibus adhuc tamen Judicibus facultatem conveniendi redimebant ſæpenumero Chriſtiani; quod noſtris objiciebat Montaniſtica ſeveritate Tertullianus, libro de fuga in perſequutione, ubi Paſtores noſtros ita rogantes inducit: *Quomodo colligemus?* non data ſcilicet occulte Judicibus pecunia; *quomodo Dominica ſolemnia celebrabimus?* Reſpondit Septimius: *utique quomodo & Apoſtoli, fide, non pecunia tuti. Si colligere interdiu non potes, habes noctem Chriſti luminoſam, &c.* Ea vero tum humanitate ac indulgentia, tum aliquorum negligentia Judicum, in furorem actus Imperator Maximinus, novum induxit Magiſtratus genus, fidum magis, & ardentiore in fideles ſtudio futurum; nempe, ut de Cæſare illo agens capite XXXVI. ſcribit auctor libri de mortibus perſequutorum: *Novo more Sacerdotes maximos per ſingulas civitates ſingulos ex primoribus fecit, qui ſacrificia per omnes Deos cotidie facerent, & veterum Sacerdotum miniſterio ſubnixi darent operam, Chriſtiani ne quid fabricarent, neque PUBLICE, AUT PRIVATIM colerent, ſed comprehenſos ſuo jure ad ſacrificia cogerent, vel Judicibus afferrent.* Jacobus Baſnagius libro I. hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ capite 8. arbitratur Maximinum nil aliud præſtitiſſe, quam ſatellites ac milites Sacerdotibus quibuſdam ethnicis concedere,

dere, quo agere in Chriſtianos poſſent, eoſque criminali judicio punire; maius ethnicæ ſuperſtitionis ſtudium, ideoque maiorem ſibi ſpondens in ipſis contra noſtros diligentiam, quam in ceteris. Si locus iſte non fugiſſet Voltærium, ea temperaſſet, quæ capite ſcripſit libri de tolerantia 9. numquam videlicet permiſſam ab Imperatoribus ethnicis fuiſſe ſecretam in Chriſtianos inquiſitionem; nec iſtos umquam fuiſſe in crimen de fide domeſtica vocatos. Aſt omnino æquum non eſt a celebri etiam Vate poſtulare cognitionem libri de mortibus Perſequutorum. Quod in rem noſtram facit in præſens eſt, maximam Chriſtianorum partem fuiſſe ſæpenumero ethnicorum vulgo ignotam & occultam, nec propterea tamen ceſſaſſe vulgus a querela de nimio immenſoque numero fidelium; certiſſimum eorum multitudinis & copiæ, antiquiſſimo illo tempore, argumentum.

CAPUT VII.

Ex artibus & moribus primorum fidelium maxima eorum copia confirmatur.

TERTULLIANUS capite apologetici XLII. totus erat ut oſtenderet, perperam Chriſtianos fuiſſe ab ethnicis infructuoſos negotiis appellatos, quum noſtri artes omnes, omniaque, haud minus quam ethnici, negotia exercerent, ita diſſerens: *Sed alio quoque iniuriarum titulo poſtulamur, & infructuoſi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiſcum degentes, eiuſdem victus, habitus, inſtructus, eiuſdem ad vitam neceſſitatis? neque enim Brachmanæ, aut Indorum Gymnoſophiſtæ ſumus, ſylvicolæ, & exules vitæ. Itaque non ſine foro, non ſine macello, non ſine balneis, tabernis, officinis, ſtabulis, nundinis veſtris, ceteriſque commerciis, habitamus hoc ſeculum. Navigamus & nos vobiſcum, & militamus, & ruſticamur, & mercaturas proinde miſcemus. Artes & operas noſtras publicamus uſui veſtro. Quomodo infructuoſi videamur negotiis veſtris, cum quibus & de quibus vivimus, non ſcio. Plus noſtra miſericordia inſumit vicatim, quam veſtra religio templatim. Sed cetera vectigalia gratias Chriſtianis agent, ex fide dependentibus debitum, qua alieno fraudando abſtinemus, ut ſi ineatur quantum publico pereat fraude & mendacio veſtrarum poſſeſſionum, facile ratio haberi poſſit, unius ſpeciei querela compenſata pro commodo ceterarum rationum.* Quî, obſecro, tot

in artibus, commerciis, & negotiis verſantes Chriſtiani, exiguo ſimul numero eſſe potuiſſent?

Cuiuſcumque revera generis artifices recenſet primorum temporum Criſtianos Cl. Mamachius libro III. parte II. originum & antiquitatum Chriſtianarum capite IV. §. 5. argentarios ſcilicet, purpurarios, ſculptores, muſivi operis artifices, pictores, lapicidas, fabros ferrarios, figulos, coriarios, ſcenofactores, ſcenaticos, textores, carbonarios, agricolas, nauticæque totius rei cultores, baiulos, cuſtodes carinarum, ſutores, ſectores lignorum, piſcatores, caupones, libertos, ſervos, ſexcentoſque alios, ſynchronis teſtimoniis, & marmoribus antiquis illuſtratos; adeo ut nulla fuerit ars, nullaque profeſſio, opificium nullum, nullumque ſive liberalis, ſive mechanicæ genus profeſſionis, in quo non verſati fuerint primorum temporum Chriſtiani, quorum aliqui, etſi, religionis ergo, militare aliquando cingulum abiecerant, ſucceſſu tamen temporis in Gentilium caſtris frequentiſſimi fuere noſtri, ut intelligimus ex Tertulliani libro de corona militis, exque legione fulminea ſub Marco Aurelio, a tot præclariſſimis vindicata viris, ac noviſſime a Mamachio, libro II. capite 7. mox allegati operis, adverſus Burnetium, & Moylium, qui, cetera inter dubitandi momenta, paucitatem æque primorum urſere Chriſtianorum, ſed infeliciſſimo conatu. Quippe MAXIMAM MULTITUDINEM noſtrorum ſuo in exercitu Marcus ipſe Aurelius in epiſtola ad Senatum, apologiæ Juſtini martyris adiecta, conteſtatus eſt;

πλη-

πλῆθος, ἢ μέγεθος αὐτῶν. Nec ignota ſane, quæ adverſus monumentum eiuſmodi protulit Scaliger, quæque de ipſo viri doctiſſimi ſenſere. Aſt epiſtolæ auctorem, quicumque demum fuerit, hac in re non receſſiſſe a veritate, aut eodem ſaltem ſeculo labente innumeros fuiſſe Romanis in exercitibus Chriſtianos milites, adductus evincit Tertulliani locus: *Heſterni ſumus, & CASTRA IPSA VESTRA implevimus*; quæ militum multitudo adeo poſtmodum aucta eſt, ut Licinius, Maxentius, & Julianus, quemadmodum vidimus, equum duxerint, noſtram aliquando ſimulare profeſſionem, ob milites prope omnes eorum in exercitibus Chriſtianos.

Præſtantiores vero artes qualem quantamque exhibent veterum fidelium copiam! Arnobius ita libro contra Gentes II. *Magnis ingeniis præditi Oratores, Grammatici, Rhetores, Conſulti Juris, Medici, Philoſophiæ etiam ſecreta rimantes, magiſteria hæc* (Chriſtianæ Religionis) *expetunt, ſpretis quibus paullo ante fidebant.* Nec Arnobium exaggeraſſe evincunt reliqua non modo Patrum illius ætatis ſcripta, ſed Julianus ipſe in epiſtola ad Alexandrinos, editionis Spanhemii quinquageſima, in qua ita eos alloquitur, ceu omnes jam ampliſſimæ illius urbis incolæ Chriſto dediſſent nomen; inſcribitur quippe: Ἰυλιανὸς Ἀλεξανδρεῦσιν. Ob oculos ipſis ponit vetera, ut exiſtimabat, Deorum in Alexandrinam urbem beneficia, cupereque ſe profitebatur, ut ad ethniciſmum redirent; tum ita pergit: *Sin eſt ut in Galilæorum ſuperſtitione, & callidorum inſtitutione*

ho-

hominum perſeverare malitis; at mutuam inter vos concordiam retinete, neque Athanaſium deſiderate. Sunt enim ex ipſius diſcipulis utique COMPLURES, qui prurientibus auribus veſtris abunde ſatisfaciant. Utinam enim Athanaſio ſolo, & ſacrilegæ eius ſcholæ circumſcripta eſſet improbitas! ſed eſt in vobis eiuſmodi NON IGNOBILIS MULTITUDO. Νῦν ἔϛι πλῆθος ὑμῶν ἐκ ἀγεννές. *Quum vos Athanaſii ſolertia delectet, mihi pro eo ſupplicaſtis. Verum ſcitote, hac ipſa de cauſſa eum urbe eiectum fuiſſe; etenim parum commoda per ſe res eſt, vir populo Præſidens, ac multiplicium rerum novarum cupidus.* Προϛατεύων δήμε πολυπράγμων ἀνήρ. Nullum reperiri videtur poſſe ſive ſacrum aut eccleſiaſticum, ſive civile vetus monumentum, quod Clarkſoni hypotheſi, his Juliani dictis, magis adverſetur. En ſcilicet, per adverſarium ipſum Cæſarem, ſecundam Romani Imperii urbem, Alexandriam, Chriſtianis prorſus refertam: en Oratorum ſacrorum nobilem in ipſa MULTITUDINEM cum Athanaſio conferendam; en Athanaſium Epiſcopum univerſo Chriſtianorum cœtui præfectum.

Quod ſi eorum in virtutes animum intendimus, qui Eccleſiam valde ante Athanaſii & Juliani tempora conſtituerunt, eas tam varias & multiplicis reperiemus generis, ut nemo non conceſſerit, eaſdem niſi ab infinita prope fidelium multitudine non potuiſſe exerceri. Juſtinus martyr, in apologia inquiebat ſua I. equidem de temporibus Marcum Aurelium præcedentibus: *Ac MULTI quidem, & MULTÆ, annos ſexaginta,*

ginta , & ſeptuaginta nati, qui a pueris Chriſti diſciplina imbuti ſunt , incorrupti perſeverant ; taleſque in omni hominum genere monſtraturum me profiteor. Quid enim eorum INNUMERABILEM MULTITUDINEM τὸ ἀναρίθμητον πλῆθος *dicam , qui ex laxivia ſe ſe receperunt , & hæc didicerunt ?* Clemens vero Alexandrinus ita libro Stromatum IV. μεςὴ μὲν οὖν πᾶσα Ἐκκλησία τῶν μελετησάντων κ. τ. λ. *PLENA eſt ergo tota Eccleſia iis , qui per omnem vitam meditati ſunt mortem, quæ excitat ad Chriſtum , ſicut virorum , ita etiam mulierum temperantium.* Tertullianus autem in libro de Monogamia ? *QUANTI IGITUR , ET QUANTÆ in Eccleſiaſticis Ordinibus de continentia cenſentur &c.* Animadvertito heic iterum adverſus Clarkſonum , varietatem non modo Eccleſiaſticorum Ordinum apud fideles primi temporis , verum etiam copiam Ordinatorum. Quid vero ſi heic exſcriberem , quæ Origenes habet de virtutibus primorum Chriſtianorum ? Origenes , inquam , de quo ita in Commonitorio adverſus hæreſes ſcribebat Vincentius Lirinenſis. *INNUMERI ex ſinu ſuo Doctores , INNUMERI Sacerdotes , & Martyres , & Confeſſores exſtiterunt.* Quid ſi ea exſcriberem , quæ de ſanctiſſimis veterum fidelium moribus habent Cyprianus , Euſebius &c. ? Quid ſi de immenſa dicerem veterum Martyrum copia , de qua Ruinartius , Mabillonius , Lazerius, Rinaldius , Mamachius , ſexcentique Scriptores a Johanne Alberto Fabricio , capite VII. ſalutaris lucis Evangelicæ allegati , copioſe , diligentiſſimeque pertractarunt ?

Nos

Nos æque noſtro pro modulo ſemel iterumque cum Dodwello paucitatis martyrum vindice manus conſeruimus; cum eo, inquam, qui, paucitati martyrum inferendæ, numquam uſus eſt pervio ac obvio, ut videbatur, argumento ex paucitate primorum Chriſtianorum derivato; certum ſane indicium eorum multitudinis & copiæ. Num enim ad exiguum eorum univerſim numerum non confugiſſet, ſi vel minimam veriſimilitudinis umbram hac in hypotheſi ſibi videre viſus eſſet? homo, qui, ut Johannis Clerici judicio utar, ubicumque de Dodwello egit, ſed præſertim in adnotationibus ad hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam ad annum CLXXX. non modo pro exploratis ſumebat, aut ſibi concedi poſtulabat, quæ ſunt incertiſſima, verum etiam talia ex iis paſſim deducebat conſectaria, quorum nexum cum principiis negaſſet quiſque; quare ex ipſius diſſerendi ratione numerus incredibilis falſarum incertarumque conjectationum oriebatur. Nicolaus Toinardus in adnotationibus ad caput 3. libri de mortibus Perſequutorum; *Henricus Dodwellus*, inquit, *diſſertationi XI. Cyprianicæ lemma affixit de paucitate martyrum, lemma, inquam, indigniſſimum homine utcumque Chriſtiano, nedum Auctore literato.* Quod lemma tamen adeo placuit Voltærio, ut in poſtremis omnibus elucubrationibus ſuis in favorem tolerantiæ conſcriptis, archiphiloſophica profecto tranquillitate, niſi hunc Dodwellum, de paucitate martyrum, in ore ac in calamo non habeat, prætermiſſis tamen, neglectiſque innuneris etiam inter Proteſtan-

ſtantes Scriptoribus, qui enthuſiaſticum illud paradoxum funditus everterunt. Sed Voltærio Clio ſemper irata eſt, quia Melpomene, & Calliope ſuos illi amores tradiderunt.

Patent vero adeo, & a tam multis traditæ ſunt primorum fidelium virtutes, ut in iis immorari ſupervacaneum ducamus; præſertim quum rationem ſcribendi illorum, qui virtutes tantum celebrant maiorum noſtrorum, mendis ac vitiis omiſſis, ſunt qui minus probent; quippe fieri inde inquiunt, ut qui in nos male animati ſunt, Arnoldii, Thomaſii, Moshemii, ſimileſque plurimi, anſam ſumant, & porro ſumpſerint, agendi de Chriſtianiſmi, ut aiunt, degeneratione ac defectione a prima pietate ſub Conſtantino & eius ſucceſſoribus, dum vitia illorum exaggerantes temporum, ac recte facta inſtitutaque ſilentio prementes, crucem revera, oppreſſionem, & afflictiones ab Eccleſia tantum ablatas dolent, in quibus eam adhuc verſari quammaxime optarint. Veterum propterea copiam Chriſtianorum ex communibus potius, ac infirmioribus quorumdam inter ipſos moribus operæ pretium oſtendere arbitramur, quod adverſarii panegyricæ exaggerationis poſtulare utique non poterunt; multoque magis ut rationi cogitandi Addiſoni adverſemur, qui in opere ceterum egregio de veritate Chriſtianæ Religionis, ſectione IX. §. 1. maiorem fuiſſe ait Chriſtianorum copiam prioribus Eccleſiæ ſeculis, quam ætate noſtra, propterea quod fideles omnes tunc integri eſſent ſceleriſque puri, nunc vero innumeri malis moribus efficiant,

ut

ut Chriſtianorum nomine gaudentes, revera tamen Chriſtiani non ſint. Abſit, ut in adeo præpoſteram deſcendamus opinionem; veros enim fideles, quamvis peccatores, membra tamen, licet mortua, Eccleſiæ eſſe, Orthodoxi ſatis oſtenderunt; neque verum eſt, omnes priorum temporum Credentes, pietate ſanctitateque præditos fuiſſe. Non adeo facile, ut errores mentis, inordinati affectus animi evelluntur. Nos de infirmioribus quoque, & non rectis etiam Chriſtianis rationem habebimus, exque optimis una & communis virtutis, & non rectæ etiam vitæ fidelibus, immenſum conſtitutum fuiſſe dicimus eorum numerum, de quorum exteriori profeſſione cum Clarkſono contendimus in præſens, non de interioribus dotibus, atque exercitio virtutum.

Re enim vera, quamvis plurimi veteres Chriſtiani ita acti & affecti eſſent, ut niſi regnum Dei & cœleſtia non quærerent, tanta fidelium tamen erat multitudo, ut in ea reperirentur non modo, in quibus *diſciplina minor erat*; ut phraſi utar Minutii Felicis in Octavio, verum etiam non pauci adeo terrenis rebus & negotiis addicti; ut publicas Patrum querelas excitarint. Euſebius libro I. demonſtrationis Evangelicæ capite 8. egregie ſcripſit: ὥστε ἤδη κ̀ τῇ Χριστοῦ Ἐκκλησίᾳ δύο βίων νενομοθετῆσθαι τρόπους, κ. τ. λ. *In Eccleſia Dei duo vivendi modi inſtituti ſunt. Alter quidem naturam noſtram, & communem hominum vitæ rationem excedens; quippe in quo ii, qui pro univerſo genere, ſupremo omnium Deo conſecrati ſunt, rectis veræ pietatis ſententiis, & purgati ani-*

mi affectione ; operibus quoque ac verbis , quæ a virtute proficiſcuntur , divinitatem placantes , ſuum & pro ſeipſis ; & pro aliis , qui eiuſdem ſunt generis , adminiſtrant ſacerdotium. Et eiuſmodi quidem in Chriſtianiſmo perfectus vitæ modus exiſtit. Alter vero remiſſior , atque humanior. Hic & modeſto coniugio , & ſobolis procreatione implicatur , reique familiaris curam aſſumit , & juſte militantibus quæ ſunt agenda deſcribit : agens quoque & mercaturam , aliumque magis civilem vivendi modum , adiuncta religione, non negligit. Iis autem , qui hunc modum elegerunt , & exercitationum tempora , & diſcendi , audiendique divinum Verbum , certi dies aſſignati ſunt. Et his quidem ſecundus pietatis gradus attributus eſt , dum aptam huic ipſi generi vitæ præbet utilitatem , ut nullus plane ab adventu ſalutari ſeparetur , ſed omne genus hominum , tam GRÆCORUM , quam BARBARORUM, Evangelicæ doctrinæ fructum percipiat. Ne vero quis fortaſſe ſuſpicetur , eiuſmodi communis , ut ita dixerim , vitæ ac virtutis Chriſtianos , ætate demum Conſtantini , ac Euſebii fuiſſe , antiquioribus utemur teſtimoniis. Cyprianus , epiſtola LXXXII. quæ erat ad Succeſſum , hunc monebat : *Reſcripſiſſe Valerianum ad Senatum , ut EPISCOPI , ET PRESBYTERI , ET DIACONES in continenti animadvertantur ; Senatores vero , & viri egregii , & Equites Romani , dignitate amiſſa , etiam bonis ſpoliarentur , & , ſi , ademptis facultatibus , Chriſtiani eſſe perſeveraverint , capite quoque multentur : matronæ ademptis bonis in exilium relegentur : Cæſariani quicumque vel prius con-*

feſſi

feſſi fuerint, confiſcentur, & vincti in Cæſarianas poſſeſſiones deſcripti mittantur. En igitur ſub Valeriano, maximam Chriſtianorum partem civilibus ac militaribus officiis deditam. Quam multiplex vero & copioſus fuerit oportet hominum illius ſectæ numerus & populus, in qua tot erant MINISTRI SACRI, SENATORES, EGREGIIQUE VIRI, EQUITES ROMANI, MATRONÆ, CÆSARIANIQUE TOT reperiebantur, ut adverſus hos omnes ſingillatim publicæ ferri deberent leges: Chriſtiana plebe ob immenſam eius copiam, pro arcano imperii, & quod crederetur facile diſſipatum eam iri eximiis Viris, ac Paſtoribus percuſſis, nec quæſita, nec proſcripta! Tædet iterum contra Clarkſonum animadvertere, in ipſo Valeriani Cæſaris, ethnici hominis, reſcripto diſtinctos a Presbyteris, ac miniſtris inferioribus Epiſcopos: diſcrimine jam tum ethnicis ipſis manifeſto.

Ad antiquiora rurſus retrocedamus tempora: quidnam Origenes de pluribus ſui temporis Chriſtianis? Ita certe auditores alloquebatur ſuos homilia X. in Geneſim: *Vereor, ne adhuc in triſtitia & gemitu Eccleſia filios pariat. An non eſt ei triſtitia & gemitus quum vos non convenitis ad audiendum Dei verbum, & vix feſtis diebus ad Eccleſiam proceditis, & hoc non tam deſiderio verbi, quam ſtudio ſolemnitatis, & publicæ quodammodo remiſſionis obtentu? quid igitur ego faciam, cui diſpenſatio verbi credita eſt? quid faciam, ubi, vel quando tempus inveniam? plurimum ex hoc, IMMO PENE TOTUM TEMPUS mundanis occupatio-*

nibus teritis in foro, aliud in negotiatione conſumitis. Alius agro, alius litibus vacat, & ad audiendum Dei verbum nemo, aut pauci admodum vacant. Sed quid vos de occupationibus culpo? quid de abſentibus conqueror? præſentes etiam, & in Eccleſia poſiti, non eſtis intenti, ſed communes ex uſu fabulas teritis, verbo Dei, vel lectionibus divinis terga convertitis. Idem prope repetit homilia XII. in Exodum. Nonne vero diceres multitudinem fidelium hodierni temporis ab Origene reprehenſam, & correctam? num tot commoda & negotia, tot procurationes ac lites, tanta divini verbi negligentia in paucis Chriſtianis reperiri potuiſſet? Ante Origenem Tertullianus in libro de Monogamia, ubi ſecundas nuptias perperam inſectabatur, eorum, qui illis indigebant, motiva ita repræſentabat: *Scio quibus cauſationibus coloremus inſatiabilem carnis cupiditatem. Prætendimus neceſſitatem adminiculorum, domum adminiſtrandam; familiam regendam, loculos, claves cuſtodiendas, lanificium diſpenſandum, victum procurandum, curas communiendas.* Hæ profecto tot domeſticæ & familiaris curæ neceſſitates, hæ tot procurationes ac res, indicant jam tum innumeras fuiſſe in Eccleſia hominum conditiones, magnamque idcirco fidelium quantitatem. Divus Cyprianus, in tractatu de opere & eleemoſynis, ad has dum adhortaretur fideles, oſtendebat inter cetera, filiorum, quos ipſi habebant MULTITUDINEM, haud ipſos debuiſſe a beneficentia avocare; ſed immo eam magis magiſque ſuadere, inquiens: *Sed enim MULTI ſunt in*

domo

domo liberi , & retardat te NUMEROSITAS filiorum, quo minus largiter bonis operibus inſiſtas: atquin hoc ipſo operari amplius debes quo multorum pignorum pater es. Plures ſunt pro quibus Dominum depreceris: MULTORUM delicta redimenda ſunt , MULTORUM purgandæ conſcientiæ, MULTORUM animæ liberandæ. Ut in hac vita ſeculari alendis ſuſtinendiſque pignoribus quo maior eſt numerus, hoc maior & ſumtus eſt: ita in vita ſpirituali atque cœleſti ; quo amplior fuerit pignorum copia ; eſſe & operum debet maior impenſa... Quid ad hæc reſpondemus , fratres cariſſimi , ſacrilega ſterilitate , & quadam tenebrarum nocte coopertas DIVITUM mentes , qua ratione defendimus ? qua excuſatione purgamus ? Locus hic beati Martyris duo nobis ſuppeditat multitudinis fidelium illius ætatis argumenta. Alterum eſt, quod univerſam adhortationem hanc ſuam ad Chriſtianos *divites* direxerit : quos videlicet ita appellat , quique ſoli ad uberes eleemoſynas poterant impelli ; quare intelligimus , Chriſtianas tunc Eccleſias ex ſolis ſervis & ancillis , exque ſola vili plebecula , ut religionis hoſtes contendunt , non fuiſſe conſtitutas. Alterum vero eſt , amplificatum fuiſſe vehementer fidelium cenſum ex ipſis , qui magno erant numero , Chriſtianorum filiis , qui ſcilicet vel anteriore ad Cyprianum ſeculo baptizari conſueverant , ac fieri fideles. Quoniam enim ſtatum Catholicæ Eccleſiæ feliciter haurire poſſumus ex Tertulliano , etiam dum ab illius ipſe moribus recedit , animadvertimus , eumdem in libro de baptiſmo capite 18. conſuetu-

dinem reprobaſſe infantes vix natos baptizandi; inter cetera inquiens: *Quid neceſſe eſt, ſponſores etiam periculo ingeri?* Baptizabantur itaque jam tum generatim INFANTES, qui propterea fidelium cenſum quammaxime augebant. Certe Spanhemius, Moshemius, Hornbeekius, Spencerus, Rivetus, Maſtrichtius, &c. vel ſecundo Eccleſiæ ſeculo inductos fuiſſe SPONSORES docent, ob FIDELIUM COPIAM prope infinitam ad ſegenerationis undas accedentem, quæ furente perſequutionun procella ſponſoribus illis indigebant, ut eorum teſtatus eſſet in Eccleſia baptiſmus, ſponſoreſque parentum vices agerent interfectorum.

Paullo ante Tertullianum ſe ſe Clemens offert Alexandrinus, quorum opera ingentiſſimam jam tum fuiſſe Credentium multitudinem ex eorum officiis ac moribus oſtendunt. In ſecundo libro eorum quos *Pedagogi* titulo inſignivit, illis agit de rebus, quæ niſi magnæ hominum, & quidem humanioris vitæ, copiæ non conveniunt. Pertractat ſiquidem non modo qua nam ratione civilibus in officiis ſe ſe gerere debeant fideles; verum etiam docet, in ſumptuoſam vaſorum ſuppellectilem non eſſe ſtudium conferendum: non oportere gemmas, & ornatum aureum ſtupere & admirari: quomodo tandem conviviis, unguentis, & coronis ſit utendum &c. Librum etiam ſcripſit hoc titulo: *Quis dives ſalvetur*, ne petulanter aliqui in divites inſurgerent Chriſtianos, neve alii ipſis proprii cauſſa lucri aſſentarentur. Si Clementis Alexandrini ætate, tot jam erant divi-

divites Chriſtiani ut publica inſtitutione indigerent, quanto maiore numero eſſe debuere inferiorum ordinum fideles! Utinam vero ſola officia & negotia, ſolæque procurationes, ac domeſticæ rei neceſſitates, utinam ſolæ divitiæ magnam noſtrorum partem a Chriſtianæ vitæ perfectione avocaſſent: utinam rari fuiſſent in tam pulchro vaſtoque corpore nævi. Verum in tanta ipſorum multitudine vix deeſſe poterant, qui terrenis blanditiis illecti ea ſtudioſe ſectarentur, a quibus amantiores legis fideles quammaxime abhorrebant. Libro ſiquidem Pedagogi III. capite XI. ita mox citatus Clemens Alexandrinus: τοιούτους δέ ἐχρῆν παρ' ὅλον τὸν βίον φαίνεσθαι, ϗ διαπλάττεσθαι τοὺς Χριστῷ τελουμένους, κ. τ. λ. *Oporteret autem tales in tota vita & videri, & effingi eos, qui Chriſto initiantur, quales ſe in Eccleſiis ad gravitatem, & honeſtatem componunt; & eſſe, non autem videri tales eſſe, adeo mites, adeo pios ac religioſos, adeo charitati deditos. Nunc autem, neſcio quomodo, una cum locis habitus ac mores mutant, non ſecus ac polypos dicunt petris, ad quas adhæreſcunt, aſſimilatos, videri quoque colore eſſe tales. Poſtquam enim ab Eccleſia egreſſi ſunt, depoſita illa, quæ in ea erat, divinitus inſpirata quaſi ſanctitate, infidelibus quibuſcum verſantur, ſimiles evadunt: vel potius depoſita falſa & ſimulata gravitatis perſona, deprehenduntur, quales eſſe ignorabantur, & quem qui de Deo habitus eſt ſermonem venerati ſunt, eum illic relinquunt, ubi audiverunt: foris autem impiis modis, & amatoriis canticis ſeſe oblectant, tibiarum cantu, plauſu, temulentia,*

& quovis cœno ac ſorde oppleti. Hoc autem dum cantant, & recantant ii, qui immortalitatem antea celebrabant, eamdem perniicioſiſſimam mali male cantant palinodiam &c. Paganorum ea tunc erat ſuperſtitio, ut nihil gratius eſſe Diis exiſtimarent ſuis, quam ludicrorum certamina, quibus tum mala averruncari, tum vota liberationis perſolvi credebant; proindeque Chriſtianis fas non fuiſſe illis intereſſe ethnici ipſi noverant. Attamen Tertullianus occaſione ludorum ſecularium, qui Romæ, & in provinciis celebrabantur, neceſſarium duxit edere librum de ſpectaculis, ut illos ab iiſdem viſendis dehortaretur, qui etiamſi Chriſtianam profiterentur vivendi rationem, adeo tamen illorum illecebræ certaminum agebantur, ut ab eorum conſpectu abſtinere non valerent. Illi igitur *in iſta cauſſa, adverſus nos, ita argumentari conſueverunt*, inquiebat Tertullianus, *nihil obſtrepere religioni in animo & in conſcientia tanta ſolatia extrinſecus oculorum, vel aurium; nec vero Deum offendi oblectatione hominis, qua, ſalvo erga Deum metu & honore, ſuo in tempore, & ſuo in loco, frui ſcelus non ſit. Atquin hoc cum maxime paramus demonſtrare*, ſubdebat Septimius, *quemadmodum iſta non competant veræ Religioni, & vero obſequio erga Deum.* Id poſtquam oſtendit, eorum obtentus refert, immo loca Scripturarum, quibus abutebantur, ut viſendorum ſpectaculorum libertatem tuerentur: quod idem præſtat vetuſtiſſimus auctor libri de ſpectaculis Cypriano aſſertus: quare intelligimus, non defuiſſe primis illis ſeculis, qui Chriſtianæ ſeveri-

tatem

tatem diſciplinæ ſpecioſiſſimis interpretationibus lænirent : eodemque, quo in præſens, modo actam de ſpectaculis, ac theatralibus de ludis controverſiam. Quid non enim in mortalibus ſemper potuit concupiſcentia oculorum? Ea plurimos Chriſtianorum laboraſſe deploravit æque ſanctus Baſilius, qui, homilia in S. Gordium martyrem, deſcripturus paſſionem eius, quæ in theatro contigit, dum urbs annuum celebratura idoli feſtum, ac æqueſtre certamen ſpectatura, theatrum occupaverat; *Quum igitur*, inquit, *collectus fuiſſet in eminentem locum omnis populus; non Judæus aberat, non Græcus;* καὶ Χριστιανῶν δὲ πλῆθος οὐκ ὀλίγον αὐτοῖς συνανεφύρετο, *immo vero erat eis admixta MAGNA MULTITUDO CHRISTIANORUM, qui incaute viventes; & una cum concilio vanitatis ſedentes, neque congreſſus male agentium declinantes, celeritatem equorum; & aurigarum peritiam, tunc ipſi quoque ſpectabant.* Adeo in immenſo Credentium numero deeſſe vix poterant, qui a legibus caſtigatiſſimæ pietatis non recederent.

Edito autem opere de ſpectaculis, librum de idololatria ſcripſit Tertullianus, plurimos ob fideles eo in errore verſantes, ut idololatriam in ſolo Numinum cultu poſitam eſſe crederent; propterea Chriſtiani artifices idolis adhuc fabricandis, pingendis, ſculpendiſque, aut inſtrumentis ad falſum cultum pertinentibus operam darent. Eos redarguit Septimius, alios deinde, qui ſibi climactericos obſervare annos fas adhuc in Chriſtianiſmo eſſe exiſtimabant; Chriſtianos etiam ludimagiſtros, qui honorifica mentione Deorum ge-

genealogias & vices celebrare cogebantur; mercatores, ſervoſque non legitimis conditionibus mancipatos, & adſcriptos; denique illos, qui in feſtis ac ſolemnitatibus Deorum lætari non erubeſcebant. *Saturnalia*, inquit, *& Januariæ, & Brumæ, & Matronales frequentantur? munera commeant? ſtrenæ conſonant? luſus, convivia conſtrepunt? O melior fides nationum, in ſuam ſectam, quæ nullam ſolemnitatem Chriſtianorum ſibi vindicat! plures jam invenies ethnicorum fores ſine lucernis & laureis, quam Chriſtianorum.* Quoniam vero ethnicis Matronis inferiores videri nolebant mulieres Chriſtianæ in luxu, ornatuque & cultu capillorum, duobus libris de cultu fœminarum inſcriptis eas admonuit Tertullianus, (quemadmodum Cyprianus ſeculo ſequenti; eadem namque corrigendi perſeverabat neceſſitas; & fœminæ ſemper fœminæ,) ut immodicos illos vitarent ſumptus, & modeſtiam Chriſtianarum propriam æmularentur. Tot igitur tantoque erant numero ſecundi, ac tertii ſeculi fideles, ut inter tot morum ſanctitate ac præclariſſimis virtutibus fulgentes, eſſent adhuc plurimi, qui, vel acerbiorum tempore perſequutionum, omnia blanditiarum genera, cunctaque a ſe abſcindere dulcioris vitæ retinacula haud valerent. Quî enim id contingere in fidelium paucitate potuiſſet?

Non ignoramus, plus æquo rigidiorem fuiſſe Tertullianum, ac hæreticum factum, licita quoque criminatum in Catholicis fuiſſe. Negari non poteſt tamen, ipſum in caſtris adhuc noſtris militantem, jure queſtum de infirmioribus, immo peſſi-

peſſimis, aliquorum fidelium moribus fuiſſe, & ipſius querelas cum aliorum querelis Patrum conſonaſſe. Libro ad uxorem II. capite 1. ita ſcribebat: *Nunc ad ſecunda conſilia convertamur, reſpectu humanæ infirmitatis, quarumdam exemplis admonentibus, quæ DIVORTIO, vel mariti exceſſu, oblata continentiæ occaſione, non modo abiecerunt opportunitatem tanti boni, ſed ne in nubendo quidem diſciplinæ meminiſſe voluerunt, ut in Domino potiſſimum nuberent.* Nonnumquam igitur ætate illa uxores aliquæ Chriſtianæ defuncto viro matrimonium non modo cum Gentilibus contrahebant; quod locupletioribus quibuſdam Chriſtianis matronis, ob faſtum & dominandi cupiditatem, contigiſſe, heic declarant Septimii interpretes; verum etiam plurimæ coniugio per divortium ſolutæ, non expectato mariti exceſſu, alteri nuptum ibant. Id enim citatus indicat, aliaque librorum Tertulliani ad uxorem loca; nam quod poſtea, Montaniſta factus, in libro de Monogamia ſcripſerit: *Nobis, etſi repudiemus, ne nubere quidem licebit*, id de paracleticis ſuis intelligendum eſſe, ſcopus & ſeries orationis ſatis manifeſtum faciunt. Eiuſmodi, qua, pro civilium patientia legum, abutebantur licentia plures etiam Chriſtiani, æque patet ex iis, quæ Origenes ſcribebat tomo in Matthæum IV. videlicet: *Jam vero contra Scripturæ legem, mulieri, VIVENTE VIRO, nubere quidam Rectores Eccleſiæ permiſere, agentes contra id, quod ſcriptum eſt: mulier alligata eſt, quanto tempore vir eius vivit; & contra illud: igitur vivente viro mulier vocabitur adultera,*

ſi

ſi fuerit cum alio viro. Non omnino tamen ſine ratione; hæc enim contra legem inviolatam & ſcriptam, AD VITANDA PEIORA; alieno arbitrio morem gerentes, Eccleſiæ Rectores permiſiſſe, veriſimile eſt. οὐ μὴν πάντη ἀλόγως; εἰκὸς γὰρ τὴν συμπεριφορὰν ταύτην συγκρίσει χειρόνων ἐπιτρέπεσαι παρὰ τὰ ἀπ' ἀρχῆς νενομοθετημένα καὶ γεγραμμένα. Nec modo in Africa; & in Ægypto; verum etiam & in Hiſpaniis, & in Græcia; & in Oriente; eam repudiorum, quibus nova ſuccedebant matrimonia, licentiam obtinuiſſe; fidem faciunt Illiberitani Canones, Canones Baſilii ad Amphilochium, ac denique Apoſtolici, quorum collectio antiquioribus ex Synodis per diverſa loca celebratis, ſecundo exeunte, tertiove nondum adulto ſeculo facta oſtenditur a Beveregio, cuius judicium acutioribus probatum viris proteſtatur Ittigius in appendice de Hereſiarchis capite XI. §. 15. Ipſorum namque diſciplina Canonum, &, ut ita dixerim; materia; non modo evincunt infinita prope fuiſſe corrigenda; ideoque innumeros jam tum eſſe oportuiſſe Chriſtianos; verum etiam in id maxime ſacros Præſules incubuiſſe, ut frequentiſſima illa repudia, & nefaſta averruncarent matrimonia. Quid enim ſibi volebant tot illorum temporum decreta contra *Mœchos*? Quamvis enim ſub μοιχέιας nomine fornicarias quaſcunque coniunctiones Græci exprimere ſolerent; non eos tamen reſpexiſſe decreta credendum eſt; quorum, ceu occultum peccatum, publicæ ſubjici non ſolebat pœnitentiæ; ſed, Evangelica pro phraſi, eos; qui, dum uxores dimitterent,

terent, eas mœchari facerent, aut qui, dum dimiſſas ducerent, revera mœcharentur. Equidem originem mali a viris ethnicis, vel ab ethnicis uxoribus profeciſſe arbitror: quod e verbis eruimus Arnobii libro contra Gentes II. ubi fortitudinem, & conſtantiam noſtrorum laudans, iis agi ac moveri hoſtes debuiſſe inquit, & conſiderare: *Quod ab Dominis ſe ſervi cruciatibus affici, quibus ſtatuerint, malunt, SOLVI CONIUGES MATRIMONIIS, exhæredari a parentibus liberi, quam fidem rumpere Chriſtianam, & ſalutaris militiæ ſacramenta deponere.* Quibus propterea intelligimus factum fuiſſe, ut religionis cauſſa vel Chriſtiani viri ab infidelibus uxoribus, vel mulieres Chriſtianæ ab infidelibus viris fuiſſent derelictæ. Viris illis vero & infidelibus uxoribus alia ad vota tranſeuntibus, fas id & ſibi fuiſſe plurimi noſtrorum credidere: quod tamen minime præſtare debuiſſent; nam Apoſtolus I. ad Corinthios 7. ſcripſerat quidem: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam: & ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum. Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi.* Hæc, inquam, ſcripſerat equidem Apoſtolus, ex quibus tamen perperam nonnulli, aut aliquæ ab infidelibus ita derelictæ, anſam ſibi ſumebant, nova ineundi matrimonia. Quid autem extundere a ſanctiſſimis Præſulibus aut iteratas & perpetuas prohibitiones, aut tantæ, de qua teſtabatur Origenes, licen-

licentiæ tolerantiam valuiſſet, niſi ipſa peccantium frequentia, & multitudo? nam, ut de verſantibus in concubinatu poſtea ſcripſit Auctor ſermonis II. in Dominicam XII. poſt Pentecoſten, qui inter opera Auguſtini circumfertur; *Sed forte illi, qui iſto peccato non ſunt maculati, dicent: quare qui hoc agunt, a communione non ſuſpenduntur? Ideo autem tantum ſcelus a Sacerdotibus non vindicatur, quia a MULTIS admittitur: ſi enim unum, aut duo, aut quatuor, aut quinque, mala iſta facere præſumerent, & poterant, & debebant non ſolum a communione ſuſpendi, ſed etiam a convivio, & colloquio Chriſtiani populi ſeparari. MULTITUDO tamen peccantium prohibet Sacerdotes Domini in illis diſtinguere: faciunt tamen boni Sacerdotes quod poſſunt, & cum perfecta charitate contendunt orare, & ſuſpirare jugiter, & gemitus ac rugitus effundunt, ut in quibus PROPTER INFINITAM MULTITUDINEM, non poſſunt ſeveritatem, vel diſciplinam Eccleſiaſticam exercere, monendo, vel orando pro eis, poſſint vel aliquando ad pœnitentiam provocare.* Si prope INFINITA MULTITUDO peccantium in cauſſa fuit, cur alicubi & aliquando a Præſulibus Eccleſiæ tolerarentur, aliis vero temporibus, aliiſque in locis, ſexcentis frænari oportuerit Canonibus eiuſmodi abuſus, negari profecto non poteſt, immenſam jam tum temporis eſſe in univerſum debuiſſe copiam Chriſtianorum. Addimus *συνεισάκτους* viros & mulieres, ſive quamplurimos ex noſtris eo temporis pudica mente, ut inquiebant, erotica ſectatos, corporeoque amori ſuam eſſe laudem, conten-

tendentes, modo ipſa in *συνοικίᾳ παντὸς σωματικῦ πάθος* liberi eſſent, omnique corporum violatione temperarent; quod flagitii genus ſuis deflebat in epiſtolis Sanctus Cyprianus, altaſque adeo egerat in omnibus provinciis radices, nihil ut non agere, earum, quæ proxime ſequutæ ſunt, ætatum Synodi debuerint, & Patres, ut morem peſſimum averruncarent, quemadmodum ex diſſertatione III. Cyprianica Dodwelli intelligimus, ac ex diſquiſitione I. Muratorii in anecdota ſua Græca, quæ de ſyniſactis eſt, & agapetis. Eiuſmodi vero eroticorum genus, & morboſa animorum mollimenta, quî exiguo in cœtu reperiri potuiſſent? Quum niſi in frequentiorum otio urbium nos plurimum non videamus ſimiles peſtiferi moris elegantias, non maximo eſſe numero non potuit ſocietas illorum, apud quos tot tantæque mediis in perſequutionibus ea erant labe laborantes.

Id magis magiſque confirmat aliud hominum genus, videlicet lapſorum. Ita enim epiſtola VI. ad Presbyteros, Diaconoſque ſuos Cyprianus: *Dominum deprecemur, ſicut deprecari oportet eos, qui ſunt poſiti inter NUMEROSAM languentium ſtragem, & exiguam ſtantium firmitatem.* Stantes illi erant, qui non fuerant quidem a perſequutoribus tentati, ſed quos tamen non præſcripta exilia, non deſtinata tormenta, non rei familiaris damna, a Chriſtianæ profeſſione fidei removere potuerunt. Quum ille metus tamen atque terror cauſſa & occaſio lapſus innumeris fuiſſet, propterea epiſtola XVI. ita ad Clerum Romanum

num idem Cyprianus: *Cum comperiſſem eos, qui ſacrilegis contactibus manus ſuas atque ora maculaſſent, vel nefandis libellis nihilominus conſcientiam ſuam polluiſſent, exambire ad Martyres paſſim; Confeſſores quoque importuna & gratioſa deprecatione corrumpere, ut ſine ullo diſcrimine atque examine ſingulorum, darentur quotidie LIBELLORUM MILLIA contra Evangelii legem; litteras feci, quibus Martyres, & Confeſſores conſilio meo quantum poſſem ad Dominica præcepta revocarem.* Una in Eccleſia Carthaginenſi, poſt tranſeuntem, & non adeo diuturnam perſequutionem, dabantur quotidie a Martyribus & Confeſſoribus LIBELLORUM MILLIA in favorem eorum, qui, metu tormentorum lapſi, reconciliationem Eccleſiæ petebant. I nunc & dicito pauciſſimos fuiſſe per illa tempora Chriſtianos.

Fuere perſequutiones vero aliquæ ab intervallis etiam pacis provocatæ, ſcilicet in tranquillitate & quiete vitia erumpebant, quæ a multitudine numquam ſeparantur. Scribebat Cyprianus libro de lapſis: *Si cladis cauſſa cognoſcitur, & medela vulneris invenitur. Dominus probari familiam ſuam voluit, & quia traditam nobis divinitus diſciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & pene dixerim dormientem, cenſura cæleſtis erexit; cumque nos peccatis noſtris amplius pati mereremur, clementiſſimus Dominus ſic cuncta moderatus eſt, ut hoc omne quod geſtum eſt, exploratio potius, quam perſequutio videretur. Studebant augendo patrimonio ſinguli, & obliti quid Credentes, aut ſub Apoſtolis ante feciſſent, aut ſemper*

facere

ſacere deberent, inſatiabili cupiditatis ardore, ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio devota, non in Miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina. Compta barba in viris, in fœminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda ſimplicium callidæ fraudes, circumveniendis fratribus ſubdolæ voluntates: jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, proſtituere Gentilibus membra Chriſti, non jurare tantum temere, ſed adhuc peierare: Præpoſitos ſuperbo tumore contemnere, venenato ſibi ore maledicere, odiis pertinacibus invicem diſſidere: Epiſcopi plurimi, quos hortamento eſſe ceteris oportebat, & exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum ſecularium fieri, derelicta cathedra, plebe deſerta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari. Eſurientibus in Eccleſia fratribus non ſubvenire, habere argentum largiter velle, fundos inſidioſis fraudibus rapere, uſuris multiplicantibus fœnus augere &c. Funeſti hi appellabantur a Cypriano effectus pacis, quæ fuit totis annis XVI. vel potius XXXVI. a Severo uſque ad Decium; nam quæ ſub Maximino fuit perſequutio non ſæviit in Africa, ut ex epiſtola Firmiliani inter Cyprianicas apparet.

Sed triſtiorem ac luctuoſiorem Eccleſiæ faciem ante Diocletiani perſequutionem Euſebius nobis exhibet, ac veluti cauſſas indigitat eiuſmodi perſequutionis, ita librum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ VIII. auſpicatus: *Qualem quantamque gloriam, ſimul ac libertatem doctrina veræ erga ſupremum Deum pie-*

 tatis

tatis a Chriſto primum hominibus annuntiata, apud omnes Græcos pariter ac Barbaros, ante perſequutionem noſtra memoria excitatam conſequuta ſit, nos certe pro merito explicare non poſſumus. Argumentum eſſe valeat Imperatorum benignitas erga noſtros, quibus regendas provincias committebant, omni ſacrificandi metu eos liberantes, ob ſingularem, qua in religionem noſtram affecti erant, benevolentiam. Quid adtinet de iis dicere, qui ſunt in Imperatorum domibus, & de iis, qui omnibus imperant: qui domeſticis coram ſe, in iis, quæ ad Numen ſpectant, ſermone & vitæ inſtituto libere agentibus indulgebant, uxoribus ſuis ac liberis, & famulis tantum non quoque gloriari de libertate fidei permittentes? ... Jam vero quis INNUMERABILEM hominum quotidie ad fidem Chriſtianam confugientium turbam, QUIS NUMERUM ECCLESIARUM IN SINGULIS URBIBUS, QUIS ILLUSTRES POPULORUM CONCURSUS IN ÆDIBUS SACRIS cumulate poſſit deſcribere? quo factum eſt, ut priſcis ædificiis non contenti, in ſingulis urbibus ſpatioſas ab ipſis fundamentis exſtruerent Eccleſias. Atque hæc progreſſu temporis increſcentia, & quotidie in maius meliuſque proficientia, nec livor ullus atterere, nec malignitas dæmonis faſcinare, nec hominum inſidiæ prohibere umquam potuerunt, quamdiu omnipotentis Dei dextera populum ſuum, utpote tali dignum præſidio, texit atque cuſtodiit. Sed quum ex nimia libertate in negligentiam & deſidiam prolapſi eſſemus, quum alter alteri invidere, atque obtrectare cœpiſſet, quum inter nos quaſi bella inteſtina gerere-

reremus ; verbis, tamquam armis quibuſdam haſtiſque, nos mutuo vulnerantes ; quum Antiſtites adverſus Antiſtites, POPULI IN POPULOS colliſi, jurgia ac tumultus agitarent ; denique quum fraus & ſimulatio ad ſummum malitiæ culmen adoleviſſet : tum divina ultio levi brachio, ut ſolet, integro adhuc Eccleſiæ ſtatu, & fidelium turbis libere convenientibus, ſenſim ac moderate in nos cœpit animadvertere, orta primum perſequutione ab iis, qui militabant. Quum vero ſenſu omni deſtituti, de placando Dei Numine ne cogitaremus quidem ; quin potius inſtar impiorum quorumdam res humanas nulla ſollicitudine ac providentia gubernari rati, alia quotidie crimina aliis adjiceremus : quum Paſtores noſtri ſpreta religionis regula, mutuis inter ſe contentionibus decertarent, nihil aliud quam jurgia, minas, æmulationem, odia, ac mutuas inimicitias amplificare ſtudentes, Epiſcopatum quaſi tyrannidem quamdam ſibi vindicantes ; tunc demum, juxta dictum Hieremiæ, obſcuravit Dominus in ira ſua filiam Sion, & deiecit de cœlo gloriam Iſrael &c. Sequuta ſcilicet eſt omnium ſæviſſima, diuturnaque Maximiani, & Diocletiani perſequutio, in qua, ceteras inter ærumnas, innumeræ ſacræ Chriſtianorum ædes ſolo æquatæ, ac funditus ſubverſæ ſunt.

Fortaſſe conſultius alicui videri poterit fuiſſe, ab infelici eiuſmodi immagine ac facie abſtinere in elucubratione Religionis Chriſtianæ amplitudinem, decus, & gloriam vindicante. Verum, præterquamquod non erubuit Apoſtolus in epiſtola ad Romanos capite 2. ſcribere, nomen Dei, jam fuiſſe blaſphematum inter Gentes, quando ali-

aliquorum mores fidelium adverſari doctrinæ Chriſti aſpiciebant; accedit, ſi allegatis Scriptoribus fides danda, ubi de pravis egerunt plurimorum inter noſtros moribus, fidem æque eſſe eiſdem præſtandam, tum ubi de eximiis dicunt ac prope divinis plurium aliorum virtutibus ac meritis; tum etiam ubi MAGNAM, MAXIMAM, IMMENSAM, ET INNUMERABILEM fuiſſe proteſtantur per illa tempora fidelium MULTITUDINEM ET COPIAM. Immo ita ratiocinari ex allegatis placet: cunctis notum eſt, Epiſcopos, Presbyteroſque illorum temporum, in probe ſcrutandis, probandiſque, ac ſeligendis iis, qui per Baptiſmum Chriſtianam in ſocietatem admitti poſtulabant, diligentiſſimos fuiſſe; inde enim diuturnius, ac protractum Catechumenatus aliquorum tempus, inde tot expetita aut recte anteactæ vitæ, aut certe impoſterum mutandæ experimenta: quare fieret, ut niſi qui ſanctioris ſtudio diſciplinæ arderent, ſacrum ad lavacrum non admitterentur. Qui igitur tum Tertulliani, Origenis, ac Cypriani tempore, tum ante perſequutionem Diocletiani, tot laborabant humanæ infirmitatis, ac infirmioris animi labibus Chriſtiani, utique recens tunc initiati eſſe non poterant; ſed nati natorum potius, aut longe diſſiti nepotes eorum, qui jam olim Chriſtianis ſacris nomen dederant; nemo enim repente fit malus, nec ſtatim adeo, atque in recens initiatis elangueſcere poterat mox conceptum tam ſanctæ verendæque ſtudium religionis; proindeque, ſi ſegnes infirmoſque, immo & malos, & ali-

quan-

quando peſſimos eiuſmodi, iis adjiciamus, qui veſtigia maiorum preſſius ſequuti, in Chriſtianarum exercitio virtutum jugiter perſeveravere; utriſque autem INNUMEROS quotidie, ut Euſebius inquiebat, ad Eccleſiam accedentes addimus Chriſtianos, nemo jure dubitaverit, valde ante pacis, & Conſtantini tempora, fidelium copiam ingentiſſimam fuiſſe.

CAPUT VIII.

Ex locis, in quæ primorum Chriſtiani temporum ad celebranda ſacra conveniebant, magis magiſque patet eorum multitudo.

CLARKSONUS ad paucitatem primorum fidelium oſtendendam, animadvertenda inquit loca, in quæ, religionis ergo, conveniebant. Adſerit igitur, omnes Chriſtianos, qui eo temporis aliquo in oppido, aut frequentiſſima etiam in urbe morabantur, unum ſimul convenire in locum conſueviſſe, ſive dum ſtato die ſacrum celebrarent, ſive dum univerſus cœtus eadem in Eccleſia Epiſcopum eligeret; ſive dum aliquid totius conſenſu populi eſſet decernendum. Uno in loco, qui Eccleſia appellabatur, ſubdit, habebantur ad cœtum homiliæ; uno ſimul in loco, nec niſi præſente Epiſcopo, celebrabatur a fidelibus Euchariſtia, una omnes aderant, una precabantur, unummodo eſſe in Eccleſia altare poterat, adeo ut al-

terum erigere altare, idem eſſet atque ſchiſma facere. Quærit igitur, quomodo multi unum convenire in locum, unoque ſimul in loco contineri potuerint fideles? quod quum fieri ſane non potuerit, conſequitur, eos ante Conſtantinum, immò etiam tempore Juliani, pauciſſimos fuiſſe.

Errat tamen vehementiſſime Clarkſonus, dum ponit, unum in locum univerſim conveniſſe ſimul omnes eiuſdem urbis, aut Eccleſiæ fideles; quum immo ſive perſequutionis, ſive pacis tempora reſpicimus, oppoſitum conſtare videatur. Jam enim ſi ab ipſo Chriſtianæ Religionis exordio auſpicemur, integer Actuum Apoſtolicorum liber nobis manifeſtat, pluribus in ædibus privatis ad ſacra peraganda congregari Credentes conſueviſſe, quas inter, & ſynagogas Judæorum, illud intercedebat diſcrimen, quod iſtæ eſſent ædes publicæ, quatenus liberum & permiſſum erat Judaicæ Religionis exercitium; illæ vero privatæ tantum eſſent, & a ſola pietate fidelium, ad uſum ſacrum adhibitæ ac deſtinatæ. Ea nota ſunt Apoſtoli I. ad Corinthios 16. *Salutant vos in Domino multum Aquila & Priſcilla, cum DOMESTICA SUA ECCLESIA.* Et ad Coloſſenſes 4. *Salutate fratres, qui ſunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in DOMO EIUS eſt Eccleſiam.* Denique ad Philemonem: *Paullus & Timotheus Philemoni, & Appiæ, & Archippo, & Eccleſiæ, quæ in DOMO TUA eſt.* Et primum quidem, ſi de Romana agitur Eccleſia, rem egregie explicat Cl. Franciſcus Blanchinius in adnotationibus hiſtoricis ad vitas Romanorum Pontificum, in Evariſto;

ſto; ubi enim Pontificalis liber habet: *Hic Titulos in urbe Roma diviſit Presbyteris*, ſcribit: quos, inquies, Titulos? *Domeſticas ſcilicet Eccleſias* hoſpitum & diſcipulorum Petri & Paulli: quas ad conventus fidelium, & ſynaxes peragendas concedebant: puta *domeſticam Eccleſiam* Priſcæ, & Aquilæ, quam Sanctus Paullus memorat in epiſtola ad Romanos capite XVI. 3. Romanum Titulum, etiam nunc celebrem in Aventino; Lucinæ ſenioris, Apoſtolorum pariter hoſpitæ, hodie titulum primi Presbyteri Cardinalis; Pudentis in Vico Patricio, ubi Paullum baptizaſſe vetera monimenta teſtantur; Clementis ad radices Cælii, in *paterna Pontificis illius Domo*, ut ferunt, qui Lino ſucceſſit; Claudiæ quoque ÆDES, & illorum, qui de domo Cæſaris erant, ab Apoſtolo indicati dum ex urbe ad Philippenſes ſcriberet. His adde DOMOS militum Romanorum, ſive eorum, qui in Palæſtina ad fidem converſi cum Centurione Evangelico cohortis Italicæ baptizati fuerant a Petro Apoſtolo, & ſubinde revocati in Italiam ſua cum Legione, ſub Principibus Caio, & Claudio; ſive etiam Romæ, Antiochiæ, & in Aſia minori, in Græcia, Apoſtolorum Petri, & Paulli, Barnabæ prædicatione Chriſtum profeſſi, & in urbem reverſi ſuis cum Doctoribus hic morabantur. Adde quos indicat Florentinius in adnotationibus ad ſuum Martyrologium antiquum Kalendis Auguſti, ex teſtimonio Ambroſii, Theodoreti, Theophylacti, Œcumenii, Primaſii. Recenſe Judæos Romæ a Paullo fidem edoctos per biennium in ſuo conducto,

ut habemus Actorum XXVIII. ubi Diaconiam Sanctæ Mariæ in via lata poſtmodum erectam Scriptorum conſenſus tradit: nec non reliquos, qui poſt Hieroſolymorum excidium a Tito Romam perducti, vel ſub Nerva Principe revocati, *domeſticas Eccleſias* in Tranſtiberina regione fidelibus aperiebant. Denique addenda Nobilium Romanorum DOMICILIA, qui equeſtri loco nati, aut etiam ex ordine Senatorio ad Chriſtum vocati, (quandoquidem & Clemens inter Conſulares ſub Domitiano, Chriſti martyr effectus eſt,) inter fratres recenſebantur ſub conſequutis Principibus Nerva, & Traiano, cuius anno XIV., inquit Blanchinius, *etiam in Provinciis TANTUS CHRISTIANORUM NUMERUS florebat, quantum demonſtrant literæ celebres eiuſdem Principis, & Plinii in Bithynia Proconſulis.* Præfulgebant vero inter primos & præcipuos nobiles, ac cives Romanos in urbe Chriſtum colentes, Æquites illi Cæſariani, qui verbum Dei Petro annunciante palam ſuſceperant ex ſententia Clementis Alexandrini, alteriuſque gravis Scriptoris, tomo I. Bibliothecæ Patrum ad calcem Commentari in I. Petri epiſtolam. *Quum igitur Eccleſia Romana*, proſequitur Blanchinius, *mirum in modum aucta ſub Pontificatu Evariſti, ſatis abundaret domibus civium poſitis in unaquaque urbis regione, putavit tuto concedi poſſe ſingulis Presbyteris DOMOS, ſive TITULOS, ſingulis in regionibus urbanis ſitos, quo facilior eſſet fidelium conventus ad ſynaxes peragendas, & ad reliqua Chiſtiana ſacra frequentanda, eodem plane ritu atque exemplo, quo*

Hie-

Hieroſolymis Apoſtoli poſt appoſita die una, animarum tria millia, *ut Actorum II. legimus*, frangebant circa DOMOS panem; nec ceſſabant in templo & circa DOMOS docere, & evangelizare Chriſtum Jeſum, quemadmodum habetur Actorum V. *Quæ intra annum a Chriſti Domini morte, & ab adventu Divini Spiritus, geſta Hieroſolymis, ſatis evincunt, quantum DOMORUM, & incrementi Titulorum potuerit in urbe addi Chriſtiano cœtui.* Ille hucuſque. Verum de Titulis antiquiſſimis urbis ſatis ſuperque Onuphrius Panvinius, Cardinales Baronius, & Bona, Severinus Binius, Pagius, Mabillonius, Ciampinus, &c. Nec aliud frequentius memorant Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Minutius Felix, Cyprianus, Arnobius, &c. quam Eccleſias fidelium; nam quamvis in templa, ceu in defunctorum ſepulchra, & clauſtra Numinum, inveherentur; attamen ὑπερῷα Κυριακὰ, εὐκτηρίους οἴκους, areas, loca, domoſque divino ſacras cultui ad uſum noſtrorum celebrabant: quemadmodum aras, ſive βώμους, rejicientes, altaris, ſive θυσιαστηρίου nomen amplexabantur; vixque alicui ignotum eſſe poteſt, phraſim fuiſſe Euſebio familiarem? οἴκους ἐν οἷς συνήγοντο οἱ Χριστιανοὶ, *DOMOS, in quas conveniebant Chriſtiani*, οἴκους ἐκκλησιῶν οἰκοδομεῖν, *DOMOS ſacrorum cœtuum ædificare*; quare & voces *Domus Dei*, *Domus orationis*, ſynagoga, Titulus, ac ſimiles, ex privatis domibus, in quas convenire ſoliti olim fideles erant, derivatæ.

Nec vero in oppoſitum, quemquam moveat, quod Plinius ad Traianum ſcripſerit, ſolitos fuiſſe no-

noſtros *ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem*; aut quod Juſtinus martyr in apologia II. dixerit, *ſolis die, omnium, ſive urbes, ſive agros incolentium, fieri fidelium conventum.* Significare namque ſolum voluerunt, quod ut de ſe cognoſcerent ethnici, ſatagebant Chriſtiani: conventus ſe ſuos agere innocue conſueviſſe, inque caſtas & legitimas convenire ſolitos ſynaxes, non in coniurationem aliquam, aut ſcelus perpetrandum: loca ceterum, & numerum quo convenirent, potius celantes, niſi demum, ut diximus, a Judicibus interrogarentur. In vetuſtiſſimis Actis martyrii, eiuſdem Juſtini egregium habemus huius rei teſtimonium. Quum enim a viro Dei quæſiviſſet Præfectus: *Quemnam in locum convenirent Chriſtiani?* reſpondit Juſtinus: *eo unumquemque convenire quo vellet, ac poſſet. An, inquit, exiſtimas omnes nos in eumdem locum convenire ſolitos? Minime res ita ſe habet.* Tunc Præfectus: *Age, inquit, dicas quem in locum conveniatis, & diſcipulos tuos congreges*: reſpondit Juſtinus: *Ego prope domum Martini cuiuſdam, ad Balneum cognomento Timiotimum hactenus manſi.* Secundo Romam ſe veniſſe ſubdit Sanctus Martyr, nec alium, niſi quem dixerat, locum frequentaſſe; *Ac ſi quis, inquit, ad me venire voluit, communicavi cum illo veritatis doctrinam.* Quibus ex verbis colligunt viri præſtantiſſimi, Juſtinum fuiſſe Presbyteratus ordine donatum. Maurinus revera editor operum B. Martyris, parte II. præfationis cap. 10. de conventuum Chriſtianorum loco agens, inquit:

quit: *Ille omnium ſive urbes, ſive agros incolentium in eumdem locum conventus*, non ſine aliqua exceptione intelligendus. Nam ubi vehemens erat perſequutio, id fieri non poterat; unde interrogatus a Præfecto Juſtinus, quem in locum Chriſtiani convenirent? reſpondit, *eò unumquemque convenire QUO VELIT, AUT POSSIT. An*, ſubdit, *exiſtimas omnes nos in eumdem locum convenire ſolitos? MINIME RES ITA SE HABET.* Præterea in magnis civitatibus unus omnes Chriſtianos locus excipere non potuiſſet. Quin etiam Romæ videntur nonnullæ exſtitiſſe Eccleſiæ, in quibus ad commodum eorum, qui ex Oriente Romam veniebant, liturgia Græco ritu, & Græca lingua celebraretur. Nam interrogatus a Præfecto, ut modo vidimus, Juſtinus declarat, ſe manſiſſe *prope DOMUM Martini cuiuſdam ad balneum cognomento Timiotimum, ac per totum tempus*, quod Romæ traduxit, *alium conventus locum* non cognoviſſe. In hac ergo DOMO myſteria celebrari ſolebant, idque Græcæ Eccleſiæ ritu & lingua, utpote ab ipſo Juſtino, ut veriſimile eſt, celebrata. Atque id cauſſæ eſſe puto, cur liturgia a ſancto Martyre expoſita, non Romanæ, ſed ei, quæ eſt in Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſimilis ſit. Qui cum Juſtino comprehenſi ſunt; & morte damnati, videntur Juſtinum habuiſſe animarum ſuarum Rectorem, & ex iis locis, ubi Græca lingua vigebat, Romam veniſſe. Quærit enim ex iis Præfectus, an non eos Juſtinus Chriſtianos fecerit? Evelpiſtus *ſe Juſtini ſermones magna cum voluptate* audire ſoli-

tum

tum dicit. Is e Cappadocia, Hierax Iconio Romam venerat. Editor ſancti Martyris hucuſque.

Tertullianus, qui veteris Eccleſiæ ſtatum, & ſynaxeos habendæ rationem tantum non ante oculos ponit, ita eam deſcribebat capite xxxix. Apologetici: *Coimus in cœtum, & congregationem facimus, ut ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus.* Ad quæ Rigaltius, & Havercampus, *quaſi manu facta*, explicant, *collectis MANIPULATIM copiis.* Proſequitur Tertullianus: *Præſident probati quique Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti.* Quo ſane dicendi modo varios in eadem urbe ac Eccleſia Chriſtianorum conventus indigitat; quemadmodum libro de corona militis capite 3. de Euchariſtia loquens: *Nec de aliorum manu*, inquit, *quam PRÆSIDENTIUM ſumimus.* Per Præſidentes intelligendos eſſe illos, qui ſacris cœtibus, in quibus Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtratum fuerit, præfuerint, docet cum ceteris Septimii, Interpretibus Rigaltius, in adnotationibus ad librum de exhortatione ad caſtitatem ſcribens: *Qui turbæ, & conſeſſui præerat, communi vocabulo dicebatur Præſes, ſive Præſidens, & Præpoſitus*, ὁ πρόεστως. Quare denotare voluerit Septimius, Presbyteros diverſis conventibus, qui, perſequutionis præſertim tempore, in diverſis habebantur privatorum hominum ædibus, Præfectos; cuius teſtimonium rei habes illuſtrius, ubi in libro de fuga in perſequutione declamans, ut jam vidimus, contra Epiſcopos Catholicos, facultatem conveniendi numerata clam pecunia redimen-

dimentes, ita ſibi eorum agendi rationis cauſſas objiciebat: *Sed quomodo colligemus, inquit, quomodo Dominica ſolemnia celebrabimus?* quibus reſpondebat: *Si colligere interdiu non potes, habes noctem luce Chriſti luminoſam. Non potes diſcurrere per ſingulos, ſit tibi & in tribus Eccleſia. Melius eſt TURBAS tuas aliquando non videas, quam addicas*, nempe tributariæ ſervituti. Quid rogo ſunt TURBÆ illæ, de quibus hic ait Tertullianus? non aliud certe, quam varii & ſingulares eiuſdem Eccleſiæ cœtus & conventus, qui uni Epiſcopo parebant. Sic Gregorius Nyſſenus, in vita Divi Gregorii Thaumaturgi, ait, ob perſequutionem, *non potuiſſe tunc in unum colligi Eccleſiæ fideles, ſed per ſparſos tantum, & exiguos MANIPULOS.* οὐδὲ εἰς ἓν συναγόμενον, ἀλλὰ κατὰ μικρὸν συλλεγόμενον. Cyprianus autem epiſtola LVI. *Nec quiſquam fratres dilectiſſimi, cum populum noſtrum fugari conſpexerit metu perſequutionis & ſpargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes Epiſcopos audiat. Simul tunc omnes eſſe non poſſumus.* Innumera eiuſmodi collectarum in privatis fidelium domibus perſequutionum tempore habemus exempla in ſinceris Actis Martyrum, a nemine ignoratis.

Medio tertio ſeculo noſtros publicas jam habuiſſe ad conveniendum ædes ſacras, ſive templa, adeo in præſens notum & conſtitutum eſt, ut id heic oſtendere ineptum foret. Valde enim ante perſequutionem Diocletiani id contigiſſe evincit, ſuperiore laudatum capite Euſebii teſtimonium:

nium: *Jam vero quis INNUMERABILEM hominum quotidie ad fidem Chriſtianam confugientium turbam, quis NUMERUM ECCLESIARUM SINGULIS IN URBIBUS, quis illuſtres populorum concurſus in ÆDIBUS SACRIS cumulate poſſit deſcribere?* quo factum eſt, ut τοῖς παλαιοῖς *priſcis ædificiis* non contenti, in ſingulis urbibus SPACIOSAS ECCLESIAS a fundamentis extruerent. Idem evincit illuſtris locus Lampridii in Severi vita, capite XLIX. ubi magnifice de Eccleſiis noſtris illius ætatis loquitur; quemadmodum & Flavius Vopiſcus; idem evincunt denique tot ſolo æquata in perſequutione Diocletiani ſacra noſtrorum ædificia, atque templa. Notatu dignum eſt, quod legimus in libro de mortibus perſequutorum capite 12. *Terminalia deliguntur, quæ ſunt ad VII. Kalendas Martias, ut Eccleſia Nicomedienſis everteretur. Imperatores vero in ſpeculis diu inter ſe concertabant, utrum ignem potius ſupponi oporteret. Vicit ſententia Diocletianus, cavens, ne MAGNO INCENDIO FACTO pars aliqua civitatis arderet.* Ampla profecto & ſpatioſa fuerit oportet ædes illa, cujus ex conflagratione majus in urbe incendium timeri debuiſſet. Itaque XIII. Februarii ſecuribus & aliis ferramentis ædes illa fidelium ſacra, juxta allegatum Auctorem, a Prætorianis ſolo æquata eſt. Verum nos id agimus in præſens, ut ob maximam Chriſtani populi multitudinem & copiam plures jam tum fuiſſe univerſim eadem in urbe Eccleſias oſtendamus. Cornelius Romanus Pontifex, qui medio tertio ſeculo floruit, in epiſtola ad Fabium An-

Antiochenum, ab Euſebio citata libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ VI. capite 43. de Novato ſcribens Epiſcopatum Romanum ambiente, his utitur contra illum verbis: *Ignorabat ille igitur, unum Epiſcopum eſſe oportere in Catholica Eccleſia, in qua tamen ſciebat, Presbyteros quidem eſſe ſex & quadraginta, ſeptem vero Diaconos, totidem Subdiaconos &c. Et tamen tanta, tamque neceſſaria in Eccleſia MULTITUDO, cœtus ille divinæ Providentiæ copiis opulentus & NUMEROSUS,* μετὰ μεγίςȣ καὶ ἀναριθμήτȣ λαȣ̃ *cum IMMENSO ET INNUMERABILI POPULO, ab huiuſmodi deſperatione & audacia illum deterrere, & ad Eccleſiam revocare non potuit.* Unus profecto locus, qui univerſam Clarkſoni machinationem deſtruit, elidit, evertit. Vides enim heic Epiſcopum a Presbyteris diſtinctum, vides hierarchiæ ordinem, IMMENSUM denique, & INNUMERABILEM POPULUM, vel unam, quæ Romæ erat, Eccleſiam conſtituentem.

Jam vero quum ætate Cornelii Pontificis Romana Eccleſia Presbyteros ſex & quadraginta numeraverit, ſequitur, totidem illic fuiſſe tunc fidelium conventus, aut Eccleſias; ſiquidem pro illius diſciplina temporis, ut Chriſtianus Lupus inquit in adnotationibus & ſcholiis ad Canones Chalcedonenſes, Presbyterum aliquem initiare, perinde ſe habebat, ac illum certæ Eccleſiæ Parochum præficere; ideoque quot erant illis temporibus Eccleſiæ, tot pariter Presbyteri numerabantur; idcirco a numero Presbyterorum illo ſane tempore Eccleſiarum numerus deducebatur;

batur; quare Franciſcus Pagius Pontificalis Scriptoris narrationi, qua ait Sanctum Clementem Presbyteros xxv. ordinaviſſe, id etiam indicare ſcite ſubiungit, urbem in totidem Parochias diſtinxiſſe. Valeſius in adnotationibus ad Euſebium, allegatam illuſtrans Cornelii Pontificis epiſtolam, ita ſcribit: ex hoc loco colligi poteſt, quot Baſilicas tunc Romæ habuerint Chriſtiani. Quum enim ſinguli Presbyteri ſuas regerent Baſilicas, ſi quadraginta ſex fuere Presbyteri, totidem fuiſſe Baſilicas dicendum eſt. Certe Optatus Milevitanus libro II. de ſchiſmate Donatiſtarum, Romæ quadraginta & amplius fuiſſe teſtatur Baſilicas ſub tempora perſequutionis Diocletiani, quum de Novatianis ſcripſerit: *Non enim grex, aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit, Baſilicas, locum, ubi colligerent, non habebant.* Ad quæ ita Ludovicus Ellies Dupinus: *Jam tum temporis, quum ſcilicet Victor illuc miſſus eſt circa initium ſchiſmatis Donatiſtarum, erant Romæ QUADRAGINTA BASILICÆ. Cornelius Summus Pontifex in epiſtola ad Fabium, quinquaginta circiter annis ante id tempus ſcripta, teſtis eſt, jam tum fuiſſe QUADRAGINTA SEX PRESBYTEROS in Eccleſia Romana; qui Presbyteri creduntur pluribus præfuiſſe Baſilicis. Athanaſius, in apologia contra Arianos, dicit, Concilium Romanum quinquaginta Epiſcoporum in ſui gratiam habitum, a Julio congregatum fuiſſe eo in loco*, ubi Vito Presbyter conventus agebat: ἔνθα Βίτων ὁ πρεσβύτερος συνῆγεν. *Ergo illis temporibus ſinguli quique Presbyteri ſuas habebant Baſilicas*

in

in urbe Roma, in quibus populum colligebant. Conſonant cum Dupino ceteri omnes Optati Milevitani Interpretes.

Equidem poſt Blondellum in apologia Hieronymi, Jacobus Baſnagius libro hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ I. capite 8. agi apud Optatum ſcripſit de Baſilicis, quæ ſuo tempore Romæ erant, non initio ſchiſmatis Donatiſtarum; tum quia ex aliquibus videatur monumentis, minore fuiſſe numero poſt illud tempus Romanæ Eccleſiæ Baſilicas; tum etiam quia, quæ hodie TITULI vocantur, poſteriori ætate conſtructæ fuere & conſecratæ. Imprudenter hæc tamen. Nonne enim in perſequutione Diocletiani prope omnes everſæ Baſilicæ fuere? nec per ſomnium vero dixit Optatus Baſilicas omnes illas hodiernos TITULOS fuiſſe. Repugnat vero magis ſeries orationis eiuſdem Optati. Quonam enim tempore quadraginta & amplius Baſilicas Romæ habebant Orthodoxi? eo ſane temporis, quo Novatiani *nec unum quidem locum, ubi colligerent, habebant.* Verum iſti, prope circa tempus Optati, Romæ & ipſi pluribus gaudere poterant Eccleſiis, quemadmodum erui jure fas eſt ex libro VII. cap. 9. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Socratis, ita de Innocentio Pontifice, qui ſucceſſit Anaſtaſio, ſcribentis: *Primus hic Novatianos Romæ degentes perſequi cœpit, multaſque eis Eccleſias ademit*; πολλὰς τε αὐτῶν ἐκκλησίας ἀφείλετο. Et capite XI. de Cœleſtino itidem Pontifice: *Et hic quoque Novatianis Eccleſias, quas Romæ habebant, ademit &c.* Igitur ea Optati, non de Baſilicis ſua ætate Romæ exi-

 ſten-

ſtentibus intelligenda ſunt, ſed de pluribus Eccleſiis, quas jam tertio labente ſeculo in urbe habebant Orthodoxi. Quare vero loca ſacris conventibus jam tum conſecrata, a poſterioris temporis Scriptoribus appellata fuerint Baſilicæ, neminem latere arbitramur.

Alexandrina urbs ſuo æque in ambitu plura continebat loca, in quæ veteres fideles ſacrorum cauſſa conveniebant. Scilicet de Ario agens Epiphanius hæreſi LXIX. ſcribebat; φασὶν δὲ αὐτὸν Λίβυν τῷ γένει, κ. τ. λ. *Ferunt illum, ex Libya oriundum, Alexandriæ Presbyterum eſſe factum, qui tum Baucalenſis cuiuſdam Eccleſiæ præfecturam gerebat. Etenim quotquot Alexandriæ Communionis Catholicæ Eccleſiæ ſunt, uni Archiepiſcopo ſubiectæ, ſuus cuiquæ præpoſitus eſt Presbyter, qui Eccleſiaſtica munera iis adminiſtret, qui circum Eccleſias illas habitant, eorumque conventicula, Vici, & Lauræ, ab Alexandrinis vulgo nominantur. Per illud igitur tempus Presbyter Arius habebatur, ac multi in unaquaque Eccleſia Collegæ illius erant Presbyteri. SANE COMPLURES ALEXANDRIÆ ECCLESIÆ SUNT, præter eam, quæ nuper exſtructa, Cæſaria dicitur: quæ olim Hadrianum, poſtea Licinianum Gymnaſium, ſive Baſilica fuit; deinde imperante Conſtantio ædificari in ea Eccleſiam placuit; idque opus a Gregorio Meletiano & Ariano inchoatum, a beato Athanaſio Orthodoxæ religionis parente, ad exitum perductum eſt, & ab eodem poſtea, quum ſub Juliano deflagraſſet, reſtauratum. Præter hanc vero ALIÆ SUNT PLURES, ut diximus, velut Dionyſii Eccleſia, Theonæ, Pierii,*

Sera-

Google

Serapionis, *Perſeæ*, *Dizyæ*, *Mendidii*, *Anniani*, *Baucalis*, *& ceteræ. Harum unam Colluthus adminiſtrabat*, *aliam Caupones*, *aliam Sarmatas*: *ſed & Arius iſte unam ex commemoratis illis Eccleſiis regebat. Quum autem ſinguli commiſſum ſibi populum per ſtatos*, *& ſolemnes conventus publice docerent*, *diſſenſiones in vulgus ſparſere &c.* Præter has vero alia tunc Alexandriæ erat χαλκμένη Κυρίου *Domini appellata*, ut ex epiſtola Divi Athanaſii ad ſolitarios adnotat ad hunc Epiphanii locum Petavius, ubi monet, Romæ jampridem inſtitutum idem fuiſſe diſtributis per TITULOS Preſbyteris, qui ſuum quique populum diverſis in cœtibus docerent.

Henricus tamen Valeſius, qui egregie locum Euſebii de pluribus Baſilicis medio tertio ſeculo Romæ exiſtentibus illuſtravit, non eadem videtur uſus diligentia, ubi ad cap. XI. lib. 7. eiuſdem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii, de Dionyſio Alexandrino ſcribens, cenſet iſtius ætate, ſcilicet medio ſeculo tertio, unicam adhuc fuiſſe Alexandrina in urbe Eccleſiam, poſtmodum vero, ætate Athanaſii, plures illic jam ædificatas; ideoque Alexandrinos fideles ſeorſim tunc in diverſis Eccleſiis collectos. Nulla tamen veriſimili coniectura id Valeſium adfirmare, jure animadvertit Willelmus Lowth in adnotationibus ad eumdem Euſebii locum, plures Alexandriæ Eccleſias diu ante Athanaſium fuiſſe arbitratus, quemadmodum Mauritium oſtendiſſe adverſus Baxterum admonet. Et ſane Athanaſius ea non modo utitur dicendi ratione, quæ ſatis indicat, Eccleſias, quas recenſet, jamdiu fuiſſe

conſtructas, verum etiam eas aperte appellat *Eccleſias Dionyſii, Theonæ, &c.* ut a Dionyſio, aliiſque Epiſcopis, vel Presbyteris Alexandrinis, qui tertio floruerunt ſeculo, ædificatas fuiſſe manifeſtet; quas diverſi etiam ab illis Conditoribus, qui nomina Eccleſiis dederant, Presbyteri quarto demum ſeculo, ſcilicet Athanaſii tempore, regebant. Sed & Petavius, ad locum laudatum Epiphanii, ipſum arguit, propterea quod ea phraſi ſcripſerit, ut plures illas in eadem urbe Eccleſias peculiare veluti, ac proprium fuiſſe Alexandriæ credere viſus ſit; quum tamen in cunctis paullo maioribus urbibus, quæ plures habebant Baſilicas, medio tertio ſeculo jam fuerit obſervatum, ut Presbyteri in illis, pacis etiam tempore, populum congregarent. Nonne revera Romæ, ut mox vidimus, ætate Cornelii Pontificis, medioque tertio ſeculo, plures jam, immo multi erant TITULI ſuis a Presbyteris directi, qui ab uno tamen Romano Epiſcopo pendebant? Valeſius autem, qui ad librum VI. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii capite 46. a cenſura Petavii vindicare conatur Epiphanium, id ea ratione præſtat, ut Eccleſiarum in eadem urbe copiam, ſi non medio tertio ſeculo, ſaltem paullo poſt, alibi confirmet. Ait ſcilicet, credibile eſſe, diverſum aliis in Eccleſiis ab Alexandrina fuiſſe morem, quia in ceteris, utpote in Conſtantinopolitana, non omnes Baſilicæ ſuos Presbyteros haberent: Baſilica ſiquidem Deiparæ, Baſilica Martyris Theodori, & Baſilica Irenes, ſuos Conſtantinopoli non habebant peculiares clericos, ſed clerici

MA-

MAIORIS ECCLESIÆ, & harum trium Eccleſiarum communes erant. Itaque ex clericis MAIORIS ECCLESIÆ, ſinguli ſuo ordine, ac per vices, tres illas Eccleſias adminiſtrabant, ut docet Imperator Juſtinianus novella 3. Aliud diſcrimen addit Valeſius, quod quum ex Epiphanio videatur, unicum Presbyterum ſuam Alexandriæ peculiarem Eccleſiam rexiſſe, in aliis civitatibus aliter obſervatum ſit. *Nam Conſtantinopoli*, inquit, *plures erant Eccleſiæ, in quibus non unus dumtaxat Presbyter, ſed MULTI PRESBYTERI, ET DIACONI, ATQUE INFERIORES CLERICI, a primis Baſilicarum conditoribus erant conſtituti; ſicut ibidem docet Juſtinianus.* Nos copiam veterum ſacrarum Ædium Conſtantinopolitana in urbe confirmare poſſemus teſtimonio Gregorii Nazianzeni; ſed de ipſo alias; anteriori quippe ſolum de ætate ſolliciti ſumus in præſens.

Hoc igitur loco non omittemus epiſtolas plures Cypriani, quibus facile oſtenditur, multa eo temporis jam fuiſſe Carthagine loca conventibus fidelium ſacris deſtinata. Cur enim epiſtola IX. aliquos ſanctus Pater laudaſſet ſuæ Eccleſiæ Presbyteros, propterea quod lapſis nondum peracta pœnitentia, communionem Eccleſiaſticam negaſſent; ex oppoſito aliis de Presbyteris queſtus vehementiſſime fuiſſet, quod eiuſmodi lapſis pacem non modo & communionem Eccleſiaſticam, verum etiam Euchariſtiam conceſſiſſent, eorumque nomina ad altare obtuliſſent? nullum profecto tunc erat Carthaginenſi in Eccleſia ſchiſma; proindeque id contigerat, quia Presbyteri

illi diverſis præerant Eccleſiæ, urbiſque Carthaginis conventibus. Sic Calidonius in epiſtola ad Cyprianum, quæ XVIII. eſt inter Cyprianicas ſcribebat: *Felix, qui Presbyterium ſubminiſtrat ſub Decimo.* Ad quæ Pamelius adnotat, ſubminiſtrare Presbyterium non aliud fuiſſe, quam quod hodie dicimus, *Vicarium Presbyteri agere.* Adſentitur autem Pamelio noviſſimus Cypriani editor, aitque: Felicem illum vices exercuiſſe Decimi in Eccleſia, cuius cura Decimo commiſſa fuerat, qui aut extorris, aut tentus in carcere, non poterat exequi miniſterium ſuum. Plures igitur erant Carthaginenſi in Eccleſia domus Orationis, plures ædes ſacræ, conventibus fidelium, & cultui divino conſecratæ.

Hoc autem loco errorem omittere Jacobi Baſnagii non poſſumus, qui libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſuæ I. capite 6. conſtituit ac docet, omnes, qui olim ad aliquam Parœciam pertinebant fideles uno in Cœmeterio fuiſſe ob eorum exiguum numerum collectos; id confirmari arbitratus ex edictis Imperatorum, qui dum perſequerentur Chriſtianos, vetabant iſtis, ne ſua ad Cœmeteria accederent, & dum a perſequutione temperabant, eiſdem ad Cœmeteria accedendi faciebant facultatem. Huiuſmodi cogitatum tamen tale eſt, ſatis ut oſtendat, Baſnagium haud rectam habuiſſe antiquitatum huius generis rationem; quippe quod Chriſtiani, perſequutionum etiam tempore, numquam ſuas celebravere, aut celebrare potuerunt in Cœmeteriis Synaxes. Egregie id probat harum peritiſſimus rerum Johan-

nes

nes Ciampinus, parte I. capite 17. veterum Monumentorum, in quibus præcipue Muſiva opera diſſertationibus, Iconibuſque illuſtrantur, ubi eorum refellit erratum, qui Eccleſias primorum fidelium a Cœmeteriis, & Cryptis minime diſtinctas volunt; illis conſiderandum proponens Gallieni Edictum, quod Euſebius refert libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ VII. capite 13. & quo ethnicis præcipiebatur, ut religioſis Chriſtianorum locis abſcederent, eaque Chriſtianis redderent. Unde igitur, interrogat Ciampinus, ethnici abſcederent? quæve nam loca Chriſtianis redderent? Ea profecto, quæ fidelibus Gentiles arripuerant. Num autem CŒMETERIA, CRYPTASQUE ethnicos occupaſſe, eaſdemque ſibi in domicilia elegiſſe credendum eſt? minime profecto. Addit auctor præclariſſimus, impoſſibilitatem, ut ait, hiſce in latebris, Cœmeteriiſque habitandi, quum ibi moram vel levem trahere haud liceat, diebus præcipue fervidioribus, quales longior in urbe æſtas habet; quippe experimento probatum inquit, robuſtioris etiam naturæ homines unius horæ moram continuam in Cœmeteriis, quæ hodie adeuntur, explere abſque ullo morborum, & ſæpius lethalium, periculo ſub æſtatem non poſſe. Divus Hieronymus in caput XL. Ezechielis ea deſcribit his verbis: *Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum ceteris eiuſdem ætatis & propoſiti, diebus Dominicis, ſepulchra Apoſtolorum & Martyrum circuire, crebroque Cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ, ex utraque parte ingredientium per parietes*

habent corpora ſepultorum ; & ita obſcura ſunt omnia , ut propemodum illud Propheticum compleatur : deſcendunt in infernum viventes. *Et vero deſuper lumen admiſſum , horrorem temperat tenebrarum, ut non tam feneſtram , quam foramen demiſſi luminis putes : rurſumque pedetentim acceditur , & cœca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur :*

Horror ubique animos ſimul ipſa ſilentia terrent.

Adiecta vero reſpirandi difficultate , aliiſque objicibus deſcriptis, poſtulat Ciampinus, quiſnam in eiuſcemodi penetralibus mortis degiſſe crediderit ethnicos, immo ipſos Chriſtifideles, atque in iis ſacra eos munia diu exercuiſſe , illucque ad orandum, pſallendum, ac in divinis communicandum conveniſſe? Equidem non negat, fideles ſingillatim, ac ſolitarie, immo & per manipulos, ſepulchra aliquando illa & Cœmeteria ſubiiſſe, quo beatorum Martyrum exuvias venerarentur; negat tamen eoſdem ſynaxes in locis illis celebrare potuiſſe; negat Veterum Cœmeteria eſſe potuiſſe Eccleſias Chriſtianorum. Quare dum in Actis Martyrum , vel in antiquis habetur monumentis, noſtros ad Cœmeteria conveniſſe, intelligendum monet, ſuper eiſdem Cœmeteriis, vel prope eorum ambitum fideles ædificia conſtruxiſſe, in quibus ſacra aliquando celebrarent : quod confirmat ex Actis tum Ss. Chryſantii , & Dariæ, tum etiam Ss. Primi , & Feliciani apud Aringhium in Roma ſubterranea tomo II. libro 4. tum denique ex libro Pontificali in vita Fabiani Pontificis habente: *Hic multas FABRICAS PER*

CŒ-

CŒMETERIA fieri præcepit; quamobrem revera in Cœmeteriis, Cryptiſque minime habitaverint, neque conventus habuerint, Romani Pontifices, ac fideles, ſed in circumeſtructis modo ædibus, & locis.

Et ita quidem Vir præſtantiſſimus, cuius doctrina tamen aliis confirmari animadverſionibus adhuc poteſt, atque monumentis. Primum enim, ſi allegatum Euſebii locum perpendimus, libri nempe VII. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ caput XIII. intelligimus, Gallienum, dum res Romana in plurimis verſaretur periculis, de pace Chriſtianis concedenda cogitantem, duo tuliſſe decreta, aliud ad Demetrium, ac reliquos Epiſcopos, in quo habebat: *Indulgentiam beneficii noſtri per univerſum orbem diffundi præcepimus, ut cuncti A RELIGIOSIS LOCIS abſcedant*: Quod decretum poſtquam ex latino in græcum ſermonem tranſtulerit, ac retulerit Euſebius, ita pergit: *Eſt & alia eiuſdem Imperatoris conſtitutio ad alios Epiſcopos data, qua iis permiſit, ut CŒMETERIORUM LOCA recuperarent.* τὰ τῶν καλουμένων Κοιμητηρίων ἀπολαμβάνειν ἐπιτρέπων χωρία. Aliud igitur erant RELIGIOSA LOCA Chriſtianorum, aliud Cœmeteria; immo aliud erant Cœmeteria, aliud REGIONES, ET LOCA, in quibus Cœmeteria erant, quæque cum Cœmeteriis erant a fidelibus recuperanda. Quidnam vero erant eiuſmodi regiones, & loca? Areæ profecto, plateæque amplæ ac ſpatioſæ; quod eruere ex Cypriano poſſumus, epiſtola editionis Anglicanæ LXXX. quæ eſt ad Succeſſum, & in qua ita ſanctus Martyr:

tyr: *Xiſtum in Cœmeterio animadverſum ſciatis, octavo iduum Auguſtarum die, & cum eodem Quartum.* Ad quæ ita Oxonienſis Fellus: *IN CŒMETERIO. Area nimirum, ubi cum plebe Chriſtiana ad cultum Dei ſolemnem convenerant, Imperatore Valeriano nequicquam vetante; unde ad terrorem maiorem incutiendum, ibidem in illum animadvertebatur. Martyrologium Romanum illum in Cœmeterio Calliſti paſſum refert, ubi etiam Cornelii Martyrium memorabatur, nec non beati Cypriani.* Dum igitur in Cœmeteriis, Cryptiſque collecti olim fuiſſe dicuntur fideles, patet, cœtum in areis ipſos collegiſſe, in locis nempe vacuis, quæ aruerint, nec poſſent quicquam generare, in locis ubi platea planitieſque erat ampla, grandis, & ſpatioſa, ſepulchriſque beatorum Martyrum propinqua.

Expreſſam rei huius imaginem nobis præbet Edictum Licinii, quod Euſebius refert libro I. de vita Conſtantini capite 52. narratis quippe exiliis & proſcriptionibus a Licinio in Chriſtianos imperatis, ita proſequitur: *Alteram legem tulit, qua jubebat, ne viri orandi cauſſa IN ECCLESIAM DEI ſimul cum mulieribus convenirent; neve mulieres ad venerandas virtutis ſcholas diſcendi cauſſa ventitarent: poſtremo ne Epiſcopi divinæ religionis præcepta mulieribus traderent: ſed ut mulieres ad id electæ, docendis mulieribus præficerentur. Quæ quum ab omnibus riderentur, aliud quidpiam commentus eſt ad Eccleſiarum everſionem. Juſſit enim ut ſolemnes populorum conventus EXTRA PORTAS APERTA PLANITIE celebrarentur:*

rentur: *aſſerens liberum extra portas aerem TURBIS longe commodiorem eſſe*, *quam ORATORIA intra urbem ſita.* Nonne in ipſo decreti ludibrio vides plura Chriſtianorum in eadem urbe oratoria, & quidnam fuerit ad Cœmeteria convenire? Verum, ut jam diximus, fuerat aliquando, & antequam firmaretur in ſolio, in Chriſtianos numero maximo valentes, propenſus, aut ſe propenſum ſimulaverat Licinius, ideoque decretum tulerat, ut Eccleſiæ, illis redderentur. Adfert Lactantius, capite XLVIII. libri de mortibus perſequutorum, eiuſmodi edictum, ubi hæc inter cetera inveniuntur: *Quæ omnia corpori Chriſtianorum tradere oportebit. Et quoniam iidem Chriſtiani non EA LOCA tantum, ad quæ convenire conſueverunt, SED ALIA etiam habuiſſe noſcuntur, ad jus corporis eorum, ideſt, ECCLESIARUM, non hominum ſingulorum pertinentia, EA OMNIA, lege qua ſuperius comprehendimus, citra ullam prorſus ambiguitatem, vel controverſiam, iiſdem Chriſtianis, ideſt corpori, & CONVENTICULIS eorum reddi.* Nomina porro *CONVENTICULI*, & *Conventiculorum*, quæ nunc dierum odioſiſſima ſunt, & *propriè de hæreticis dicta eſſe* poſuit incaute Ducangius ad V. *Conventiculum*; interdum erant loca cœtuum civilium, aut Eccleſiaſticorum melioris notæ, adeo ut cœtus ipſos frequentes ac ſaniſſimos ſonarent, ut evincunt Gisbertus Cuperus, & Paullus Baudrì in adnotationibus ad librum de mortibus perſequutorum, ex Tullio in oratione pro domo ſua, ubi habet: *Quoniam plebi quoque urbanæ Maiores noſtri*

ſtri CONVENTICULA, & quaſi conſilia eſſe voluerunt. Et in oratione pro Sextio: *Qui primi virtute & conſilio præſtanti exſtiterunt, perſpecto genere humanæ docilitatis atque ingenii, diſſipatos in unum locum congregarunt .... tum res communem utilitatem continentes, quas publicas appellamus, tum CONVENTICULA HOMINUM, quæ poſtea civitates nominatæ ſunt, & domicilia coniuncta, quas urbes dicimus, invento, & divino, & humano jure, mœnibus cinxerunt.* Heinc Arnobius, quamvis copioſiſſimæ Chriſtianorum veterum multitudinis, eorumque dignitatis & gloriæ ſtrenuus propugnator, libro tamen contra Gentes IV. ſcribebat: *Nam noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter CONVENTICULA dirui?* Heincque Interpretes laudati nomen *Conventicula*, rectiſſime *ECCLESIAS* verti docuerunt. Quum igitur vetuſtiſſimi fideles tot habuerint ad conveniendum, & ad ſacra celebranda, domos ſive privatas, ſive publicas, tot ædes, Eccleſiaſque, tot areas, plateas, planities amplas, grandes, & ſpatioſas ad Cœmeteria ſitas, immo & alia habuerint, quæ ad eorum corpus, & conventus, & cœtus pertinebant loca, quî immenſo non fuerint ante Conſtantini ætatem numero & copia? Quumque in Cœmeteriis, & Cryptis eos moras agere fieri haud potuerit, quidnam comminiſcitur Baſnagius, eos putans omnes, qui ad Eccleſiam, ſive Parœciam integram ſpectabant, fuiſſe aliquo in Cœmeterio collectos?

His conſtitutis ſupervacuum eſt refellere quod unico de altari in quacumque Diœceſi objicit Clar-

Clarkſonus. Etiamſi quippe, pro illorum ritu ac diſciplina temporum, unicum altare quocumque in loco, in quem ad ſacra peragenda conveniebant Credentes, reperiretur; ubicumque congregabantur tamen eiuſdem etiam Eccleſiæ fideles, quo ſacris operam darent, altaria erigebant ſive lapidea, ſive lignea, non in privatis tantum domibus, ſed in carceribus etiam, aliiſque in locis, ut evincit Cardinalis Bona libro rerum Liturgicarum I. capp. 19. 20. nilque falſius eo quod Clarkſonus adſerit, erigere altare diverſum ab eo, quo Epiſcopus in Diœceſi utebatur, perinde fuiſſe ac ſchiſma excitare. Certe tum apud veteres, tum etiam apud recentiores, *altare erigere contra altare*, metaphoricum ac figuratum eſt, fuitque ſemper dicendi genus ad ſchiſma ipſum denotandum; non vero quod qualibet in urbe, aut Eccleſia, aut Diœceſi, niſi unicum altare eſſe non poſſet. Aperta ſunt hanc in rem verba Cypriani, tum in epiſtola de quinque Presbyteris ſchiſmaticis, factionis Feliciſſimi; tum in libro de unitate Eccleſiæ, quibus nil aliud ſignificabat Cyprianus, quam quod libro contra hæreſes III. capite 3. Irenæus dixerat: *Confundimus omnes eos, qui, præterquam oportet, colligunt*: nil aliud, quam quod Baſilius in epiſtola ſua canonica ad Amphilochium, ubi παρασυναγωγὰς δὲ τὰς παρασυνάξεις, τὰς παρὰ τῶν ἀνυπευθύνων πρεσβυτέρων, ἢ ἐπισκόπων, ἢ παρὰ τῶν ἀπαιδεύτων γινομένας, damnat ſcilicet perverſas a congregatione diſſenſiones, quæ fierent a non legitime conſtitutis Epiſcopis, & ab iis, qui relicta Catholica

Ec-

Eccleſia, cum illis receſſere. Quemadmodum enim plebem ac populum colligere eleganter a Græcis dicebatur *συναγωγεῖν*; quare illa, *πῶς συνάξομεν*; *quomodo colligemus*? ita plebem ſeorſim ab Eccleſia Catholica colligere, *παρασυνάξαι* dicebatur, ipſeque adeo ſchiſmaticorum cœtus, *παρασυναγωγή*; ita hoc ipſum exprimere Latini conſueverunt, dum eos, qui ſeparatos ab Orthodoxis conventus agebant, aram contra aram, & altarium erigere dicebant contrarium altari, phraſi quidem a Judæorum cultu derivata, ſed tamen non Judaico ſenſu & intellectu. Num enim quemadmodum olim Judæis, ita & nobis unicum oportebat eſſe templum, unicum altare? Nil abſurdius; proindeque unitas modo communionis ac ſpiritus ſignificata eſt. Ceterum de propriis Chriſtianorum templis, & an in eorum uno contineri omnes ſimul potuerint eiuſdem Eccleſiæ fideles, ſuus erit dicendi locus.

CAPUT

CAPUT IX.

Ex ingenti Miniſtrorum ſacrorum copia maximum veterum Chriſtianorum numerum jure ac merito inferri.

EPiscopos initio nil aliud fuiſſe quam Presbyteros ex præſentiſſima probare Clarkſonus ſtuduit Epiſcopi in omnibus publicis religionis actibus neceſſitate, frequenteſque ob catecheſes, & quotidianos ad univerſum populum ſermones, Baptiſmi etiam, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ adminiſtrationem, quare inferat, memoratos primis Eccleſiæ temporibus Epiſcopos, nonniſi paucorum Presbyteros fuiſſe Chriſtianorum. Eo verſatus eſt in errore Iſaacus etiam Beauſobrius libro I. hiſtoriæ criticæ Manichæiſmi capite 10. ubi falſitatis poſtulaturus diſputationem Manetis cum Diodoride, qui Parochus Caſtelli cuiuſdam dicebatur, negavit medio tertio ſeculo repertum iri Eccleſiam a ſolo Presbytero, & abſque Epiſcopo collectam. Accedit iſtis quodammodo Renatus Maſſuetus diſſertatione II. prævia in libros Irenæi, ubi probaturus contra Grabium, eius ſancti Patris libros adverſus hæreſes ſcriptos fuiſſe, dum Epiſcopus jam eſſet, cætera inter argumenta illud urget num. 49. *Nullis aliis quam Epiſcopis, quatuor prioribus ſeculis, creditam fuiſſe adminiſtrationem ſermonis in Occidente*; quod ex Cypriano, & Optato, exque vita Divi Hilarii Arelatenſis, ac Divi Auguſtini confirmari poſſe con-

contendit. Hæc porro omnia, ſi vera forent, vix aliqua primis fuiſſet ſeculis Presbyterorum, ut dicimus, ſimplicium copia, ideoque exiguus ponendus foret numerus fidelium.

Ipſe ex oppoſito nil magis horum maximam copiam evincere arbitror ingenti multitudine ſacrorum Miniſtrorum, qui tot tantique per priora recenſentur tempora, ut inferre oporteat, numeroſiſſimos propterea fuiſſe greges Chriſtianorum. Quamvis autem ignoratum nemini eſſe poſſit, priori ætate plures Presbyteros complete, ac perfecte fuiſſe in Epiſcopos ordinatos, ut hæreſi XXVII. monet Epiphanius, ſive ut aliquarum Eccleſiarum Epiſcopi poſſent liberius, Chriſti prædicandi cauſſa, in alias regiones proficiſci; ſive ut Epiſcopatus ordine donatos Presbyteros ad alia mittere poſſent loca, in quibus Eccleſias conſtituerent ac fundarent; certum haberi tamen debet, quod in libris de Eccleſiaſtica Hierarchia probat Dionyſius Petavius, Apoſtolos pleriſque in Eccleſiis recens excitatis nondum Epiſcopos inſtituiſſe, ſed Presbyteros duntaxat, qui curationem illarum Eccleſiarum capeſſerent, & neceſſaria munia obirent, ceteris in Epiſcoporum adventum reſervatis. Perſuadere illud ſubdit, quod in Actis Apoſtolorum legimus capite 8. Samariæ primum opera & prædicatione Philippi Diaconi conditam Eccleſiam fuiſſe; quumque nullus ibi adhuc creatus eſſet Epiſcopus, qui baptiſmate initiatos Spiritu Sancto confirmaret, Hieroſolymis miſſos Samariam Apoſtolos, tamquam primarios Epiſcopos, per quos altiora adminiſtrarentur, dum proprius

prius illic Epiſcopus ordinatus eſſet. Sic æque Corinthi, Epheſi, & in aliis quibuſdam Civitatibus, uti nuper ab Apoſtolo Paullo, vel ab Apollo, aliiſque Diſcipulis, & Apoſtolis, greges acquiſiti Chriſto fuerant, veriſimile ait, nullos tantiſper primi ordinis Sacerdotes, hoc eſt veros, uti nunc cenſentur, Epiſcopos attributos eſſe, ſed ex ſecundo ordine, qui nunc Presbyterorum ſimplicium dicitur, ac tertio, qui Miniſtros habet, Clerum conſtitiſſe: donec ſummus omnibus præficeretur Eccleſiæ Rector, & Epiſcopus, quum id tempeſtivum foret. Et vero nemo dubitaverit, Chriſtum, quemadmodum voluit aliquos ſuſcipere Apoſtolorum partes in Eccleſia, ita in LXXII. Diſcipulorum vicem ſuccedere alios voluiſſe, veluti minoris gradus, ac ſecundi ordinis Miniſtros, quamvis utrique Apoſtolicis temporibus quemadmodum Presbyteri, ita & Epiſcopi appellati fuerint, qua de re polemici omnes libri referti ſunt.

Verum, ut jam monui, non id agimus in præſens, ut in quæſtionibus polemicis verſemur; adverſus ſiquidem Clarkſonum, ceteroſque paucitatis primorum fidelium vindices, preſſius ut diſputemus, oſtenſuri ſumus, nil clare magis referti ſſimam oſtendere veterum Chriſtianorum copiam numero ſacrorum Miniſtrorum, & quidem proprie Epiſcoporum, qui Miniſtris inferioribus præeſſent, ad immenſas regendas Credentium turbas neceſſariis. Quum enim nos tantam illam fidelium multitudinem & copiam primum revera a temporibus Marci Aurelii, & Commodi

repetamus, quæ magis magiſque aucta fuerit per intervalla temporum, quæ interceſſere inter Juſtinum Martyrem ac Tertullianum, magiſque adhuc ætate Cypriani, Cornelii &c. ſi animadvertimus, Scriptores illos omnes ab Irenæo, Clemente Alexandrino, Septimio, Cypriano &c. ad nos uſque, præcipue vero Euſebium, ubi eorum in operibus ſermo fit de Epiſcopis, de his egiſſe tamquam de Miniſtris ſuperioribus, deque Præfectis ac Præſulibus, a Presbyteris ſimplicibus diſtinctis, quocumque demum jure diſtincti ita fuerint, de quo heic non quærimus; iiſdemque in operibus, uti & in Actis Martyrum, ac in reliquis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis, illos a Presbyteris diſtinctos Epiſcopos frequentiſſimo per illa tempora numero fuiſſe; ſi hæc, inquam, animadvertimus, quid aliud ſequitur, niſi copioſiores fuiſſe illos fidelium cœtus, qui ſuperioris ac inferioris ordinis Miniſtris indigerent?

Jam vero Euſebius libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ V. capite 22. de Epiſcopis agens, qui tempore Quartodecimanorum floreſcebant, nonnullis numeratis, ſubdit: *Sed & MILLENI ALII præter hos, ut credibile eſt, enituerunt.* ϗ ἄλλοι δὲ ὡ γε εἰκὸς ἐπὶ τούτοις μυρίοι κατὰ τὸ δὲ διέπρεπον. Dionyſius vero Epiſcopus Alexandrinus, in epiſtola ad Philemonem Romanæ urbis Presbyterum, quæ apud Euſebium exſtat libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ VII. capite 6. quæque ſcripta dicitur ſub initia Pontificatus Xyſti Papæ, de baptiſmate hæreticorum agens, inquiebat: *Illud præterea didici, non ab Afris ſolis hunc morem nunc primum inventum*

ventum fuiſſe, *ſed multo ante ſuperiorum Epiſcoporum temporibus IN ECCLESIIS POPULOSISSIMIS*, *& in Conciliis fratrum*, *apud Iconium*, *& Synnada*, *& apud ALIOS PLURIMOS idem ſancitum fuiſſe.* Synodos Iconii, & Synnadæ habitas fuiſſe anno CCXXXV. cenſet Harduinus tomo Conciliorum primo. Ante igitur eiuſmodi Synodos, ſcilicet initio III. ſeculi erant POPULOSISSIMÆ ECCLESIÆ, quæ hæreticos baptizabant. Verum plures adhuc erant Epiſcopi, qui hæreticos non tingebant, Auguſtino teſte, libro contra Creſconium III. capite 3. ubi aiebat: *Si omnino jam credendum ſit quinquaginta Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod ſeptuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus, contra TOT MILLIA EPISCOPORUM, quibus hic error in toto orbe diſplicuit.* Si igitur POPULOSISSIMAS ECCLESIAS, apud quas nullus erat hæreticorum baptiſmus, cum Eccleſiis coniungis ſub TOT MILLIBUS EPISCOPIS, in quibus hæreticorum baptiſma ratum habebatur, vides quanto fuerint jam tum numero ſuperioris ordinis Miniſtri.

Id confirmant tot illæ Synodi Epiſcoporum in Græcia & per Orientem celebratæ, quarum canones de tot rebus ac perſonis, ut diximus, in Sylloge Canonum Apoſtolicorum reliqui adhuc ſunt; quare Tertullianus libro de jejuniis capite 14. inquiebat: *Aguntur præterea PER GRÆCIAS ILLAS certis in locis Concilia ex univerſis Eccleſiis, per quæ altiora quæque tractantur.* Eas ad Synodos nonniſi Epiſcopi Orientales convenire ſoliti erant, quemadmodum evenit & in

 Sy-

Synodo Antiochena, in qua Paullus Samoſatenus damnatus eſt, & quam Euſebius adhuc libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ VII. capite 29. *Synodum QUAMPLURIUM EPISCOPORUM* appellat. πλείστων ὅσων ἐπισκόπων συνόδου. Ut autem Orientales ad Synodos non conveniebant Africani Præſules, ita nec Epiſcopi Orientis, aut Occidentis reliqui ad Africanas, quæ tamen vel ætate Cypriani numeroſiſſimæ fuerunt, ut ex ſcriptis huius ſancti Patris patet, qui epiſtola ad Antonianum ita de Novatiano diſſerebat: *Cum ſit a Chriſto una Eccleſia PER TOTUM MUNDUM in multa membra diviſa, item Epiſcopatus unus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus; ille poſt Dei traditionem, poſt connexam & ubique coniunctam Catholicæ Eccleſiæ unitatem, humanam conetur Eccleſiam facere, & per plurimas civitates novos Apoſtolos ſuos mittat, ut quædam recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat; cumque JAMPRIDEM PER OMNES PROVINCIAS ET PER URBES SINGULAS ordinati ſint Epiſcopi in ætate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, in perſequutione proſcripti, ille ſuper eos creare alios Pſeudo-Epiſcopos audeat: quaſi poſſit aut TOTUM ORBEM novi conatus obſtinatione peragrare, aut Eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiæ ſuæ ſeminatione reſcindere; neſciens ſchiſmaticos ſemper inter initia fervere, incrementa vero habere non poſſe, nec augere quod illicite cœperint, ſed ſtatim cum parva ſua æmulatione deficere.* Proſtat in Anglicana Cypriani editione index alphabeticus Epiſcopalium ſedium, quæ in

Africa

Digitized by Google

Africa erant ætate beati Martyris, quæque ex ſcriptis ipſius eruuntur, certe numero DCCXLIX. Pearſonius in Vindiciis Ignatianis parte 1. capite 11. de antiquitate agens Eccleſiæ Æthiopicæ, ætate Conſtantini PLURES QUAM CENTUM in ſola Ægypto fuiſſe Epiſcopos oſtendit. Notum immo eſt ex Epiphanio hæreſi LXVIII. Meletium Lycopolis Epiſcopum, Ægypti partes peragrantem, *quacumque in regione, & loco paſſim conſtituiſſe CLERICOS, EPISCOPOS, PRESBYTEROS, ET DIACONOS, privataſque ſeorſim Eccleſias erexiſſe*: Quod cauſſa fuit celebris VI. Canonis Synodis Nicænæ, quo non probatum quidem Meletii factum, ita tentantis violare jura Epiſcopi Alexandrini, haud vero quod regiones illæ Epiſcopis & Miniſtris inferioribus non indigerent, quemadmodum patet ex Synodi epiſtola ad Ægyptios, quam libro I. cap. 9. recitat Theodoretus, exque iis, quæ de allegato ajunt Canone Petrus de Marca, Allatius, Sirmondus, Chriſtianus Lupus, Schelſtratius &c.

Quot quantique tempore Conſtantini jam fuerint in Eccleſia Epiſcopi narrari vix poteſt. Johannes Albertus Fabricius capite XIII. ſalutaris lucis Evangelicæ, de Nicæno agens Concilio, ex libro III. vitæ Conſtantini capite 7. conveniſſe ad illud animadvertit Epiſcopos innumeros, *nominatim ex Schytia, & ex Perſide, & præter Syros, Cylicas, Phœnices, Arabes, Palæſtinos, Ægyptios, Thebæos, Libyas, & e Meſopotamia, Ponto, Galatia, Pamphylia, Cappadocia, Aſia quoque, & Phrygia, Armeniæ etiam Epiſcopos, &*

Africæ, & Daciæ, nec non Dalmatiæ, Pannoniæ, Gothiæ, & Boſphori, quorum nomina memorantur in ſubſcriptionibus apud Harduinum tomo I. Conciliorum. Sed notatur, OCCIDENTALIUM EPISCOPORUM NOMINA PARCIUS POSITA, quod Occidentales non ſimiliter QUÆSTIONEM DE HÆRESIBUS HABUISSENT; ſeu quia nulla apud eos de hæreſi ſuſpicio fuit. Nempe ex ingenti Epiſcoporum, qui ſe Synodis antiquiſſimis ſubſcripſerunt numero, facere argumentum poſſumus amplioris eorum univerſim multitudinis; quum illi plurimum Conciliis intereſſe ſoliti tantum fuerint, qui proximius ad illas regiones cauſſaſque pertinebant.

Laudatæ Synodo Nicænæ interfuiſſe Epiſcopos MMXLVIII. auctor eſt Eutychius Patriarcha Alexandrinus, cuius hac in re auctoritatem tueri ſatagunt Seldenus de originibus Alexandrinis pag. *91.* ſeqq., & Iſaacus Beauſobrius libro III. hiſtoriæ criticæ Manichæiſmi capite *6.* num. 4. cauſſas neſcio quas conjiciens, ſibique fingens, cur tum Græci, tum Latini, Nicænorum cenſum Patrum ad numerum reſtrinxerint CCCXVIII. Nos utique Eutychianas fabulas, quamvis a Pocockio, & a Deylingio quoque propugnatas, floccifacimus, ac rejicere ſolemus; aſt ſi ea conſideramus, quæ Vir Cl. Franciſcus Dominicus Bencinius, Regii olim Profeſſor Athenæi, diſſertatione ſcripſit I. de literis encyclicis, §. 13. quamquam millenos Epiſcopos Nicænæ adfuiſſe Synodo non admiſerimus, haud tamen dubitabimus, eos tunc immenſo revera numero fuiſſe.

Agens

Agens ſiquidem de ſubſcriptionibus Epiſcoporum, deque ſcopo ſui operis, hæc ille habet: *Deſcripti porro in his & ſimilibus ſubſcriptionibus modi notitia facit, ut non æque feramus, & citra reprehenſionem, quoſdam non ignotæ alioquin literaturæ viros, pronunciantes audacter, Scriptores exhorbitaſſe in numero annotando ſubſcriptionum, ſive Encyclicis, ſive Conciliis factarum; aut ad minimum, exceptorum oſcitantia menda plurima, eaque præter modum irrepiſſe. Hi ſane quod ſcribit Athanaſius, in Synodo Sardicenſi, modo CCC, modo CCCC, & ubi de Nicæna formula, MCC ſubſcripſiſſe Epiſcopos, quod alii de ſimilibus NUMEROSIORIBUS ſubſcriptionibus referunt; inter quiſquilias habent. Ita iis fere contingit, qui addiſcendis ſacroſanctis Eccleſiæ monumentis incumbentes, excerptores tantummodo legunt, & fontibus relictis ipſorummet monumentorum examen ſpernunt, aut parvipendunt. Interim enucleatius de ſubſcriptionibus iſtis diſſeruimus, ut & Antiquorum dicta tueremur, & ſimul indubia veritas exemplo quopiam illuſtri comprobaretur, numerum ſcilicet ab iiſdem laudatum minime hiſtoriæ fidem excedere, ut propterea ſi aſſereretur MCC. Epiſcopos Nicænæ formulæ ſubſcripſiſſe, ſciolis quidem id arduum creditu, difficileque videatur; ex iis vero, qui modum tum Encyclicarum, tum geſtorum poſt Nicænum Concilium perſpectum habent, quique norunt deſcriptam ſollicitudinem Primatibus fuiſſe impoſitam, nullus ambigat, quin MCC. ſolum, ſed PLURIMI etiam potuerint Nicænæ fidei ſubſcribere, & aſſenſum præbere. Eadem ratione nil mirum eſt, referri ab Atha-*

naſio vel CCC. vel CCCC. vel ſi omnes ſimul ſumantur, DCC. Epiſcopos Sardicenſi Synodo ſubſcripſiſſe, cum illius Encyclica per orbem a Primatibus, deinde ab Athanaſio, ſuorum Presbyterorum opera, fuerit Eccleſiis intimata, atque adeo nedum DCC. ſed M. & MM. ET ULTRA dici potuerit Epiſcoporum ſubſcribentium numerus. Certe Imperator Conſtantinus in epiſtola ad Chreſtum Syracuſarum Epiſcopum, quam Euſebius refert libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ X. capite 5. *Quoniam igitur*, inquiebat, *PLURIMOS EX DIVERSIS AC PROPE INFINITIS LOCIS EPISCOPOS in urbem Arelatenſem intra Calendas Auguſti convenire juſſimus: tibi quoque ſcribendum eſſe cenſuimus &c.* Vocem ἀμυθήτων τόπων a Conſtantino héic uſurpatam temperare ſtuduerunt Sirmondus olim, & Nicolaius; ſed eius emphaſim, & Valeſii verſionem vindicavere Natalis Alexander, Miſſorius, aliique.

Beauſobrius, allegato loco, immenſum Epiſcoporum numerum, quos Eutychius Nicænæ Synodo interfuiſſe ſcribit, vindicaturus, ad Chorepiſcopos confugit, quos ingenti numero atque copia Nicæam conveniſſe ait, ad ſacros illos videlicet Miniſtros, qui Collectis, & Eccleſiis, cœtibuſque fidelium, in oppidis, villulis, & pagis, conſtitutis præerant, proptereaque oppidorum Epiſcopi, pagorumque dicebantur. Vel hac enim in notiſſima notione errare maluit Clarkſonus; ignoramus certe quamnam ſibi finxerit rei eiuſmodi imaginem dum ſcripſit, omnes fere primorum temporum Epiſcopos, non fuiſſe

niſi

niſi Chorepiſcopos. Numquid, obſecro, in ſolis oppidis ac pagis prædicata fuerat doctrina Chriſti, minime vero in urbibus? numquid nulli in urbibus Epiſcopi? Immo tribus prioribus Eccleſiæ ſeculis nullus ſacrorum erat Miniſtrorum appèllatus Chorepiſcopus; ſed qui cœtibus fidelium præerant in oppidis, vicisque, & pagis, conſtitutis, vocabantur ſimpliciter Epiſcopi; ſiquidem quarto primum ſeculo variis a Synodis, Hierarchiæ ſtatum in meliorem formam diſponentibus, qui Eccleſiis oppidorum, villarumque præerant Miniſtri ſacri, Chorepiſcopi appellati ſunt; idque in cauſſa fuit, cur aliqui erraverint, arbitrati Chorepiſcopos tria priora ſecula habuiſſe nullos, eoſque quarto demum ſeculo inductos, quia eo tantum temporis mentio ipſorum habetur in Eccleſiæ monumentis: quod utique reſpectu nominis verum eſt, minime autem reſpectu rei ipſius; quum revera ante tempus illud qui Chorepiſcopi demum dicti ſunt, Epiſcopi ſimpliciter & abſolute vocarentur. Verum hæc nota ſatis. Porro eiuſmodi, ut inquiebam, ad Chorepiſcopos, vera notione acceptos, ſe ſe recipit Beauſobrius, quo Epiſcoporum, qui Nicæno Concilio interfuere, numerum ab Euthychio poſitum propugnet. An illuc revera tot Chorepiſcopi tunc convenerint, incertum quidem; aſt certiſſimum omnino eſt, ex multitudine Chorepiſcoporum, qui ante illa tempora reperiebantur, magis magiſque copioſiſſimam fidelium quantitatem jure ac merito inferri. Hoc illa ipſa indicant ſynodica decreta, quæ Chorepiſcopos illos aut redaxere in

ordi-

ordinem, aut abrogavere. Reliqui adhuc ſunt Canones Antiocheni, Ancyrani, Laodiceni, Sardicenſes, Neocæſarienſes, &c. qui de Chorepiſcopis eiuſmodi, eorumque ordinationibus decernunt. Antiochena Synodus, anno CCCXIV. celebrata, Canone 10. ita habet: *Qui in vicis, & villis conſtituti ſunt Chorepiſcopi, tametſi manus impoſitionem ab Epiſcopis ſuſceperunt, & ut Epiſcopi conſecrati ſunt, placuit ſanctæ Synodo eos oportere modum proprium retinere; & gubernare adiacentes Eccleſias ſibi commiſſas; & eſſe contentos propria ſollicitudine, & gubernatione, quam ſuſceperunt. Conſtituere autem his permittitur LECTORES, ET SUBDIACONOS, ET EXORCISTAS, quibus ſufficit iſtorum tantum graduum licentiam accepiſſe; non autem PRESBYTERUM, non DIACONUM audeant ordinare præter conſcientiam Epiſcopi vel civitatis, vel Eccleſiæ, cui adiacens invenitur ſeu ipſe, ſeu regio, in qua ipſe præeſſe dignoſcitur.* Idem ſtatuunt aliæ Synodi citatæ, quarum interpretatio anſam doctis inquirendi præbuit, an Chorepiſcopi ordinatione ſua Epiſcopi revera eſſent, an vero Presbyteri, aliquo tantum Epiſcopalis juriſdictionis privilegio adaucti, & ornati, qui ideo Presbyteros & Diaconos aliquando ordinarent, quia aliunde Epiſcopalem acceperant ordinationem. Nos adiaphoram heic omittentes eiuſmodi controverſiam, deque maxima Credentium illius temporis multitudine ſolliciti in præſens, hanc evidentiſſima illatione ex illis Canonibus conſequimur. Sive enim Chorepiſcopali ordinatione veri fuerint Epiſcopi,

ſcopi, ii, de quibus agunt Synodi, & Canones; ſive aliunde Epiſcopalem habuerint auctoritatem; certo tamen conſtat, eos ſuis in Eccleſiis, ante decreta illa, proindeque tertio ſaltem ſeculo, conſecrare ſolitos fuiſſe PRESBYTEROS, DIACONOS, SUBDIACONOS, LECTORES, alioſque inferiorum ordinum Miniſtros. Quorſum igitur non intelligeremus fuiſſe jam tum copioſiſſimo numero fideles, quum præter PRESBYTEROS, DIACONOS, SUBDIACONOS, Lectores &c. ab Epiſcopis Civitatum ordinari ſolitos, rurales ipſæ Eccleſiæ pluribus indiguerint Miniſtris ſacris, & a Chorepiſcopis, in oppidulis videlicet ac pagis, plures inferiorum ac ſuperiorum ordinum Clerici conſueverint ordinari? Allegati porro Canones haud prohibuere Chorepiſcopis Presbyterorum ordinationes, atque Diaconorum; ſed haſce ſolum ne celebrarent inconſultis Polepiſcopis, ſive civitatenſibus Epiſcopis; quemadmodum Divus Baſilius epiſtola CLXXXI. ad Chorepiſcopos ſuæ diœceſeos ſcribens, de illis conquerebatur quidem, quod diligentiam in Miniſtris ſacris conſecrandis ſedulam non adhiberent; eorumque mores ad ſe minime referrent; ſed ordinandi illis in oppidis ac villis PRESBYTEROS, DIACONOSQUE poteſtatem Chorepiſcopis neque negat, neque aufert. Immo ætate illarum Synodorum, quæ Chorepiſcopos ita deprimebant, in epiſtola ad Amphilochium auctor huic erat Baſilius, ut Chorepiſcopos in oppidulis ac villis reſtitueret, ac ordinaret. Fac adhuc Polepiſcopos hierarchicas ordinationes ſibi referváſſe

vaſſe, poterant ordinare tamen, & porro ordinare perrexerunt Chorepiſcopi Hypodiaconos, Lectores, Exorciſtas, &c. quemadmodum PRESBYTEROS & DIACONOS antea conſecraverant; proindeque, ſi ante Conſtantini tempora rurales ipſi Epiſcopi ſuos habebant Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, ac inferioris ordinis Miniſtros, copiam & ipſi non modicam habuerint neceſſe eſt fidelium ceterorum.

Nec aliquem movere debet Canon VI. Sardicenſis, ordinandum prohibens *Epiſcopum in vico aliquo, aut in modica civitate, cui ſufficit unus Presbyter.* Id etiam in præſens evenit in hodierna fidelium multitudine: eoque pacto quo nec in vico, nec in modica civitate, ubi Presbyter unus ſatis fuiſſet, ordinandus erat Epiſcopus; ita conſtituendus per Canonis ſenſum tum in vico, tum in modica civitate fuiſſet Epiſcopus, ſi quando unus illic Presbyter non fuiſſet ſatis; alicubi ſiquidem potuit unus Presbyter tunc ſatis eſſe, innumeris aliis in locis eſſe ſatis non potuerit. Inter vicos deinde alii florentiores erant, & quidem Principe loco habiti, *METROCOMIÆ* appellati, quæ, ut adnotat Jacobus Gothofredus in commentario ad lib. VI. Codicis Theodoſiani, erant matres vicorum, & capita inter omnes vicos, qui uni civitati ſubiecti erant, haud aliter quam metropolis, mater civitatum reſpectu eiuſdem Provinciæ. Alii vero inferiores ac ignobiliores erant vici florentioribus ſubiecti: nam obſervante Caſaubono in librum I. Epiſtolarum M. Tullii ad Atticum, vicus erat συνοικία, hoc

eſt,

eſt, domus aliquot coniunctim ædificatæ: qua ratione olim diviſa fuit Roma in regiones XIV. vicos vero prope infinitos. Urbani hi erant vici, ſed erant & pagani, quum plures in agris villæ coniunctim extructæ forent. Sed & pro villa vicus uſurpabatur, quemadmodum Tullius epiſtola IV. libri I. ad Atticum: *Quod ſi aſſequor, ſupero Craſſum divitiis, atque omnium vicos & prata contemno*, hoc eſt villas: ſic enim hodie dicimus, ire ad vicum alicuius, *ἀγρὶ* in eum vicum, ubi villa eius eſt. Eiuſmodi in *villis & agris & fundis*, ubi certe nulla populi eſſe poteſt, plebiſque multitudo, & quibus unus Presbyter eſſe ſatis poterat, repertos fuiſſe in Africa quinto ſeculo Epiſcopos, diſcimus ex celebri conventu Chartaginenſi. Talis fortaſſe fuerat in Oriente, ac in Græcia abuſus; quare nil mirum vicorum eiuſmodi Chorepiſcopos fuiſſe abrogandos: deque ignobilioribus illis vicis ita ſtatuiſſe Patres Sardicenſes, qui vicis florentioribus videntur pepercisſe, quum eo ipſo temporis, quo deprimebantur Chorepiſcopi (non dicam in Occidente, & in Africa, ubi Epiſcopi ſimpliciter & abſolute dicebantur, qui dici tum a Græcis Chorepiſcopi cœperunt;) verum etiam in Oriente, Græciaque, ea ſe ſe nobis offerat ſive in ſubſcriptionibus Synodorum, ſive in aliis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis, Epiſcoporum multitudo, cui totidem correſpondere veri nominis non poſſunt urbes; immo nomina innumera inveniamus Epiſcoporum in locis adhuc ignoratis: qui propterea oppidorum, frequentiorumque Epiſcopi pago-

gorum fuerint neceſſe eſt; qui quum ſuos habuerint Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, ac inferiorum ordinum Miniſtros, evincunt, oppidanis adhuc in Eccleſiis multitudinem fuiſſe Chriſtianorum; præſertim quod, quum Presbyteri omnes, pro illorum diſciplina temporum, ut diximus, ſive ſeorſim, ſive cum Epiſcopo plebem regere ſolerent, non ita fuiſſent iidem ordinati & conſtituti, niſi in plebis ipſius, ac numeroſi populi commodum & utilitatem.

Sed ex numero ſacrorum Miniſtrorum æque intelligitur quanta fuerit, vix ſuperato Conſtantini armis Licinio, militum credentium copia in caſtris Romanorum. Tradit quippe Sozomenus libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ I. capite 8. Conſtantinum quoties ab bellum proficiſceretur, tabernaculum ad Eccleſiæ ſimilitudinem fabricatum circumferre conſueviſſe; ita ut ne quidem in ſolitudine conſtitutus, tam ipſe, QUAM EXERCITUS EIUS, ſacra æde careret, in qua Deum laudare, ac preces fundere, & ſacra myſteria percipere poſſent. *Sequebantur autem*, ſubdit Sozomenus, *Sacerdotes, & Diaconi tabernaculo aſſidentes, qui juxta Eccleſiæ ritum eiuſmodi officia obirent. Atque ex eo tempore*, Ῥωμαίων τάγματα, ἃ νῦν ἀριθμοὺς καλοῦσιν, *Romanorum legiones, quæ nunc Numeri vocantur, ſingulæ proprium ſibi tabernaculum facere cœperunt, & Sacerdotes ac Diaconos proprios ac peculiares habere.* Animadvertit Valeſius, τάγματα hoc loco Cohortes interpretatum eſſe Epiphanium; & ſane latinam vocem *Numeri*, tam de cohortibus, quam de legioni-

bus dici, ut videre eſt in Gloſſario Johannis Meurſii. Porro etiamſi ponamus eveniſſe, quod hodierni moris eſt, non cohortes, ſed ſingulas tantum legiones Romanorum, ſtatim a devicto Licinio, ſuos habuiſſe Presbyteros, & Diaconos, dubitare nemo poterit, aut totas legiones, aut maximam ſaltem earum partem, jam fuiſſe Chriſtianam. Aſt de ingenti militum Chriſtianorum copia, quantum ſatis erat, diximus.

Quid vero falſius abſonumque magis excogitari poteſt, quam quod ſtatuit Beauſobrius, medio ſcilicet tertio ſeculo minime repertum iri Eccleſiam a ſolo Presbytero, & abſque Epiſcopo collectam? Apertiſſimus eſt Athanaſii locus in apologia II. ſcribentis, plures fuiſſe in regione Mareotide Eccleſias, *neque tamen ullum in ea umquam fuiſſe Epiſcopum, AC NE CHOREPISCOPUM QUIDEM, ſed univerſæ eius regionis Eccleſias ſubiectas fuiſſe Epiſcopo Alexandrino; ſingulos autem Presbyteros habuiſſe PROPRIOS PAGOS, eoſque maximos, & plures.* Nonne Romæ ſuis in Titulis populum Presbyteri laudati colligebant? nonne in lauris, & vicis urbis Alexandrinæ Presbyteri illius Eccleſiæ, ſacerdotalia obibant munia, ut ſuperiore capite dictum eſt? Qui primis etiam labiis veterem deguſtaverit Eccleſiaſticam hiſtoriam, aut ſincera ſolum Acta Martyrum, uti innumeros repererit urbium Epiſcopos, tum etiam, uti nunc, munus & officium Epiſcopi agentes; ita innumeros æque tum intra, tum extra urbes repererit Presbyteros colligentes populum, & perſonam Curionis, ſive Parochi, ut in præſens appel-

lamus,

lamus, agentes, quemadmodum ad Hymnum Prudentii in laudem ſancti Hippolythi Presbyteri Romani animadvertit Ruinartius. Committebantur aliquando plebes Diaconis etiam regendæ, ut ex epiſtola patet Cypriani LXVII. exque Canone LXXVII. Synodi Illiberitanæ, ubi conſtituitur: *SI DIACONUS REGENS PLEBEM ſine Epiſcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Epiſcopus per benedictionem eos perficere debebit.* Quod & latius in adnotationibus ad epiſtolam LXIV. libri III. epiſtolarum Divi Gregorii Magni diſſerit Guſſanvillæus. Quanto igitur proclivius erat plebes aliquas fuiſſe a Presbyteris collectas?

Heinc diſplicet erraſſe virum ceteroquin præſtantiſſimum Maſſuetum, dum oſtenſurus Divum Irenæum libros contra hæreſes non elaboraſſe niſi aſſumpto Epiſcopatu, ſcripſit inter cetera, *nullis aliis, quam Epiſcopis, quatuor prioribus ſeculis, creditam fuiſſe adminiſtrationem ſermonis in Occidente.* Primum enim, ut obiter id animadvertam, haud ſatis intelligo qui nam nexus intercedere poſſit inter adminiſtrationem ſermonis, & libros adverſus hæreſes ſcribere, ac evulgare. Num enim aut Epiſcopali fulgebant dignitate, aut in Eccleſiis Orientalibus agebant Juſtinus, Muſanus; Modeſtus, Tertullianus; Minutius Felix, Commodianus, Arnobius, Lactantius, Juvencus, Julius Firmicus Maternus, Fabius Marius Victorinus &c. &c. dum opera in Religionis vindicias, & adverſus aut idololatriam, aut hæreſes edidere? Nil profecto minus. Prætereamus Caium, Romanæ Eccleſiæ Presbyterum, ac hære-

ſeon

ſeon debellatorem, quod, teſte Photio, Cod. 48. fuerit *Gentium Epiſcopus ordinatus*; prætereamus etiam Hieronymum, & Ruffinum, ut antiquiſſimos tantum proponamus. Euſebius libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ V. cap. 27. recenſitis nonnullis Eccleſiaſticis ac polemicis Scriptoribus, ita proſequitur: *Aliorum complurium opera exſtitere, quorum nec tempora literis mandare, quum nullum nobis indicium aut argumentum ſuppetat, nec narrationem ullam libris noſtris intexere poſſumus. MULTORUM etiam lucubrationes ad nos pervenerunt, quorum ne ipſa quidem nomina poſſumus recenſere; qui orthodoxi quidem & ECCLESIASTICI omnes fuere* ὀρθοδόξων μὲν, ἐκκλησιαστικῶν, *ut ſacræ Scripturæ expoſitio a ſingulis eorum allata teſtatur; nobis ignoti tamen, quod libri ipſi auctorum nomina non præferunt.* Num ſi Scriptores illi Epiſcopali ordine omnes fulſiſſent, adeo Euſebium latuiſſent? Eccleſiaſticos illos vocat quidem, non Præſules tamen, aut Epiſcopos, quamvis in rebus eiuſmodi adnotandis, diſtinguendiſque, quammaxime accuratus. Sed cur quatuor prioribus ſeculis numquam credita Presbyteris fuit adminiſtratio ſermonis? Numquid ea Presbyteris negata, qui populum in Titulis Romæ colligebant? Numquid Canones in medium adferri poſſunt, qui Presbyteris adminiſtrationem ſermonis, in abſentia Epiſcopi, atque annuente Epiſcopo, interdixerint? Minime ſane gentium. Quid plura tamen? dum in Occidente ſolis Epiſcopis per quatuor priora ſecula creditam fuiſſe adminiſtrationem ſermonis contendit Maſſuetus, eorum oblitus pro-

 fecto

fecto erat Vir Cl. quæ num. XIII. dixerat eiuſdem diſſertationis, ubi ponens nullum ætate Pothini fuiſſe Viennæ Epiſcopum, quum ſibi ex Valeſio, atque Tillemontio obieciſſet, *Viennæ tunc temporis conſtitutam fuiſſe Eccleſiam, eamque jam PERFECTAM, ET FORMATAM*; ita reſpondit: *Non urget; ſi enim perfectæ, & formatæ Eccleſiæ nomine eam intelligat, quæ proprium habet Epiſcopum, talem fuiſſe Viennenſem negabimus, aut ſaltem dubitabimus: ſi vero quemlibet fidelium cœtum intelligat, nihil obtinebit: cum in pluribus locis fuerint Eccleſiæ eo ſenſu, quæ tamen Epiſcopales non erant.* Cuius in confirmationem rei aliquas recenſet formatas perfectaſque ſolis cum Presbyteris, & ſine Epiſcopis Eccleſias. Verum, ſi, Maſſueto ipſo fatente, erat Eccleſia Viennenſis, ætate Pothini, ac Irenæi, aliæque erant in Occidente FORMATÆ ET PERFECTÆ SINE EPISCOPO ECCLESIÆ; niſi eas adminiſtratione verbi Dei caruiſſe ſomniemus, erit ſane conſequens, nec in Occidente adminiſtrationem illam ita propriam fuiſſe Epiſcoporum, ut non etiam potuerit Presbyteris plebium Rectoribus ab Epiſcopo communicari.

Mirari vero numquam ſatis potero, Ignatium Martyrem fuiſſe a Clarkſono allegatum, ut præſentiſſimam evinceret Epiſcopi in omnibus publicis Religionis actibus neceſſitatem. Futurum potius credebam, ut, quo erat impotenti adverſus Ordinem Epiſcopalem odio, centies decantatum illud ab omnibus Presbyterianis rurſus recantaret, quod in Hilario Diacono Romano,

ſive

ſive Ambroſiaſtro legitur in Commentario ad epiſtolam Divi Paulli ad Epheſios capite 4. ſcilicet: *Primum OMNES docebant, & OMNES baptizabant, quibuſcumque diebus, vel temporibus fuiſſet occaſio; adhuc enim præter ſeptem Diaconos nullus fuerat ordinatus. Ut ergo CRESCERET PLEBS, ET MULTIPLICARETUR, OMNIBUS inter initia conceſſum eſt & evangelizare, & baptizare, & Scripturas in Eccleſia explanare. At ubi OMNIA LOCA complexa eſt Eccleſia, CONVENTICULA inſtituta ſunt, & Rectores, & cetera officia in Eccleſia ſunt ordinata, ut nullus de Clero auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium, quod ſciret, non ſibi creditum, vel conceſſum &c.* Quamvis enim integer ſi adferatur Interpretis huius locus, nil contineat quod orthodoxa cum doctrina quammaxime non faciat; alludit quippe tantum extraordinaria ad dona, & chariſmata, Apoſtolica in Eccleſia, etiam laicis conceſſa; faſteturque atque urget *in Epiſcopo eſſe omnes ordines; quia primus Sacerdos eſt, hoc eſt, Princeps eſt Sacerdotum, & Propheta, & Evangeliſta, & ad cetera adimplenda officia Eccleſiæ in miniſterio fidelium.* Quamvis, inquam, integer ſi recitetur locus, Presbyterianis immo adverſetur: attamen dum illum, truncum, mutilum, imperfectumque, uti a Salmaſio, Dallæo, Blondello, Bohmero, &c. ita a Clarkſono allegatum exſpectabam, en hominem de Ignatii dictis, & Epiſcopali auctoritate ſollicitum, ut inferre valeat paucos eſſe potuiſſe primorum temporum Chriſtianos. Quaſi vero alia fuerit mens beati Martyris, quam ex-

preſſa ab Antiocho, in ſermone CXXIV. ubi verba Ignatii allegans, eum in ſenſum dicta oſtendit, ita ad Epiſcopum convenire debuiſſe FIDELIUM MULTITUDINEM τὸ πλῆθος, ut nullus foret extra gregem ab ipſo directum, nemo ſchiſma faceret, nemo a communione Epiſcopi recederet. Nonne quod per ſibi ſubiectos, & a ſe poſitos Presbyteros Epiſcopus præſtabat, id per ſeipſum quodammodo præſtare videbatur? Heinc illa Tertulliani libro de baptiſmo cap. 17. *Dandi baptiſmi habet jus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus; dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate.* Quænam deinde collatio inter numerum Chriſtianorum Ignatii Martyris ætate, ac eorumdem copiam ætate non dixerim Juſtini, ſed maiorem adeo Clementis Alexandrini tempore, Tertulliani, ac Origenis, maximam denique ac innumerabilem ante & poſt Cyprianum, ad perſequutionem uſque Diocletiani?

Heinc patet quam præpoſtere teſtimonio Epiphanii abutantur vindices paucitatis primorum Chriſtianorum. Agebat ſanctus Pater hæreſi LXXV. de locis Apoſtoli, quibus iſte Epiſcopos, & Diaconos prætermiſſis Presbyteris appellat; talem quippe omiſſionem Aerius eumdem urgebat in finem, in quem noſtri temporis Presbyteriani, ut Presbyteros ſcilicet cum Epiſcopis æquarent. Ita igitur Epiphanius: *Quum recens adhuc eſſet ſacri dogmatis prædicatio, prout res ferebant, ſanctus Apoſtolus ſcribebat. Nam ubi jam Epiſcopi conſtituti fuerant, ad ipſos, & ad Diaconos ſcri-*

bebat

bebat Paullus; neque enim Apoſtoli ſtatim omnia ordinare potuerunt. Et quidem Epiſcopis & Diaconis imprimis opus erat: ſiquidem ab his duobus Eccleſiaſticæ functiones obiri poſſunt: at ubi nemo inventus eſt Epiſcopatu dignus, nullus ei loco præpoſitus eſt Epiſcopus. Ubi vero & neceſſitas poſtulabat, & eorum, qui Epiſcopatu digni eſſent, copia ſuppetebat, conſtituti ſunt Epiſcopi. Quum autem haud magna multitudo eſſet, reperiri nulli potuere, qui Presbyteri ordinari poſſent: propterea ſolo Epiſcopo illis in locis contenti fuere; ſine Diacono autem Epiſcopus eſſe non poteſt. Nimium abuſi ſunt hoc Epiphanii loco qui paucitatem primorum fidelium tuentur. Quanam enim de ætate diſſerit heic ſanctus Pater? ſane de primo Apoſtolorum tempore, quo ſuas ſcribebat Paullus epiſtolas; ſiquidem ſanctus Pater obiectum enodat ex epiſtolis illis derivatum: de tempore loquitur, *QUO RECENS ADHUC ERAT DOGMATIS CHRISTIANI PRÆDICATIO*; locaque diſtinguit a locis, alia ſcilicet, in quibus nemo inveniebatur Epiſcopatu dignus; alia vero, in quibus eorum, qui Epiſcopatu digni eſſent, *COPIA* ſuppetebat. Non itaque ad ſtatum & quantitatem fidelium, qui ſecundo ac tertio, multoque minus quarto in Eccleſia erant ſeculo, referri verba ipſius poſſunt. Porro ex multitudine ſacrorum Miniſtrorum ingentem fidelium reliquorum copiam inferri jure ac recte poſſe, intellexit Johannes etiam Albertus Fabricius capite V. ſalutaris lucis Evangelicæ, ubi habet: *Quam AMPLÆ TUNC ET FREQUENTES fuerint Ec-*

cleſiæ Chriſtianæ, exinde licet facere coniecturam, quod apud Gelaſium libro I. de Actis Concilii Nicæni, capite 3, Alexandri Alexandrini epiſtolæ ſubſcribunt Alexandriæ Presbyteri XVI. Diaconi XIII. & Mareotidis Presbyteri XVI. Diaconi XVI. Quot autem quantoſque, ex ſola Ægypto, Alexander ille, adverſus Arium, valdeque ante Nicænam Synodum, congregaverit Alexandrina in urbe Epiſcopos, ex libro I. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Socratis habemus.

Quamvis vero olim omnes Monachi ſacris inſigniri Ordinibus minime conſueverint, fas adhuc mihi ſit eorum copiam adjicere multitudini ſacrorum Miniſtrorum, ceu quæ immenſum & ipſa auxerit credentium ante Julianæa, ac Theodoſiana imperia numerum & cenſum. Quam enim copioſi obſecro greges eorum erant, qui in Monaſteriis Thebaidos, Scetientibus, Nitrienſibus, Celliæ, Palæſtinis, Syris, Edeſſenis, Tabeneſiis, aliiſque agebant? Ex libro certe hiſtoriæ Sozomeni VI. ex Palladio in hiſtoria Lauſiaca, ex ſanctis Patribus, reliquiſque veteribus Scriptoribus, examina Monachorum fuiſſe intelligimus prope infinita, quæ vix aliquod habebant cum urbicis & oppidanis fidelibus commercium. Chryſoſtomus homilia VIII. in Matthæum tam felicem copiam ita prædicabat: *Paradiſo quopiam omnem illam videbis Eremum digniorem factam eſſe, & Angelorum INNUMERABILES CŒTUS in corporibus fulgere mortalibus, & POPULOS MARTYRUM, & Choros Virginum. Eſt enim cernere tota regione diffuſum exercitum Chriſti,*

ſti, & admirabilem illum regium gregem, virtutemque Cœleſtium converſationem in terris imitantem. Non ita variis aſtrorum choris cœlum refulget, ut Ægypti Eremus INNUMERIS Monachorum, & Virginum diſtinguitur ac illuſtratur habitaculis. Num vero tam ampla, tam ingens, tam præclara & pretioſa Dominici gregis pars, propterea quod neque in ſyllabo fidelium qui ad inſigniores pertinebant urbes, neque in eorum cenſu qui ad oppidanas ſpectabant & rurales Eccleſias, continebatur, erit e primorum numero & Catalogo Credentium delenda?

CAPUT X.

De innumeris primorum temporum Chriſtianis extra urbes, & per agros ſparſis.

LUDOVICUS Thomaſſinus parte I. de antiqua & nova Eccleſiæ diſciplina lib. II. cap. 21. de origine agens Parochiarum, totus eſt ut evincat, ſacras literas verba non facere niſi de Eccleſiis civitatum, proindeque nullas fuiſſe ruri tribus prioribus ſeculis Eccleſias, ac ne in urbibus quidem, præter Cathedralem; idemque verſans argumentum eiuſdem libri capite 22. n. 3. loco Athanaſii allegato de Presbyteris in Mareotide per agros ſparſis, & Eccleſias regentibus, ſubdit: *Erant ergo Parochiæ, Parochique in ma-*

ioribus vicis; ex quibus pendebant vici, villæque minores. Illud autem noſſe operæ pretium eſſet, an rurales illæ parochiæ Conſtantini magni imperio antiquiores fuerint. Ea de re certi quidquam definiri non poſſe exiſtimem. Adfert deinde aliqua ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ex Concilio Illiberitano, quæ Parochias in agris ante Conſtantinum fuiſſe innuere videntur, eaque vel ex ætate talium monumentorum, vel ex verborum, ut ſibi quidem videtur, ambiguitate, ita interpretatur, ut a villis, & ab agris omnino Parœcias excludat; cetera inter, num. 7. ſcribens: *Pauciores tunc adhuc infideles in Chriſtianæ fidei caſtra confugiſſe*; ac demum numero 10. conſequitur, *rurales Parochias quarto tantum ſeculo, nec ubique eodem tempore initium habuiſſe: urbicas ruralibus antiquiores eſſe, easque in maioribus tantum urbibus, in iiſque Eccleſiis initio incruentum Eccleſiæ ſacrificium non offerri ſolitum.* Porro, ſubdit Thomaſſinus, *in veteri Teſtamento unum erat templum ad totum Iſraelitici Imperii cultum religioſum, unus ſacrificiis omnibus locus. Cum primum autem vel templa alia ab Jeroboamo, vel a Samaritis extrui cœpere, ſciſſa eſt & profanata Religio. Apud Gentiles autem nequaquam veriſimile eſt, nec probari certis ullis argumentis poteſt, & templa fuiſſe in ſingulis vicis, & Sacerdotes: quare nec mirum debet cuique accidere, ſi quid eiuſmodi ſecuta initio Eccleſia eſt in conſtituenda exteriori diſciplina ſua.* Hæc ille; quo uno ex loco patet, quantum docti etiam viri nimiis rebus congerendis occupati, nonnulla parum adeo meditari coacti de-

demum ſint, ut, nolentes etiam, a veritate longiſſime recedant.

Ut enim a poſtremo, quod hic Auctor adfirmat, auſpicemur, quis obſecro perſuadere ſibi valet, apud Gentiles nec templa fuiſſe in ſingulis vicis, neque Sacerdotes, quum apud pervios, ac inſtitutioni puerorum conſecratos latini græcique ſermonis Scriptores nil magis frequens inveniatur, quam templa; & rurſus templa, non in villis dixerim ac vicis, ſed in agris etiam, & in viis, adeo ut aliquibus in regionibus plura prope templa, quam homines fuiſſe videantur? Templa Gentilium, ſub Theodoſio magno per Provincias Orientis in urbibus nonnullis, ſed potiſſimum per agros, Monachorum opera, diruebantur. Itaque Libanius, Gentilis, & Orator Antiochenus orationem ad Imperatorem habuit, oſtenſurus huiuſmodi templa dirui non oportere; inquiebat vero inter cetera; σπηλαίοις τε καὶ καλύβαις αὐτοὺς διασώσαντες, θεῶν εὐνοιαν λαβόντες. κ. τ. λ. *Plurimi mortalium quum ſpeluncis ac tuguriis Deos excepiſſent, eorum illico favorem experti, ſcienteſque quantum valeret eorum hominibus benevolentia, tum templa, qualia potuere, tum & imagines iis ipſis fecerunt. Rebus vero ad urbes progreſſis, arte jam ad hæc perficiente, multa quidem templa ædeſque in MONTIUM LATERIBUS, multa in PLANITIE viſa ſunt: in unaquaque vero civitate extra muros, initium reliqui corporis: ab eiuſmodi quippe Rectoribus maximam ſibi ſecuritatem fore exiſtimarunt. Et ſi totum orbem, quem Romani incolunt emetieris, ubique id reperies . . . . At enim*

pullati

pullati hi currunt ad templa; ac deiectis tectis, dirutis muribus, deturbatis ſimulacris, exciſis aris, omnia evertunt. Sacerdotes vero vel tacere oportet, vel mori: primiſque deiectis curritur ad ſecunda, tertiaque; idque patratur quidem etiam in urbibus, ut plurimum vero in AGRIS . . . peragrant igitur AGROS, ſicut torrentes, perdentes AGROS per templa: ubi enim templum in AGRO exciderint, hoc ipſo is ager occæcatur, jacet, ac mortuus eſt. Anima quippe AGRORUM, o Imperator, templa ſunt, utpote quæ primordia fuere ædificiorum in agris, ac per multas ætates hucuſque perſeveraverunt, agricolarumque in ipſis omnis ſpes eſt &c. Si Theodoſio imperante, eo ſcilicet temporis, quo proxima excidio erat, Romano in imperio, idololatria; ſique anno æræ Chriſtianæ CCCXC. quo habita eſt Libanii oratio, ut contendit in adnotatione ad illam ſua Jacobus Gothofredus, tot adhuc erant in agris ædes Deorum, multæque adeo, *ut TEMPLA IN AGRIS per Phœnicem Libani ſine tumultu dirui* jubere rurſum debuerit Arcadius, A. D. CCCXCIX. lege lata, quam Gothofredus æque explicat in Commentario de ſtatu Paganorum ſub Imperatoribus Chriſtianis; quam frequentiora fuerint neceſſe eſt; ætate illa, qua ſuperſtitio ubique vigebat, & ubique Dii colebantur?

Neque vero heic de ſacellis dicimus, deque ædiculis, & baſiliculis per agros ſparſis, multoque minus de Templis extra muros urbium ſtatim poſitis, apud Scriptores paſſim obviis, & quæ ludorum cauſſa conſervari voluit Conſtantius

tius ſuo ad Catulinum reſponſo A. D. CCCXLVI., ſed verius de fanis idolorum in oppidis, & vicis. Illa ſiquidem Libanii animadvertenda, προοίμια ἐν τοῖς ἀγροῖς κτίσεως γεγενομένα, qua, ſicut civitates a templis initium ferme ſumpſiſſe ſibi perſuaſerat; ita templorum, quæ in agris erant, occaſione, ædificia quoque ibi collata, pagoſque conſtitutos. Sexcenta numerantur apud Geographos veteres loca ab idolorum fanis denominata. Sed cur Thomaſſini animo ac menti numquam *Paganalia* occurrerunt? cur non *Ruſtici Dii* tam aperte a Tertulliano memorati, capite Apologetici X.? cur non *Vicorum Dii*, apud Arnobium libro contra Gentes tertio? cur non *Ruſtica ſacrificia*, apud Plinium, præfatione ad Veſpaſianum? Quibus adde illud Athanaſii, oratione contra Gentes: *Unaquæque civitas, & PAGUS*, ϗ χώμη *vicinorum Deos reſpuens, ſuos proponit, eoſque colendos arbitratur.* Quonam autem pacto potuiſſet publice cultus eiuſmodi exerceri, niſi unuſquiſque pagus ſuum conveniendi locum ac templum habuiſſet? quomodo, teſte Libanio, templorum, quæ in AGRIS erant, excidio ſe ſe oppoſuiſſent Sacerdotes, ſi iſti nulli fuiſſent in oppidis & vicis? quomodo Apoſtata Julianus, in epiſtola ad Arſacium Galatiæ Pontificem, huic præcepiſſet de Sacerdotibus monendis, *ſive qui in urbibus erant, ſive qui in PAGIS conſtituti*? quomodo ſine templis Ruſtici ſacrificia obtuliſſent?

Diutius haud immoraremur in refutando Thomaſſino, ſi hic, ad removendas omnes rurales prioribus ſeculis Eccleſias, non adieciſſet id etiam

fa-

factum, proptereaquod *unum fuiſſet in Veteri Teſtamento Templum ad totum Iſraelitici imperii cultum religioſum, unus ſacrificiis omnibus locus.* Quaſi vero unum modo Chriſtianis, quemadmodum Judæis, univerſa in gente, eſſe oportuiſſet templum; quaſi nos, ſicut olim Judæi, uno tantum in loco poſſemus offerre ſacrificium: quod nemo ſane dixerit. Melius profecto Thomas Goudwinus in ſuo Moyſe, & Aarone ſcripſit capite ſecundo: *Templum Hieroſolymitanum velut caput, BASILICA fuit, Synagogæ tamquam PAROCHIÆ ad illum pertinentes.* Jam vero primos noſtrorum conventus juxta formam Synagogarum collectos fuiſſe, convenit ſatis inter doctos, præcipue Seldenum, Moynium, Witringam, Rhenferdium, Ludolfum, Tentzelium, Baſnagios, &c. idque adeo verum eſt, ut *Synagogæ* nomen loco, in quem ad ſacra peragenda conveniebant Chriſtiani, datum fuerit in epiſtola Paulli ad Hebræos capite 10. & in canonica Jacobi epiſtola cap. 2. Porro ſynagogis non urbes modo, ſed pagos etiam & vicos abundaſſe, notius eſt, quam ut confirmari heic indigeat. Hieroſolymis CCCCLXXX. numerabantur; & auctor eſt Maimonides in *Tephila*, ubi decem ſaltem reperiebantur Iſraelitæ, ibi ſynagogam conſtitutam. Calmetus in Lexico ad V. *Proſeucha*, ſcribit, Proſeuchas (quæ idem ferme cum ſynagogis,) extra urbem ad ripas amnium fuiſſe ſitas, ut ex Machabæorum III. capite ultimo, ac ex Actis Apoſtolorum capite XVI. 12. palam eſt. Duobus a Sichem paſſuum millibus Proſeucha Samaritanorum occurrit apud

Epi-

Epiphanium, hæreſi LXXX, qua in re Samaritanos, ut & in aliis, mores Judæorum ſequutos idem Sanctus obſervat. Denique animadvertit Paullus Baudrì ſuis in adnotationibus ad librum de mortibus perſequutorum, primos Chriſtianos in alto Eccleſias conſtituiſſe, quod & olim conſilio ſynagogas Judæi ſuas in excelſis locis conſtruxiſſent, quemadmodum magnam partem ſuarum ſacrarum ædium Gentiles. Si igitur Thomaſſino demus, Judæos atque ethnicos primitivam Eccleſiam imitatam fuiſſe in conſtituenda exteriori illa diſciplina ſua, ſequi adverſus ipſum debet, primos fideles non in urbibus tantum, ſed etiam in vicis, ac pagis, loca habuiſſe ſacris celebrandis deſtinata.

Sed quid heic ethnicos ac Judæos quærimus oſtendendæ ingenti fidelium, & Eccleſiarum ruralium multitudini? nonne id domeſtica evincunt monumenta? Vivente adhuc Salvatore noſtro, qui non tantum in templo, & in ſynagogis, verum etiam in ædibus privatis, & campeſtribus docuerat in locis, ut ex hiſtoria conſtat Evangelica, miſſi ad prædicandum Apoſtoli, ut Lucas refert capite 9. *Circuibant per CASTELLA, evangelizantes, & curantes ubique.* Eodemque Luca teſte, Actorum 8. Petrus & Johannes multos Samaritanorum *VICOS* κώμας Evangelio implevere. Petrus ſedata perſequutione ad Sanctos deveniſſe legitur, qui erant Lyddæ. Vicus autem erat Lydda, teſte Flavio Joſepho libro XX. Clemens Apoſtolis Coævus, ita in epiſtola ad Corinthios: *Prædicantes* κατὰ χώρας *PER AGROS, & urbes,*

urbes, primitias ſuas, quas ſpiritu probaverant, Credituris Epiſcopos, & Diaconos conſtituerunt; Euſebius libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ II. capite 3. quomodo Chriſti doctrina per univerſum orbem brevi diſperſa fuerit, hiſce deſcribit verbis: *Ita opitulante cœleſti virtute, ſalutaris Dei ſermo tamquam ſolis radius univerſum terrarum orbem ſubito illuſtravit, & prout in ſacris literis prædictum fuerat, in omnem terram exivit ſonus Evangeliſtarum ſimul & Apoſtolorum, & uſque ad fines terræ verba eorum. PER OMNES IGITUR CIVITATES, ET VICOS*, ϗ δῆτα ἀνὰ πάσας πόλεις τε ϗ κώμας, *ECCLESIÆ INFINITA HOMINUM MULTITUDINE ABUNDANTES, velut areæ quædam frugibus refertæ, brevi conſtitutæ ſunt.* Confirmatque Euſebii narrationem Plinius Secundus, Clementi Coævus, ubi Traiano retulit: *non Civitates tantum, ſed VICOS etiam, atque AGROS, ſuperſtitionis huius contagionem* (ex mente ethnicorum) *pervagatam eſſe.* Quæ verba referens Juſtus Henningus Bohmerus, diſſertatione V. Juris Eccleſiaſtici antiqui ad Plinium ſecundum, & Tertullianum, ſubdit; *Chriſtiani nominis tanta vis fuit, tanta virtus & efficacia, ut mox etiam VICOS, & AGROS impleret, indignationemque Gentilium, quam de hoc Chriſtiani nominis incremento conceperant, quotidianam & graviſſimam fuiſſe*; quare illa jam ex Septimio allegata: *RUSTICAMUR ET NOS VOBISCUM.* Et rurſus: *Obſeſſam vociferantur civitatem, IN AGRIS, IN CASTELLIS, in inſulis Chriſtianos.* Speciatim vero Eccleſiarum in agris collectarum mentionem jam antea

tea fecerat Juſtinus martyr, apologia ſecunda confeſſus, omnium, qui *vel in urbibus, vel in AGRIS* κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων degebant, factos eſſe, ſolis qui dicebatur die, conventus; heincque Presbyteros & Doctores τῶν ἐν ταῖς κώμαις ἀδελφῶν, *qui PER SINGULOS VICOS fratribus inſtituendis* operam darent, memorabat apud Euſebium Nepos libro VII. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 24. Quid clarius dici poteſt ad conteſtandum jam antiquiſſima illa ætate, oppidanas & rurales fuiſſe Eccleſias, & in utriſque conventus Chriſtianorum? Lucianus Martyr, ut apud Bollandum legimus tomo I. Act. SS. ad diem VII. Januarii, ex Rufino, & ex Codd. MSS. dum Chriſtum coram ethnico Præſide confiteretur, ita hunc alloquutus eſt: *Quæ autem dico, non ſunt in obſcuro geſta loco, nec teſtibus indigent: PARS PENE MUNDI JAM MAIOR huic veritati adſtipulatur; aut ſi quid in his ſuſpectum videtur, conteſtatur de iis etiam AGRESTIS MANUS ignara figmenti.* Quanto revera etiam in agris atque vicis eſſent Chriſtiani numero evincunt martyria ipſa in eiſdem non minus ac in urbibus præcipuis ab illarum fidelibus ætatum tolerata; ita enim Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium mox citato libro, capite undecimo: *Sed & alii plures per oppida & VICOS diſcerpti ſunt ab ethnicis fideles.* ἄλλοι δὲ πλεῖστοι κατὰ πόλεις καὶ κώμας ἀπὸ τῶν ἐθνῶν διεσπάσθησαν. Idem Euſebius libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ IX. capite 5. de falſis Actis Pilati ſcribit: *Quum Acta quædam apud Pilatum ſuper Servatore noſtro habita*

com-

compoſuiſſent ; plena impietatis adverſus Chriſtum, ea per omnes provincias imperii Maximini, ipſo jubente, dirigunt, mandantes per literas, & ubique locorum, ut tam IN AGRIS, quam in civitatibus κατὰ πάντα τόπον ἀγροὺς τε καὶ πόλεις *publice proponerentur.* Quid nam iſta ſibi volunt, niſi ſategiſſe Maximinum, ceteroſque ethnicos, ut ſparſi per vicos atque agros Chriſtiani ad ſuperſtitionem ethnicam redirent: inque agris ſacros tam Gentilium, quam fidelium conventus fuiſſe celebratos? Id confirmat idem Auctor de laudibus agens Conſtantini capite XI. his verbis: *Clementiſſimus optimi Patris filius, Dei Verbum, omnes qui a recto tramite aberraverunt, ad inſtitutionem divinæ diſciplinæ liberaliter invitavit, inſtructis per univerſum orbem ſcholis, atque auditoriis, in regionibus ET VICIS, & AGRIS, LOCISQUE DESERTIS, in cunctis tandem civitatibus.* Et capite XVII. ita rurſus: *Quis Barbaros, & RUSTICOS HOMINES IN AGRIS DEGENTES, mulieres item, ac pueros, INFINITAM DENIQUE OMNIUM GENTIUM MULTITUDINEM docuerit, ut mortem contemnerent?* Vel prioribus igitur ſeculis patuit adeo Chriſtianum nomen, ut maximam nactum fuerit multitudinem, non in urbibus modo, ſed in pagis etiam, viciſque, atque agris, ac in deſertis etiam locis. Idque confirmat lex Conſtantini A. D. CCCXXI. in Cod. Juſt. de Feriis leg. 2. *Omnes Judices, urbanæ plebes, & cunctarum artium officia, venerabili die ſolis quieſcant: RURI TAMEN POSITI agrorum culturæ libere libenterque inſerviant; quoniam frequenter eve-*

nit,

nit, ut non aptius alio die frumenta ſulcis, aut vineæ ſcrobibus mandentur, ne occaſione momenti pereat commoditas cæleſti proviſione conceſſa. Ruri poſitos ab illa quiete non eximit Imperator, propterea quod maximam partem Chriſtiani non eſſent; ſed ob ſolam agriculturæ neceſſitatem. Querebatur denique Julianus de Chriſtianis, ut ex fragmento epiſtolæ ipſius intelligimus, *quod immo deſerta loca urbibus anteponerent*, εἰσὶ δὲ οἳ ἐκ τῆς ἐρημίας ἀντὶ τῶν πόλεων διώκουσιν, cuius prima origo a diris in eos perſequutionibus profecta; dum qui ſe in montium culmina, & ſolitudines fugiendis gladiis abdiderant, huic vivendi rationi paullatim aſſuefacti, inſtitutum deinde illud ad mortem uſque ſibi retinendum credidere. Sed de hoc alias.

Agimus enim heic de fidelibus per agros ſparſis, & pagos incolentibus, atque eorum de collectis extra urbes celebratis, unde ipſorum copia pateat, & multitudo. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium libro VII. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 11. narrat, in Valeriani perſequutione pulſum ſe fuiſſe cum aliis in exilium, & primum quidem Cephro abire juſſum, ſed mutatis conſiliis, ut ad Colluthionis regionem pergeret imperatum, ſubditque: *Principio quidem id ægre admodum ac moleſte tuli: ſed multum mihi conſolationis attulit, quod fratres me admonuerunt, locum illum a civitate propius abeſſe. Itaque quamvis Cephron MAXIMAM FRATRUM MULTITUDINEM nobis ex Ægypto confluentium adduxiſſet, adeo ut laxius jam conventus agere poſſemus:*

 mus:

mus: *illic tamen ob vicinitatem urbis cariſſimorum coniunctiſſimorumque hominum aſpectu crebrius nos aiebant eſſe fruituros*: *eos quippe acceſſuros*, *ibique commoraturos*: *ET TAMQUAM IN SUBURBANIS REMOTIORIBUS particulares illic conventus futuros. Idque ita contigit.* Adnotat ad hunc locum Valeſius, quoties ſuburbia paullo remotiora erant ab urbe, eos qui in ſuburbiis illis manebant, non coactos fuiſſe ad Maioris Eccleſiæ conventus accedere; ſed in eo ſuburbio particulares actos fuiſſe conventus in aliqua Baſilica, aut in loco ad hoc agendum idoneo: qua ex animadverſione ſequeretur, eos qui vicinioribus in ſuburbiis degebant, accedere ad Eccleſiam urbis debuiſſe. Immo minus adeo favet Valeſius ſuburbicariis eiuſmodi Eccleſiis, ut in adnotationibus ad librum I. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Socratis capite 27. allegato Athanaſii teſtimonio Mareotica de regione, in qua ſinguli Presbyteri proprios habebant pagos, eoſque maximos, denos interdum, aut plures; ex eo apparere conficit, ſingulos Mareoticæ pagos non habuiſſe ſuum Presbyterum, ſed unicum Presbyterum denos pagos rexiſſe. Emendatur tamen vir doctus a præclariſſimis Maurinis Monachis in laudatum Athanaſii locum, pag. 200. *Vix enim ſuaderi queat*, inquiunt, *tot tantoſque vicos unicuique Presbytero commiſſos fuiſſe*: *& alioqui interpretationi Valeſii repugnare videtur ipſe Athanaſius*, *dum ait Iſchyræ pagum ita parvum fuiſſe*, *ut nulla in eo fuerit Eccleſia*: *quo innuit*, *in amplioribus quibuſque Eccleſiam*, *atque adeo Presbyterum*

terum extitiſſe. Et ſane vox χώρα, *quam uſurpat Athanaſius de Mareote loquens, non amplam regionem ſignificare videtur, ſed haud magnum terræ ſpatium. Haud exigua tamen regio fuiſſet Mareotes, ſi Presbyteri Mareotici, qui novemdecim numerantur in ſubſcriptionibus epiſtolæ Alexandri, decem maximos pagos, immo plures ſinguli adminiſtrandos habuiſſent.* Sed & falli nobis videtur Valeſius, dum in verbis Dionyſii Alexandrini diſcrimen ſibi videre videtur inter viciniora & remotiora urbi ſuburbia, quod in his haberentur fidelium ſynaxes, non in illis. Id profecto non innuit Dionyſius; ſed ſolum, in ſuburbiis remotis laxiores, frequentiores, ſolemniores haberi ſolitos fuiſſe cœtus, πλατύτερον ἐκκλησιάζειν δύνασθαι, quam in propinquioribus, in quibus propterea neque Presbyteros in univerſum fuiſſe negat, neque collectas Chriſtianorum.

Etiamſi vero mos ille, de quo Valeſius, alicubi obtinuiſſet, nulla tamen foret ratio, cur idem de ceteris adfirmaremus. Sozomenus libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ VII. capite 19. agens de variis apud varias Eccleſias moribus ac ritibus, ſcribit inter cetera: *In provincia Schytia, quamvis multæ urbes ſint, unus eſt omnium Epiſcopus: in aliis autem provinciis, interdum ETIAM VICI,* ἐν κώμαις, *conſecratos habent Epiſcopos, ſicut in Arabia, & in inſula Cypro animadverti, & apud Novatianos, ac Montaniſtas, qui ſunt in Phrygia. Apud Romanos Diaconi non plures ſunt hactenus quam ſeptem: apud alios vero haudquaquam eſt definitus numerus Diaconorum.* Eodem illo, quo

Dionyſius Alexandrinus, tempore, teſte Euſebio libro VII. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 30. Paullus Samoſatenus Ἐπισκόπους τῶν ὁμόρων ἀγρῶν *Epiſcopos VICINORUM AGRORUM, & civitatum, nec non Presbyteros aſſentatores ſuos ſubmiſit, qui in ſuis ad populum concionibus præclara de ipſo prædicarent.* Quomodo vero in concionibus ad vicini ruris incolas id præſtare Presbyteri illi potuiſſent, niſi, quemadmodum in urbibus, ita & VICINIORIBUS IN AGRIS, Eccleſias & loca habuiſſent ad plebem colligendam deſtinata? Et ſane, ut jam vidimus, fuere ante quartum ſeculum, in Græcia præſertim, Aſia, & Oriente, Chorepiſcopi, qui ſuos habebant Presbyteros, Diaconos, Lectores &c., & quorum ſaltem aliqui fuere inſtar ruralium Parochorum, qui fideles ruris regerent, illiſque ſacramenta adminiſtrarent. Quonam enim pacto Epiſcopis agrorum illis, quemadmodum ſuis urbicis Presbyteris, præcipere Samoſatenſis Præſul potuiſſet, ut ruſticis hominibus ſua ſeque prædicarent, niſi aliquam ſuper Chorepiſcopis eiuſmodi, veluti totidem ſuæ Diœceſeos Parochis, habuiſſet poteſtatem? Profecto rurenſium Parœciarum antiquitatem primam ſibi adeo compertam habuit vir maximus Petavius, ut eam antiquitati Parœciarum, quæ in urbibus fuere, anteferendam eſſe duxerit ſuis in Epiphanium animadverſionibus ad hæreſim LXIX. ſcribens: *Quum Epiſcopi urbana plebe regenda paſcendaque diſtricti, in AGROS diſcurrere, atque Eccleſiaſtica munera & ſacramenta RUSTICANIS HOMINIBUS impendere minus poſſent: Vicarios*

eodem

Digitized by Google

eodem Chorepiſcopos allegabant, *in quos magnam juris poteſtatiſque ſuæ partem transferrent*; *quamobrem antiquiſſima debet eſſe Chorepiſcoporum inſtitutio*, *adeoque altera illa* TITULORUM *diviſione vetuſtior.* IN AGRIS *ſiquidem* PARŒCLARUM, ECCLESIARUMQUE *divortia primitus inſtituta nemo prudens negaverit*; *quibus adminiſtrandis & gubernandis Chorepiſcopi*, *tamquam ruris Epiſcopi*, *præpoſiti ſunt cum ampliſſima quadam poteſtate*, *optimaque lege.* Nemo denique, ut diximus, dubitat in præſens, Apoſtolicos Canones ex communi receptaque Eccleſiæ primitivæ diſciplina; & conſtitutionibus collectos fuiſſe, ſive citius deinde, ſive ſerius; in unum ſynodicon redactos. Vetat autem Canon Apoſtolicus XXXVI. *ne quis extra Diœceſim ſuam per urbes* ET PAGOS *ordinationem faciat.* Ordinare igitur poterant Epiſcopi in ſubiectis ſibi urbibus ET PAGIS; ideoque nedum in urbibus, verum etiam IN PAGIS eſſe oportebat Eccleſias & Presbyteros, quia, ut notum eſt, ac ipſe docet Thomaſſinus, ordinare aliquem ſtylo ac more veteri idem erat, ac partem illi Eccleſiaſtici regiminis conferre.

III. Haud ignoramus vero alios non deeſſe doctos viros, Parœciarum originem ad ſeculum quartum retrahentes, ac vocem *Parœcia* ut vicinorum ad unam aliquam ædem ſacram, collectionem denotat, eſſe vocem barbaram; & Parochum longe alium olim fuiſſe, quam quo nunc accipitur pro Curione; immo plures eſſe probe novimus, qui idololatriam *Paganiſmum* fuiſſe ap-

N 3 pel-

pellatam arbitrantur, propterea quod ruris incolæ avitis ſacris tenacius adhærentes, diutius quam urbani coluerint idola. Certe Johannes Oxonienſis in adnotationibus ad epiſtolam I. S. Cypriani, poſtquam plura de Eccleſiaſticis decimis dixiſſet, inquit: *Serius quidem decimas ex fructibus accipiebant Sacerdotes Chriſtiani, quia ruris incolæ, quique agriculturam exercebant, nonniſi ſero ad fidem converſi, unde Paganorum nomen ethnicis adhæſit.* Verum, qui eiuſmodi ageretur auctoritatibus ut inficiaretur Eccleſias, & fidelium cœtus, ruri, inque villis, & pagis, ante quartum ſeculum fuiſſe, vehementer, ut arbitror, erraret. Viri ſiquidem vere docti, qui Parœciarum initium ad ætatem ſeriorem retrahunt, de Parœciis ſermonem habent juxta ſenſum in jure Canonico acceptum, aguntque de jure Parochiali ſtricte ſumpto, ſive pro lege ſumatur, ſive pro facultate, ſive pro complexione jurium, quæ omnia profecto non comparent, niſi externo Eccleſiarum ſtatu poſt integram perfectamque pacem ſynodis ac legibus optima demum forma conſtituto. Porro ſi ea omnia poſtulaveris quæ ad perfectum jus parochiale requiruntur, ut cœtum aliquem Parœciam appelles, vix quarto ſeculo, vel in urbibus, earum aliquam inveneris: quod ex facto oſtenditur Marciani ſub Gennadio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Œconomi, qui, referente Theodoro Lectore, libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ I. num. 13. *Decrevit, ut quæ in unaquaque Eccleſia offerebantur, Clerici eiuſdem Eccleſiæ acciperent; quum ad id temporis MAGNA ECCLESIA acci-*

pere

pere ſoleret univerſa. τῆς μεγάλης ἐκκλησίας πάντα κομιζομένης. Ex eiuſmodi Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ decreto Juris Canonici periti originem deducunt juris Parochialis circa oblationes fidelium. Verum hæc, & ſimilia haud poſtulari debent, ubi de antiquiſſimis agitur ruralibus Eccleſiis, deque rebus, quæ ante quieta tempora fieri utcumque potuere: quibus tamen imaginem, radicem, ſemen, atque fundamentum detegimus eorum, quæ ſtabili denique decreto fixam abſolutamque faciem & formam induerunt. Quum Polepiſcopi quarto ſeculo, ut vidimus, in Synodis Antiochena, Ancyrana, Laodicena, Sardicenſi, Neocæſarienſi, &c. tantam nemine quem ſciamus reclamante exercuerint in Chorepiſcopos, ſive ruris & Pagorum Epiſcopos, auctoritatem, eoſque vel abrogaverint, vel mutaverint in Presbyteros, & περιοδευτὰς, ac in ordinem redegerint; argumentum eſt, rurales illas & Pagorum Eccleſias, pro illorum conditione temporum, fuiſſe totidem veluti Eccleſiarum Civitatenſium Parœcias; ideoque has jam ante illam ætatem fuiſſe in villis & pagis conſtitutas.

Thomaſſinus ipſe parte I. libro II. de antiqua & nova Eccleſiæ diſciplina, docet, quarto ſeculo, *IN CASTELLIS, ET VICIS fuiſſe Eccleſias, eoque POPULOS FREQUENTES CONVENISSE ad myſteria ibi celebrata. Nam,* inquit, *cum Laodiceno Canone LVIII. prohibitum ſit ea celebrare in privatis domibus; reſponderi tamen poteſt, Canonem Laodicenum de domibus intelligendum, quæ in urbe ſunt, non de iis, QUÆ RU-*

RI, ubi nullæ Eccleſiæ perdiu fuere. In caſtellis igitur ac vicis tempore jam Synodi Laodicenæ, judice Thomaſſino, POPULI FREQUENTES ad myſteria celebranda conveniebant. Aſt concipi quî poteſt, a data Eccleſiæ pace ad Synodum Laodicenam POPULOS FREQUENTES in pagis ac villis ab idololatria facile ac ſponte receſſiſſe, ac ex ruralibus ethnicis ſtatim adeo fideles factos? qui tam ſolemniter de Epiſcopis pagorum, vicorumque ſtatuiſſent Ancyrani, ac Neocæſarienſes Patres, vix poſtquam Conſtantinus æmulos hoſtes vicerat, niſi jam rus atque pagi referti Eccleſiis & credentibus fuiſſent? quî denique ſtabit fides tot veterum Eccleſiæ monumentorum atque Patrum, ſi quarto ſolum ſeculo in pagis & villis agi cœtus & conventus fidelium cœperunt?

Illud autem mirum maxime, pro eorum opinione, quos in præſens oppugnamus, tum repleri agros atque pagos cœtibus fidelium, quum *Paganorum* nomen ethnicis adhæſiſſe dicitur, quia ruris incolæ avitis ſacris adhærentes, ſerius ad Chriſtum, & ad fidem acceſſere: quæ ſane quomodo conciliari valeant, haud intelligo. Cur autem ſub Imperatoribus Chriſtianis ethnici dici cœperint *Pagani*, innumeræ proſtant conjecturæ apud Baronium, Voſſium, Gothofredum, Ludolfum, Martinium, Richardum, &c.; ſed tamen conjecturæ, quæ adſenſum minime extorquent, proindeque prudens haud videtur Oxonienſis Fellus, qui uni, tamquam rei exploratæ, nimis facile adhæſit. Incertum id ſemper futu-

rum

rum arbitror, ut in odioſis cognominationibus ſæpe evenit. Veteres Eccleſiæ Patres, præſertim Orientales, ethnicos frequentiſſime *Græcos* appellabant, quod e Græcia ortam crederent Religionis noſtræ æmulam, philoſophiam: ſequitur ne Græciæ incolas primis temporibus, & inſigni quidem copia, Chriſto nomen non dediſſe? Nil profecto minus: maior immo nominis Chriſtiani gloria ab antiquiſſimis Græcis repetenda. Quæcumque igitur cauſſa fuerit, cur idolis adhuc quarto quintoque ſeculo addicti, appellati fuerint *Pagani*, non eſt profecto, cur a pagis, a villis, ab agris fideles primo tempore auferamus; qui tunc etiam, quemadmodum in urbibus, ita extra illas, cœtus habuere, proſeuchas, domoſque, in quas religionis cauſſa convenirent; quæque ætate illa, ſicuti Templorum, ita Parœciarum vicem veluti agebant; quare uti ex templis ad formam Baſilicarum ſerius exſtructis, ita ex ſtricto jure Parochiali, ſeriori tempore inducto, nullum confici debet, neque porro poteſt, ad multitudinem ruralium fidelium inficiandam argumentum.

CAPUT

CAPUT XI.

Ex Lucianæo Philopatridos dialogo primorum multitudo Chriſtianorum, aliaque ad eam pertinentia confirmantur.

Etsi capite huius diſſertationis III. immenſum fuiſſe primorum fidelium numerum teſtimoniis oſtenderim, ac factis ethnicorum; quia tamen ex Lucianæo Philopatridos dialogo copia non modo illa ingens confirmatur vehementer, verum etiam & ratio illuſtratur, qua Chriſtiani veteres, perſequutionum ætate, ad celebranda ſacra privatis in ædibus coibant, aut ſeorſim variis in cœtibus collecti, a Presbyteris regebantur ſuis; nonnulla etiam haud adeo pervia erui in rem noſtram poſſunt: dabit propterea mihi Lector hanc veniam, ut in campum eiuſmodi gradu celerrimo excurram; quod minus e via egredi futurum arbitror, quam hucuſque tradita, veluti in ſpeculo contemplari. Lucianæi igitur Auctor dialogi, quum totus eſſet in Chriſtianis irridendis, a catecheſi auſpicatur, inducens Triephonem quemdam, catechiſtæ agentem partes, & Critiam catechumeni. Ita vero Triephon: *A principio chaos, & nox, & tenebræ nigræ, & tartarus altus: nulla autem terra, nec aer, aut polus adhuc. Erat autem lux incorruptibilis &c. . . . Quemadmodum TARDILINGUIS ille deſcripſit. Terram firmavit ſuper aquas, &c. eſique in cœlo aſpiciens juſtos pariter, & injuſtos, &c.* Et

tan-

tandem: *Bona verba, Critia, neque quicquam contemptum aut vile de Deo dextero loquaris, ſed CATECHUMENUS exiſtens, perſuaderi a me tibi ſine, ſi modo vivere cupis in ævum &c.* Erat hæc prima informandi inſtituendique Catechumenos formula, ut illorum monumentis temporum oſtendit Johannes Morinus in libro de diſciplina a Patribus obſervata in Catechumenorum expiatione, eorumque ad baptiſmi ſuſceptionem præparatione, ubi etiam ſignificationem vocum; ipſaſque voces CATECHUMENUS, κατηχεῖν, & κατηχεῖσθαι, ethnicis inſolitas fuiſſe capite 3. oſtendit, & a ſolo Philopatridos Auctore ad irridendos Chriſtianos uſurpatas; quemadmodum & ſenſus nominum Προφήτης, καὶ θιασάρχης, καὶ ξυναγωγεύς, καὶ Καινόν, e Chriſtianorum libris eumdem derivaſſe, & τὸν βραδύγλωσσον pro Moyſe poſuiſſe; capp. 8. & 9. diſſertationis de ſtylo Novi Teſtamenti adnotat Thomas Gatakerus.

Poſtquam vero nonnulla de myſteriis noſtris ludicre ſatis ac impie protuliſſet Auctor dialogi, & Catecheten in privato veluti auditorio, ut moris erat, non autem publice in Eccleſia, docentem luſiſſet; ita ad Baptiſmales irridendas cæremonias, & fidelium ſynaxes, pergit: Critias: *Abieram in viam publicam empturus videlicet ea, quibus maxime opus habebam: atque ibi video MULTITUDINEM ADMODUM MAGNAM; in aurem mutuo ſuſſurrantes*, καὶ δὴ ὁρῶ πλῆθος πάμπολυ εἰς τὸ οὖς ψιθυρίζοντας, *audiendi autem ſtudio etiam labiis hærebant.* En igitur ſtatim multitudinem admodum magnam Chriſtianorum,

ad

ad ſynaxim convenientem, aut aliquid quod ad ſe ſpectaret, ſibi ſecreto communicantem. Quid enim ſibi volebat in aures omnium inſuſſurratio, ac labiis adhæſio, niſi ob *clancularios conventus*, de quibus ethnici adeo querebantur, ut habemus apud Origenem libro contra Celſum I. quare & ab ethnico Cæcilio, apud Minutium Felicem in Octavio, Chriſtiana gens dicebatur, *latebroſa & lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula . . . . Numquam palam loqui, numquam libere congregari?* Perſpecta vero illa fidelium MAGNA ADMODUM MULTITUDINE, ita proſequitur Critias: *Video autem CRATONEM, Politicum illum, qui mihi a puero uſque amicus fuit, & in conviviis una conſuetus.* Triephon: *intelligo quem dicis; Inſpectorem videlicet illum: ſed quid poſtea?* Critias: *multis itaque oppoſito cubito dimotis, in anteriorem partem penetravi, & matutinum illud Ave præfatus, accedebam ad ipſum. Ceterum homuncio CHARICENUS nomine, putridus, ſeniculus, inter ingentes ronchos, tuſſimque imis ductam pulmonibus, enixe ſcreat. Erat autem ſputum ipſa morte lividius. Tum exili voce ita infit: Hic, quemadmodum ante dicebam, Peræquatorum indulgebit omiſſa, debitaque reddet creditoribus, privataſque impenſas, æque ac publicas ſolvet. Recipiet autem vanos futuri coniectores, non æſtimans illos ex arte; quin amariora etiam homo nugabatur. Qui autem circum erant, ſermonibus eiuſmodi delectabantur, noviſque rebus audiendis attendebant. Alius autem quidam, cui nomen CHLEVOCHARMUS, pallium habens ad-*

modum

modum putre, calceis ac tegmine capitis incedens, interloquebatur, dentibus applaudens, ὡς ἐπεδείξατό μοι τὶς κακοείμων, ἐξ ὀρέων παραγενόμενος, *ut demonſtravit mihi male veſtitus quidam*, *QUI EX MONTIBUS ADVENERAT*, *detonſa coma*; *Chlevocharmus, inquam, Chariceni verbis applaudens, dicebat, hominis illius nomen perſcriptum iri litteris hieroglyphicis, in theatro, & quod auro inundaturus eſſet viam publicam.* Irriſos abs ſe homines illos ſubdit Critias, ſibique Cratonem illum, Politicum, & Inſpectorem, ita alloquutum: *Tace, Critia, ſi enim ſilentium ages, docebo te pulcherrima ſacrorum, & quæ nunc futura ſunt; neque enim ſomnia eiuſmodi eſſe credas, ſed rem ipſam: eventum vero capient in menſem, qui dicitur Meſori.* Ita ſuperiora verti poſſe noviſſimus cenſet Luciani interpres ac editor, Geſnerus, qui locum hunc eſſe obſcuriſſimum fatetur, & διενελημμένον, veniamque præfatur, ſi mentem aſſequi, ac explicare heic non valeat ſenſum irriſoris, quum tamen Lucianum habuerit jam ſibi triginta prope annis familiarem. Si forte tamen in ipſius incidiſſet animum, totam hanc ſatyram reſpexiſſe ſingillatim diſciplinam Catechumenatus, Baptiſmi, & Synaxeos primorum Chriſtianorum, plurimam ſibi lucem conficiundæ clariori interpretationi, & ironiæ Scriptoris propius aſſequendæ, nactus eſſet.

Id ut clare pateat, de Perſonis dicendum, quæ loquentes in dialogo inducuntur, quæque ex nominibus earum cognoſcendæ ſunt. Videntur ſiquidem omnia illa nomina ut ſerviant ſcenæ

næ excogitata, præcipue quum ſatyrica & ſcommatica ſcripta, larvas illas ament vocabulorum eruditas; quare græcanico præſtans etymo ſatyricon Petronii, illa præfert, *Encolpius*, *Aſcyltos*, *Giton*, *Pſyche*, *Panychis*, *Tryphæna &c.* quæ propria eorum exprimunt officia, munera, actiones, qualitates. Sic Ariſtophanes pro vocibus diverſarum avium mulieres furentes & clamitantes inducens, diverſarum æque alitum illis nomina impoſuit. Irriſurus itaque Lucianæus ſcriptor totum catechumenatus, baptiſmi, conventuſque fidelium apparatum, TRIEPHON ipſi ille eſt, quem facit Catechiſten, nempe a τρίαδα ἱφῶν, quod Critiam, poſt prima religionis rudimenta, myſterium Trinitatis, aut ter ipſi mergitandum in Baptiſmo doceat, aut quod ternarium amaverint numerum in precibus veteres Chriſtiani, ut omnibus ſatis notum. Catechumenum vocat CRITIAM, ceu de rebus, quas ipſum docuerat, jam valentem judicare, eos reſpiciens, quos noſtri *Electos*, & *Competentes* appellabant. Cœtus Præſidem expreſſiore quam CRATONIS, ac INSPECTORIS nomine non poterat ſignificare, cui æque afferit miniſterium verbi. Nomina CHARICENUS, & CLEVOCHARMUS, eſto quonam tenderent non viderit, optime mihi interpretatus videtur Geſnerus, adeo ut, Auctor dialogi priorem uſurpaverit vocem alicui denotando, qui κενὰς χάριτας *vanas gratias* polliceretur; poſteriorem illi exprimendo, cui *nugax*, *& illuſorium foret gaudium*. QUI EX MONTIBUS ADVENIT, παραγενόμενος ἐξ ὀρέων, aliquis e *Montaniſtarum*

grege

grege nobis eſt, qui hanc ornat fabulam.

Ut ipſa vero clare pateat, exponere opportunum ducimus, quomodò ſacrum ad lavacrum olim Catechumeni accederent, quidque pro illarum ſtatu rerum eveniret; ea quippe ſolum ratione irriſoris obſcuriſſima & arcaniora verba ſatis poſſe intelligi arbitramur. Juſtini Martyris in apologia II. nota illa ſunt: *Quicumque perſuaſi fuerint, & crediderint vera eſſe quæ a nobis traduntur, dicunturque, ac vivere ita ſe poſſe receperint, orare JEJUNANTES, & petere a Deo primum remiſſionem peccatorum docentur, nobiſcum illis una & orantibus, & jejunantibus.* Tertullianus libro de Baptiſmo capite 20. *Ingreſſuros Baptiſmum orationibus crebris, JEJUNIIS, & geniculationibus, & PERVIGILIIS orare oportet, cum confeſſione omnium retro delictorum.* Et libro de corona militis capite 3. *Ut a Baptiſmate ingrediar, aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius, in Eccleſia, SUB ANTISTITIS MANU, conteſtamur, nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius.* Origenes libro II. contra Celſum: *Chriſtiani, quantum poſſunt, præexaminant animos audire ſe cupientium, ac primo privatim informatos, priuſquam in cœtum recipiantur, ubi videntur eo profeciſſe, ut honeſtæ vitæ ſint cupidi, tum demum introducunt diſtinctis ordinibus: altero recens admiſſorum, necdum aſſequutorum luſtrationis ſymbolum; altero eorum QUI IN PUBLICUM ſiſtunt propoſitum ſuum, nihil aliud, niſi cum Chriſtianis velle ſe ſentire. Nonnulli porro PRÆPOSITI ſunt, qui in vitam & mores eorum, qui* ad-

admittuntur, inquirant &c. Concilium Laodicenum canone 46. *Oportet eos, qui illuminantur, fidem diſcere, & EPISCOPO renuntiare, vel Presbyteris.* Verum nemo expreſſius totum eum deſcripſit ritum Dionyſio, ut dicitur, Areopagita, ſive Auctore operis de Eccleſiaſtica Hierarchia capite 2. ubi habet; *Quiſquis autem horum munerum vere ſupernaturalium ſancte particeps eſſe cupit, accedens quempiam ſacris initiatum, flagitat ab eo ad ſacrorum PRÆSIDEM manuduci, nec non cunctis ſanctionibus obſequi pollicetur. Ille ipſum ſuſcipiens ducit ad SUMMUM SACERDOTEM, QUI CUM LÆTITIA*, μετ' εὐφροσύνης, *non ſecus atque humeris ovem, duos illos viros excipit.* εἶτα πᾶσαν ἱερὰν διακόσμησιν, *deinde OMNEM SACRUM ORDINEM, cum ut hominis ſaluti cooperetur, atque CONGAUDEANT, tum ut divinæ bonitatis gratias agant, in ſacrum cogens locum, ad virum, qui præſens eſt, accedit, & quid petitum venerit, ſciſcitatur. Tum ipſe, juxta inſtructionem fideiuſſoris, infidelitatem priſtinam, verique boni ignorationem deteſtantem præmonet, integre illi ad Deum accedendum eſſe: interrogatoque num ex norma divinæ legis victurus eſſet, aſſentienti manum capiti imponit, & CONSIGNANS EUM SACERDOTIBUS, mandat ut virum, ſuſceptoremque deſcribant.* Joſeph Vicecomes in obſervationibus Eccleſiaſticis de antiquis Baptiſmi ritibus & cæremoniis, libro IV. capite 16. inquiebat: *Præ inſita veteribus Chriſtianis charitate, Baptizandorum ſtudium oratione, jejuniis, aliiſqae Chriſtianæ pietatis exercitationibus, fovendi gratia,*

OM-

OMNIS PENE MULTITUDO in Eccleſiam confluebat; quod ex Cyrilli Hieroſolymitani Catecheſi II. myſtagogica, atque ex Amphilochio in vita Baſilii confirmat. Libro autem V. cap. 48. veteres fideles, dum aliquis ſacro regenerationis lavacro perfunderetur, maxima dediſſe publico in cœtu lætitiæ ſigna ex Tertulliano oſtendit, Lactantio, Ambroſio, Auguſtino, Paullino Nolano, Gregorio Turonenſi &c. Ac demum libri V. capp. 51. 53. PERNOCTATIONES deſcribit, quas baptizati vetuſtiſſimi agebant, moremque, quo iidem apud Miniſtros Baptiſmatis manebant aliquamdiu. Eiuſmodi vero omnes ritus, & mores, & cæremonias, talemque diſciplinam, atque illam tot rerum complexionem, quamvis per riſum & ambages, Auctorem tamen dialogi accuratiſſime ſimulaviſſe, ſtatim quiſque intelliget.

Siquidem, poſtquam Catechiſta Triephon Critiam Catechumenum elementa & myſteria fidei ſatis edocuerit, aliquis inducitur ante Cratonem, ſcilicet cœtus Præſidem, comparens, Charicenus nomine, qui vanas nempe gratias promittebat, veluti Suſceptoris agens munus; (nam Suſceptores duplicis erant generis; alii Catechiſmi, alii Baptiſmatis, ut oſtendit laudatus Vicecomes lib. I. de antiquis ritibus Baptiſmi capite 35.) ac de Proſelyto ſuo dicens: *Hic, quemadmodum ante dicebam, Peræquatorum indulgebit omiſſa, debitaque reddet Creditoribus, privataſque impenſas, æque ac publicas ſolvet; recipiet etiam vanos futuri conjectores, non æſtimans illos ex arte &c.* Nonne heic initiandus ſub Antiſtitis manu, & aliquanto priuſ-

O quam

quam initietur, conteſtatur ei publice vota ſua, ſeque a priſtina infidelitate, & mala vivendi forma recedentem, victurum impoſterum ſecundum leges Chriſtiani nominis promittit? Sane auferto larvam & ironiam, proteſtationem a fideiuſſore illam fieri intelliges. Spondet hic futurum, ut ille qui mox erat initiandus, editurus ſit opera beneficio initiationis digna, & hoſpitalitatis officia non erga noſtros modo, verum etiam erga ethnicos ac extraneos ſit præſtiturus; ita ſiquidem intelligenda veniunt textus verba: τὰς εἰραμάγγας δέξεται, μὴ ἐξετάζων τὰς τέχνας, quæ quantam interpretibus crucem fixerint, patet ex poſtrema quamvis locupletiſſima Luciani editione, ubi tamen nil certi & idonei ſtatuitur. Mycillus latina in verſione græcum nomen εἰραμάγγας retinuit. Propius acceſſit Ablancourtius, ſed id, de quo agebatur, neque ſuſpicatus eſt; quum revera Chriſtianorum omnino proprium fuerit eiuſmodi hoſpitalitatis genus, quemadmodum ex teſtimonio Juliani τῷ παραβάτῃ intelligemus, ut non tantum ſuos, verum & cuiuſcumque ſectæ homines, tamquam fratres, ab eodemque rerum omnium Domino conditos, tum quum opus eſſet, alerent ac juvarent. Eos inter, novi Proſelyti cauſſa, lætitia geſtientes, aderat is, cuius nugax & illuſorium dicitur ab irriſore gaudium, nempe Chlevocharmus; *lacinia, quam caries conſumpſerat, indutus, excalceatus præterea, & aperto capite, dentibus ſimul concrepans, ita interloquutus: oſtendit mihi male veſtitus aliquis, e montibus huc adveniens, comam detonſus, inſculptum in*

thea-

theatro literis hieroglyphicis illius nomen; hunc auro viam inundaturum. Perplexum hunc locum aſſequi nemo ſane poterit ex huiuſmodi interpretatione Mycilli, neque clarius habes aliquid in poſtrema Reitziana editione. Aliquid effulget luminis in gallica Ablancourtii, interque ludibria & ambages ſe ſe irriſoris ſcopus prodit ac mens, durum atque horridum reſpicientis vivendi genus Montaniſtarum, qui, ubi de macerationibus corporis ac jejuniis agebatur, choreas agebant: itaque Montaniſta inducitur, vix præ gaudio ſe ſe continens, alios in illo choro cernens morte lividiores magis, excalceatos alios ac trementes, qui ſcilicet cum initiando jejunaverant: *Nobiſcum illis una jejunantibus*, inquiebat, ut mox vidimus, Juſtinus Martyr; *crebriſque jejuniis & pervigiliis*, Tertallianus: quæ non poterant non eſſe Montaniſtæ jucundiſſima. Dicitur demum initiandi *nomen literis inſculpendum hieroglyphicis*, tum quia, ut notum eſt, atque Auctor libri de Eccleſiaſtica hierarchia, initiatorum deſcribi nomina ſolerent; tum quod initiati dicerentur a Chriſtianis in *libro vitæ* jam inſcripti.

Sed jam in ſynaxeos locum aſcendamus, *Hæc poſtquam audirem*, inquit Critias, *unus illorum perſuadet mihi infelici ut ad præſtigiatores iſtos homines accederem; dicebat enim, ſe omnia ex ipſis, quæ ad ſacra & arcana pertinent, edoctum eſſe. Atque ita pertranſivimus ferreaſque portas, & ærea limina. MULTIS AUTEM SUPERATIS SCALIS IN DOMUM aſcendimus aurato faſtigio, & laquearibus aureis inſignem, qualem Homerus fuiſſe*

 ait

ad domum Menelai; omniaque, quæ ſe ſe objiciebant, ipſe haud minus, quam Telemachus contemplabar: video autem non Helenam mehercule, ſed viros in faciem inclinatos ac pallescentes. Illi autem, ubi me conſpexere, GAVISI SUNT; dicebant autem:

Quiſnam hominum, aut unde es, quæ patria, quive parentes
Sunt tibi?

Nam Chreſtus quidem eſſe appares, utique ex habitu. Χρηστὸς γὰρ ἂν εἴης, ἀπό γε τοῦ σχήματος. En igitur Chriſtianos privatam in domum, sacrorum cauſſa, convenientes, celebranteſque cœtum in ſolario aliquo, vel in aula, aut loco ad eorum conventum deſtinato. Quam belle SACRUM ORDINEM, ad quem ducebatur initiatus, & heic gaudium repræſentat Chriſtianorum Lucianæus ſcriptor, eoſque Proſelytum interrogantes quiſnam ipſe foret, quum jam initiatus & Chreſtus evaſiſſet! ita quippe appellabantur initiati, Clemente Alexandrino teſte, libro Stromatum II. ubi habet: *Qui in Chriſtum crediderunt, CHRESTI & ſunt, & dicuntur.* αὐτίκα οἱ εἰς τὸν Χριστὸν πεπιστευκότες, Χρηστοί τε εἰσὶ καὶ λέγονται. Cyrillus autem Hieroſolymitanus Catecheſim Myſtagogicam III. ita auſpicatur: *In Chriſtum baptizati, & Chriſtum induti, & participes Chriſti effecti, CHRISTI non immerito appellamini, deque vobis dixit Deus: nolite tangere CHRISTOS meos.* Χριστοὶ εἰκότως καλεῖσθε. καὶ περὶ ὑμῶν ἔλεγεν ὁ Θεός, μὴ ἅπτεσθε τῶν

Χριστῶν

Χειρῶν μιᾷ. Fideles vero illo in Cœnaculo inventi de cœleſtibus agunt viſionibus, quibus gaudebant, deque cantibus, jejuniis &c. Quod heic in rem noſtram facit, eſt, MULTITUDINEM ADMODUM MAGNAM fuiſſe Chriſtianorum, dum adhuc privatis in domibus ſynaxes celebrare cogebantur. Quippe ſi dialogi Auctor in ceteris nihil a rerum habitu, quæ tunc peragebantur, recedit, cur in ſola copia & quantitate maxima fidelium a veri imagine exprimenda receſſiſſet?

Nec ignoramus vero varias de Scriptore dialogi, eiuſque ætate ſententias, quas Johannes Albertus Fabricius recenſet capite 8. Lucis ſalutaris Evangelicæ. Elaboratam diſſertationem ea de re concinnavit Geſnerus, in qua non a Samoſatenſi Luciano ſcriptum fuiſſe dialogum contendit, ſed a quodam potius Luciano Sophiſta, tempore Juliani Cæſaris, ad primum nuncium victoriæ ipſius Perſicæ; quod ut conficiat, nonnullis utitur animadverſionibus, quæ tamen ignoro, an cum præſcriptione veluti contendere valeant, & cum tot doctiſſimorum virorum opinione, qui animadvertentes argumentum dialogi cum ingenio & dicacitate Luciani convenire, irriſoſque in eo æque Gentilium Deos, & noſtram Religionem, quam ſæpe alias ita inceſſere videtur, elucubrationem propterea Luciano aſſerunt Samoſatenſi. Taceo ipſum adludere ad antelucanos Chriſtianorum cœtus, & prophetias, viſioneſque eorum præſertim irridere, chariſmata primitivæ Eccleſiæ, ut ita dixerim, characteriſtica; nec obiecerim Triephonis, Catechiſtæ,

de Trinitate loquentis verba: σίγα τὰ νέρθε, καὶ τὰ σιγῆς ἄξια, quæ, ut in hunc locum adnotat Solanus, formula erant primorum fidelium propria, eo tempore uſurpata, quo nondum ſe ſe effuderant quæſtiones de eiuſmodi myſterio. Alia eiuſdem roboris omitto. Quis ſibi perſuadere tamen valeat, noſtros, ætate Juliani Cæſaris, ſuas adhuc habuiſſe in Cœnaculis privatarum ædium ſynaxes? quamvis enim textu κατὰ λέξιν verſo locus ſynaxeos Chriſtianorum in dialogo deſcriptus; laquearibus aureis inſignis fuiſſe referatur, collatusque ſit cum domo Menelai ab Homero memorata; ſerio tamen factam, serioque accipiendam narrationem hanc, negat Solanus in adnotationibus ad hunc locum, quo cum facit Bohmerus in diſſertatione II. juris Eccleſiaſtici antiqui, in qua de antelucanis agit Chriſtianorum cœtibus, ubi minus cautos eos dixit, qui Lucianæi Scriptoris ſenſum ex verbis, prout jacent, hauriri poſſe ſibi perſuadent; nam, inquit, quum hoc præſertim dialogo ironice loquutus fuerit Lucianus, ita intelligendus eſt, ut aliud ſcripſerit, quam ſenſerit; idque aſſequutum egregie ait Ablancourtium, gallica ſcribentem in verſione: *Plurimas per ſcalas in gyrum circumacti, in domum aſcendimus, non aurato quidem faſtigio inſignem, qualem Homerus fuiſſe fingit domum Menelai, ſed rude magis & ſubſolanum in Cœnaculum*: quo tamen vertendi genere commentatorem egit magis Ablancourtius, quam interpretem: in eo quippe ſita eſſe ſolet ironia; ut ea, quæ omni carent pulchritudine, dicantur

tur venuſtiſſima. Loca, in quibus ætate Samoſatenſis Luciani ſacros habebant cœtus Chriſtiani, omni ornatu caruiſſe, veriſimile efficit Canon 36. Concilii Illiberitani, ubi illa: *Placuit picturas in Eccleſiis eſſe non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* Ut enim egregie Baldaſſar de Baſtero, olim Epiſcopus Gerundenſis, in epiſtola ad Trevultianos, quæ capite refertur XLVII. anni MDCCL., quum templa in Hiſpaniis nondum Chriſtiani haberent, placuit, ut domus, aulæ, cœnacula, & loca, quæ Eccleſiæ illius adhuc erant regionis atque temporis, picturis carerent, quibus ædes ornare ſuas ethnici conſueverant, ne in ſanctæ orationis loco ea caſu quodam reperirentur coloribus expreſſa, quæ ſoliti erant Gentiles adorare. Ut jocaretur igitur Lucianus, cui notum erat, Credentes omne ornamentorum genus, e locis, in quæ religionis cauſſa conveniebant, auferre ac eripere ſolere; ut, inquam, magis jocaretur, cum domo Menelai, tot ornamentis, ac laquearibus aureis inſigni, ædem contulit ſynaxeos Chriſtianorum: quæ ſane collatio, εἰρωνικῶς ſi, ut par eſt, accipitur, oppoſitus inde eruitur ſenſus, & locus habetur conventus Chriſtianorum, ætati Samoſatenſis Luciani accommodatus.

Sed etiamſi aureis inſignem laquearibus fingere Auctor locum voluiſſet, num propterea ſubſolanum minus cœnaculum, aut ſolarium, aut privata non fuiſſet aula ſacro fidelium uſui conſecrata? nil profecto minus; ſiquidem Guilielmus Beveregius in Codice Canonum primitivæ Eccle-

 ſiæ

ſiæ illuſtrato, libro II. capite 8. lampadum & cereorum in conventibus Chriſtianis mentionem monet factam ab Apoſtolica ætate, & ab antiquiſſimis Scriptoribus: frequenteſque lampades comparent in exactis magis ſchematibus ſynagogarum, in quibus prædicabant Apoſtoli, aut miracula patrabant, juxta quod pretioſioribus in Bibliis cernere ſolemus. Vidi ipſemet non ſemel Mantuæ, ac Ferrariæ, Judæorum ſynagogas, feſtis quibuſdam diebus, quibus acceſſus nemini negatur, vidi, inquam, aulas illas, ad quas in gyrum circumactus aſcenderam per ſcalas, laquearibus argenteis, ac pretioſiſſimis aulæis, pateris, ac vaſibus ornatas, dum ipſi palleſcentes interim ſederent, legemque taciti meditarentur, aut alia agerent ad eorum ritus pertinentia: proindeque ſive irriſoris verba accipiamus prout jacent; ſive ſecus; ſive ornatum ponamus locum, in quem convenerant Chriſtiani, ſive nullo ornamento præditum; quum cœnaculum tamen fuerit in privatæ alicuius domus faſtigio conſtratum, ſequatur neceſſe eſt, Auctorem dialogi ad mores Chriſtianorum alluſiſſe, ætate Juliani Cæſaris anteriores.

Sed alia ſe ſe offert in rem noſtram animadverſio, quæ ſuam contra Geſnerum vim, ſuumque ab ipſius cogitatis ac verbis fundamentum ſumit. Scribit ille ſiquidem numero 36. diſſertationis allegatæ: *Sub Conſtantini magni imperio alte caput ſuum res Chriſtiana extulerat. Propenſa, quin profuſa Imperatoris in Epiſcopos voluntas, atque benevolentia, tantum eis cum auctoritate*

con-

conciliaverat ſupercilium, ut jam tum iniquitatis myſterium operari occulte in quibuſdam occiperet. Luxuriari itaque jam, & inſolentius ferri cœperant animi, &c. Num rogo talem habitum iis, quos irridet, Chriſtianis tribuit Lucianæus Scriptor? quodnam hominum genus ſcenæ argumentum exhibentur? homines certe ob vigilias & jejunia palleſcentes, homines ſe ſe privatam in domum ita recipientes, ut in aures inſuſſurrarent invicem, & labia auribus hærerent, nulla alia de re, quam de viſionibus ac prophetiis gloriati. Eiuſmodi ſane in mores rerumque habitum ac ſtatum, ironiam & ſatyram non ſcripſiſſet, ethnicus, qui Juliani ætate in noſtros calamum ſcripſiſſet, aut diverſo uſus dicteriorum ac ſatyræ genere fuiſſet in Chriſtianos, vitiis, quæ jam ætate Conſtantini ipſis afferit Geſnerus, laborantes.

Ne quis tamen in animum inducat, eas eſſe eiuſmodi hominis conjectationes, ut dialogum Samoſatenſi Luciano, aut ſaltem Scriptori antiquiſſimo ſecundi ſeculi, eripiant, nonnullas in medium proferemus, quibus ipſe magis fidit. Animadvertit igitur, Cratonem illum, quem Chriſtianarum veluti partium Principem, ac Rectorem cœtus, Auctor dialogi inducit, Κρίτωνα τὸν πολιτικὸν, ἐξισωτὴν ab ipſo appellari, indeque infert, ſatyram ad Juliani tempus retrahendam; tum quod ideo Craton πολιτικὸς vocetur, ut Conſtantinopolitana in urbe perſonæ loquentes inducantur, quum ἀντονομαστικῶς, poſt Conſtantini ætatem, Byzantium πόλις, & ipſius incolæ, πολιτικοὶ appellarentur; tum etiam quod vox ἐξισωτὰι Conſtan-

ſtantinianis in legibus primum compareat, ſive in vita Conſtantini libro IV. capite 3. nec ante Cæſarem illum reperiantur *Peræquatores*, qui cenſum æquarent; quod in cauſſa eſſe ſubdit, cur Lexicographi communiter hanc vocem, quemadmodum alteram πολιτικός, in quantum ἐξισωτὴν ſignificat, omittant, eas ad Gloſſaria lapſæ græcitatis relegantes.

Ipſe tamen miror, virum apprime in humanioribus literis verſatum, tam levibus actum fuiſſe conjecturis ad dialogum Luciano, aut Scriptori ſecundi ſeculi, eripiendum. Quamvis enim fatear, Conſtantinopolim aliquando κατ' ἐξοχὴν, ac per contractionem, πόλιν appellatam, unde & *politici verſus*, ii, qui Conſtantinopoli per compita vulgo canebantur, & mulieres ἑταῖραι, *politicæ* a Græcis appellatæ, ut apud Lambecium olim me legiſſe memini: quis attamen ignorat, hæc recentioribus eſſe Græcis aſſerenda, referendaque ad poſterius tempus, quo jamdiu Imperii ſedes erat Conſtantinopolis, numquam vero ad ætatem Juliam? Quod autem vox ἐξισωτὴς primum in Conſtantini vita compareat, infirmum nimis eſt, ut de maiori ipſius antiquitate dubitemus argumentum; quum reliqua in præſens non ſint univerſa vetuſtioris ætatis monumenta. Nonne & de *Galilæorum* nomine, quo Chriſtianos olim ethnici dehoneſtabant, idem ſtatuit Geſnerus, ac de voce ἐξισωτὴς, ut dialogum Samoſatenſi Luciano abiudicaret? Attamen Cl. Mamachius libro originum & antiquitatum Chriſtianarum I., cap. II. §. 24. adverſus Geſnerum ipſum

ſum tutis teſtimoniis oſtendit, nomen illud in noſtros injectum vel Hadriani tempore fuiſſe, ac initio ſecundi æræ Chriſtianæ ſeculi; quo tempore Arianus Nicomedienſis floruit, ac ex quo Lucianus veriſimilius illud traxit. Quotuſquiſque vero eſt, qui a ſe impetrare valeat, ut credat Peræquatorum munus fuiſſe a Conſtantino inſtitutum, ſubque prioribus Cæſaribus, immo & Reipublicæ tempore, nullos fuiſſe, qui quantitatem, ſive modum cenſus æquarent, ut æquabilitas ſervaretur inter tributarios, aut aliquibus, in æquando cenſu, indulgerent! Miror Geſnerum mentem non intendiſſe in modum dicendi Euſebii libro IV. capite 3. de vita Conſtantini, quo primum loco, & prima vice, de Peræquatoribus dictum arbitratur, atque objicit. Non enim ait Euſebius, eiuſmodi munus, atque hominum genus, tum primum ab Imperatore inductum, ſed ita ſcribit; *Quum nonnulli terræ deſcriptiones & jugationes A SUPERIORIBUS PRINCIPIBUS FACTAS reprehenderent, agroſque ſuos nimium oppreſſos eſſe quererentur, hic etiam Princeps juſtitiæ legibus obtemperans, Peræquatores MITTEBAT*, ἐξισωτὰς κατέπεμπε, *qui a ſupplicantibus damnum repellerent.* Itaque Peræquatores non inſtituit tunc Conſtantinus, ſed iis uſus eſt ad jugationes ac deſcriptiones terrarum corrigendas SUPERIORIBUS SUB PRINCIPIBUS, ideoque a ſuperiorum Peræquatoribus temporum jam factas, qui græco nomine ἐξισωταὶ appellari quoque debuerunt. Valeſius ita ad laudatum Euſebii locum: Latini ἐξισωτὰς vocant Peræquatores,

tores, de quibus mentio ſit in libro XIV. Codicis Theodoſiani, titulo de cenſitoribus, peræquatoribus, & inſpectoribus. Fere autem ex Senatu ad id munus eligebantur a Principe, qui in Provinciis, quæ ſe tributorum mole oppreſſas querebantur, cenſum peræquarent. Vetus inſcriptio apud Gruterum pag. 361.

L. ARADIO VAL. PROCVLO V. C.
PRAETORI TVTELARI
LEGATO PRO PRAETORE PROV.
NVMIDIAE
PERAEQVATORI CENSVS PROV.
GALLEGIAE.

Petrus Zornius in Bibliotheca Antiquario-Exegetica, tomo I. pag. 49. hunc ex Sponio adfert lapidem:

JOVI. O. M.
CETERISQ. DIIS.
DEABVSQ. IMMORT.
TIB. CL. DEMETRIVS.
DOM. NICOMED.
V. E. PROC. AVGG. NN.
ITEM. CC. EPISCEPSEOS.
CHORAE. INFERIORIS.

Ad

Ad quæ, ita loco allegato laudatus Zornius: *Quum ἐπίσκεψις inſpectionem ſonet, Inſpectores inde nominatos eſſe ſuſpicamur, eoſdemque fortaſſis Cenſitores, PERÆQUATORES dictos, quod prædiis inſpectis, & adæquatis invicem, ea ſublevarent, quibus eſſet gravius adſcriptum onus: quæ cenſita levius, gravarent: heinc ἐπόπται, & ἐξισωταὶ tales Inſpectores dicti, & ab ἐπισκέψει forte Epiſcopi.* Laudandus propterea Mycillus, quod ἐξισωτὴν in dialogo *Inſpectorem* verterit; præſertim quum Suidas, & Heſychius tale nomen per ἐπόπτην ſimpliciter explicent; & dialogi Auctor haud alium ſignificare voluerit, quam primas in illo Chriſtianorum cœtu habentem partes, qui adnotante Svicero, ad V. Ἐπισκοπὸς, Epoptes recte appellabatur.

Sed cur erraverit magis Geſnerus, intelligere pervium eſt. Scilicet perſonas, & perſonarum nomina, de quibus agimus, ex hiſtoriæ potius, quam ex legibus ſatyræ, atque ex auctoris habitu & ſcopo derivanda eſſe exiſtimavit; quum animadvertere tamen debuiſſet, apud dialogi Scriptorem uti factitia ſunt nomina CHLEVOCHARMUS, CHARICENUS, TRIEPHON, & CRITIAS, ita etiam cetera CRATONIS, POLITICI, ET PERÆQUATORIS. Quum enim σπουδογέλοιος maxime ſit in Philopatride Lucianus, quo ironiam auctius urgeret, oppoſitum eo dixit, quo intelligi volebat, & honorificentiſſima iis nomina tribuit, quos maiore ludibrio habere cupiebat, deſpectoſque. Heinc quemadmodum Synaxeos Chriſtianorum locum, veriſimili-

ter

ter omni ornamento vacuum, aureis laquearibus illuſtrem prædicavit, ita Chriſtiani Præſidem conventus, Cratonem appellavit, Politicum, ac Peræquatorem, quod oppoſitis eum incommodis premi arbitraretur. Quum igitur ætate illa nondum κρατοῦντες eſſent Chriſtiani, neque imperare Præſules noſtri viderentur poſſe, Præfectum cœtus per ironiam *Cratonem* nominavit; & quum noſtri, ut ex Tertulliano vidimus, ab ethnicis *infructuoſi in negotiis* crederentur, Reipublicæ omnino imperiti, nullamque publici boni & civilis ſtatus curam, ſtudium, aut ſollicitudinem habere, ideo per ironiam πολιτικὸν ipſum appellavit, qua voce in prope omnibus ſuis ad Atticum epiſtolis uſus eſt Tullius, ad publicæ ſtudium rei, & ad hominem de Republica ſollicitum, utilemque civitati denotandum; ironice etiam aliquando, ut hoc in dialogo Lucianus; quum enim Antonius impenſe leonibus delectaretur, adeo ut poſt pharſalicam Cæſaris victoriam, jugo primus eos ſubderet, ad currumque ac rhedam jungeret, ut referunt Plinius lib. VIII. cap. 16, & Plutarchus in vita; hoc autem Atticus putaviſſet eſſe argumentum feri & crudelis animi, quare illum valde pertimeſceret; heinc eiuſmodi timorem Cicero jubens Atticum ponere, ita ad eum epiſtola 13. libri X. ſcribebat: *Tu, Antoni, leones pertimeſcas cave. Nihil eſt illo homine jucundius. Attende* πρᾶξιν πολιτικήν. *Evocavit literis e municipio denos: & quatuor viri venerunt ad eius villam. Primum dormit ad horam tertiam; deinde cum eſſet nunciatum veniſſe Neapoli-*

 poli-

politanos, & Cumanos, poſtridie redire juſſit. Lavari ſe velle, & περὶ κοιλιολυσίαν γίνεσθαι. Ut igitur Tullius Antonium nihil præter voluptuariam jucundamque vitam agitare ſolitum, εἰρωνικῶς, πολιτικὸν vocavit, & ludicra feſtivaque eius acta, πρᾶξιν πολιτικοῦ factum cive dignum duxit, ac Rempublicam adminiſtrante; ita Lucianus Chriſtiani Præſidem conventus, infructuoſum, ut arbitrabatur, ac civilis ſtatus, humanarumque rerum nullam habentem curam, πολιτικοῦ nomine ironice illuſit. Ironiam ſane ſi auferas a dialogo, partem pauciſſimam intelliges. Sic Cratoni illi aſſerens Lucianus miniſterium verbi, docendique munus ea quæ futura erant, eorum exitum menſe MESORI ſubdit eventurum, nempe numquam; quippe, quemadmodum nos dicimus aliquid futurum *Kalendis Græcis*, ut ſignificemus, illud numquam futurum, quia nullæ ſunt Græcis Kalendæ; ita, quia Græcis nullus erat menſis *Meſori*, ſed Ægyptiis modo, & Syris; propterea illas Chriſtianorum prophetias impletum iri apud Græcos dicebat hic irriſor, menſe inter illos numquam uſurpato.

De peræquatoribus addam modo, diligentiſſimum formularum forenſium, & veteris obſervatorem juris, Terullianum, nil frequentius in ſcriptis habuiſſe ſuis voce peræquationis; quare illa: *Peræquare debet fides, . . . peræquare gratiam, ... nunc peræquat, nunc privat, . . . quum ad peræquationem diſciplinæ Sacerdotalis provocamur, ... ſimilitudinum peræquatio, ... peræquatio exemplorum &c.* Certum ni fallimur indicium, foren-

forenſia inter munera, celebre jam fuiſſe illud Peræquatoris: quod immo nomen aptiſſime Epiſcopali muneri, atque etiam ſerio poterat accommodari. Quid enim Cyprianus in epiſtola, editionis Pamelii LXVII. ad Stephanum Romanum Pontificem? Iſtud ſane: *Cui rei noſtrum eſt conſulere, & ſubvenire, frater cariſſime, qui divinam clementiam cogitantes, ET GUBERNANDÆ ECCLESIÆ LIBRAM TENENTES, ſic cenſuram vigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen lapſis erigendis, & curandis vulneratis, bonitatis & miſericordiæ divinæ medicinam non denegemus.* Quare ſuſpicemur, Lucianæum Scriptorem ſignificare voluiſſe, apud Chriſtianos, quos irridet, Epiſcopos, ac Presbyteros, agere Peræquatorum munus ſolitos fuiſſe, propterea quod lapſorum pœnitentiam peræquarent cum peccati gravitate, aut peræquationem præmii cum meritis & gratia prædicarent. Verum non tuta ſemper ex nominibus, quæ pro arbitrio, & ad libidinem, alicui dantur nomina, deduci poſſunt argumenta. Exſtat adhuc oratio nona Gregorii Nazianzeni *in Julianum Peræquatorem*, εἰς ἐξισωτὴν Ἰουλιανόν, neque tamen arbitror quemquam proinde certum quid, aut novum, ſive de Imperatore illo, ſive de Nazianzeno Præſule poſſe conſtituere.

Ceterum, etiamſi qui huius epocham dialogi in examen revocavere, Lucianæo ex ſtylo, exque vocibus huius vel illius ævi propriis, quemadmodum ex ſtatu Imperii, exque Cæſarum victoriis, differendum ſibi eſſe conſtituerint; ipſe magis tamen ex intimioribus ac μυστικωτέροις auſpi-
candum

candum arbitrarer, ad interiorem ſcilicet Chriſtianorum, quos Auctor dialogi irridebat, ſtatum & diſciplinam, animadvertendum ducerem. Jam vero, media in ſcena comparere diximus MONTANISTAM, qui cum orthodoxis facit. Contingebat id profecto ætate Samoſatenſis Luciani, quem Juſtini Martyris, & Athenagoræ floruiſſe tempore nemo dubitaverit; proindeque prima Montaniſmi, ut a doctis ponitur, periodo, ac ætate, qua ſchiſma nondum conflaverant, & communionem cum noſtris oſtentabant. Porro, ut ex Euſebio oſtendit Cardinalis Orſius in diſſertatione de orthodoxia Ss. Perpetuæ, ac Felicitatis martyrum adverſus Baſnagium, qui eas, ob ſpeciales viſiones, Montaniſmi imperite poſtulabat, cauſſa cur principio repudiati non fuere Montaniſtæ, ea fuit, quod quum adhuc in Catholica Eccleſia divinæ gratiæ chariſmata adfluerent, congruum idcirco videbatur, eos quoque, immo magis, qui auſterum adeo vivendi genus conſectabantur, cœleſtibus chariſmatibus abundare. Ad eas igitur tam frequentes Catholica in Eccleſia, & oſtentatas a Montaniſtis magis propheticas viſiones reſpiciebat Auctor Philopatridos, jam explicatis ac laudatis verbis addens: *Video autem viros in faciem inclinatos, & palleſcentes, qui ubi me inſpexere gaviſi ſunt, interrogaveruntque, num quod triſte nuncium afferemus?* ὡς εἴ τινα λυγρὰν ἀγγελίαν ἀγάγοιμεν; *nam videbantur iſti quam peſſima optare, gaudebantque triſtibus, ac malis, perinde atque in theatro furiæ. Ut autem ſublimes illi, & in aere gradientes in-*

 ter-

terrogabant, quonam pacto ſe res civitatis, & mundus adeo totus haberet? reſpondens ego, bene, inquam, habent, & inſuper etiam habebunt. Illi, abnuentes ſuperciliis, haud ita, inquiunt; male enim parturit civitas. Tum ego ſecundum ipſorum mentem: vos, inquam, ſupra terram, & in ſublime ſublati, & ceu ex alto cuncta intuentes, acutiſſime & hæc aſſequuti eſtis ſcilicet. Sed quonam pacto ea, quæ in æthere ſunt, habent ſe ſe? num deficiet ſol, & ad perpendiculum luna interponetur? num Mars quadrangulo aſpectu ſolem aſpiciet, & Saturnus ex diametro eumdem? num Venus cum Mercurio congredietur, & Hermaphroditos procreabunt, quibus vos delectamini? ἡ Ἀφροδίτη εἰ μετὰ τοῦ Ἑρμοῦ συνοδεύσει, καὶ Ἑρμαφροδίτους ἀποκυήσουσιν, ἐφ' οἷς ὑμεῖς ἥδεσθε; quæ ominari eos potuiſſe ſubdit, dono, ut inquiebant, prophetiæ, & cœleſtium viſionum, μαντείας, καὶ γοητείας ὑμᾶς περιέπουσαν; præſtigiarum ſiquidem, ac magicarum artium noſtri ab ethnicis illorum chariſmatum cauſſa poſtulabantur, ut oſtendit Mamachius libro I. originum, & antiquitatum Chriſtianarum capp. 2. & 3.

Quamvis tamen præclariſſimo in opere ſummus hic Vir de calumniis agens, deque nominibus contumelioſis, quibus ethnici, Judæi, ac hæretici, noſtros confectari ſoliti erant, veſtigia ſe ſequutum proteſtatus fuerit Mellini, Cavæi, Bebelii, Schultii, Kortholti, &c. eorumque labores, ut mihi quidem videtur, ipſe longe ſuperaverit, dictum nil tamen video de mox producta calumnia, & contumelia, deque cauſſa, ob quam dicti fuerint Chriſtiani a Luciano *hermaphro-*

maphroditis delectati; quam tamen explicare pervium reor ex dialogi ipſius ſerie, ac ſcopo Luciani, Mathematicos ibi una, & Chriſtianos irridentis. Illi quippe, pro phyſiologia Chaldæorum, ut inquiebat Tullius libro de divinatione II. ſecundum triangula & quadrata ſyderum, pueros orientes animari formarique conſtituebant; quos propterea, non ut Tullius ipſe, & Sextus Empiricus, libro adverſus Mathematicos, ſerio refellendos, ſed de more irridendos cenſens Lucianus, quæſtiones illas de ſole deficiente movit, deque luna ad perpendiculum interpoſita, de Marte quadrangulo aſpectu ſolem aſpiciente &c. & quia, pro eorumdem opinione Chaldæorum, ut Johannes Jovianus Pontanus adnotat, libro X. de rebus cœleſtibus cap. 5. Hermaphroditæ ex congreſſu Mercurii cum Venere procreari dicebantur, heinc Lucianus ad Chriſtianos mentem & animum convertens, ludenſque, quod & ipſi cœleſtibus viſionibus ſe frui gloriarentur, ab eiſdem poſtulabat, num Venus cum Mercurio congreſſura foret, & procreatura dilectos ſectæ noſtræ Hermaphroditos. Verum cur nam noſtri Hermaphroditis dicuntur delectati? non alia arbitror de cauſſa, niſi quia eorum ortus apud Gentiles ominis erat ſiniſtri atque triſtis. *Quid ortus Androgyni, nonne fatale quoddam monſtrum fuit?* inquiebat Tullius libro de divinatione I. Certe Julius Obſequens, dum frequentiſſime Androgynos ortos refert, infauſta inter portenta eos ponit, ac in mare eos demerſos ait, quemadmodum & alii veteres tra-

dunt Scriptores. Quærebat igitur a Chriſtianis Lucianæus Critias, an ſuis in viſionibus Mercurii & Veneris congreſſum vidiſſent, aut ominari ne potuiſſent, congreſſurum cum Venere Mercurium, quo ex congreſſu Hermaphroditæ orirentur, qui, propterea quod inter mali ominis prodigia habebantur, in deliciis adeo hominibus noſtris erant, qui non videbantur niſi ſiniſtra & peſſima ſomniari, & optare; nec niſi de malis ac triſtibus gaudere, quemadmodum in theatro furiæ. Ridendo ſcilicet, nil aliud ſignificare contendebat Lucianus, quam quod Cæcilius ethnicus apud Minutium Felicem in Octavio ita Chriſtianos alloquutus: *Si quid ſapientiæ vobis, aut verecundiæ eſt, deſinite cæli plagas, & mundi fata, & ſecreta rimari: ſatis pro pedibus aſpicere.... quibus non eſt datum intelligere civilia, multo minus eſt datum intelligere divina.* Quæ profecto querelæ ethnicorum ex eo procedebant, quod noſtri tunc futurum cito dicerent mundi finem, adeoque & Romani Imperii ac idololatriæ; Deumque pœnas mox de perſequutoribus Eccleſiæ ſumpturum, quemadmodum in viſionibus ac revelationibus acceperant.

Hæc ſi animum Geſneri ſubiiſſent, haud facile adeo ſibi perſuaſiſſet, Auctorem dialogi ad tempora Juliani Cæſaris eſſe retrahendum. Ad illa quippe tempora non pertinent conventus Chriſtianorum in ſolariis privatarum ædium celebrati, illa ad tempora non pertinent viſiones ac prophetiæ adeo frequentes in Eccleſia, ut qui ab ea alieno forent animo, quum argumen-

tis

tis conficere nil poſſent, eas riſu, jociſque, ſcommatibus ac dicteriis ludibrio exponerent; quemadmodum diſſertatione IV. Cyprianica, quæ eſt de viſionibus, ait Dodwellus, qui earum copiam & frequentiam a temporibus Apoſtolorum, uſque ad Cyprianum permanſiſſe, ut mihi videtur, optime oſtendit. Juliani denique temporibus Chriſtiani pericula & clades Romano Imperio, totique adeo orbi, non amplius portendebant. Quum itaque ſingulariſſimi hi characteres Chriſtianis apprime conveniant ætatis Samoſatenſis Luciani, ipſeque eo temporis MULTITUDINEM ADMODUM MAGNAM fidelium ad unum ſpectaſſe cœtum conteſtetur, ſequitur, vel in illis exordiis noſtros maximo numero fuiſſe. Sunt qui Auctorem Philopatridos ad ætatem Antoninorum referunt, alii ad Galieni tempora, alii ad tempora Aureliani, alii cum Diocletiano eum vixiſſe cenſent; Geſnerus, ut diximus, cum Juliano. Fac eum, ſi mavis, hoc etiam Cæſare poſteriorem; ſtatim atque tamen ſtatum & conditionem reſpicit, ſibique irridendam ſumit Chriſtianorum, qui nondum ædes ad conveniendum publicas habebant, quique notas habebant ceteras in dialogo deriſui habitas, certum eſſe debet; eorum MULTITUDINEM ADMODUM MAGNAM ad prima illa tempora eſſe æque referendam.

CAPUT XII.

De pauperum claſſe cum reliquo veterum fidelium numero collata.

CORNELIUS Romanus Pontifex in epiſtola ad Fabium Antiochenum a nobis jam citata, & relata ab Euſebio, libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ VI. capite 43. poſtquam adfirmaſſet, ſua in Eccleſia, ſcilicet quæ Romæ ſuo tempore colligebatur, fuiſſe Presbyteros ſex & quadraginta, ſeptem vero Diaconos, totidem Subdiaconos, Acolythos duos & quadraginta, Exorciſtas, & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos, *viduas denique*, ſubdit, *& cum infirmis & egentibus, pluſquam mille & quingentos, quibus univerſis, gratia & benignitate Dei alimenta Eccleſia ſuppeditat: & tamen tanta, tamque neceſſaria in Eccleſia MULTITUDO, cœtus ille divinæ Providentiæ copiis opulentus & numeroſus, CUM IMMENSO, ET INNUMERABILI POPULO, Novatum ad Eccleſiam revocare non potuit.* Hunc Cornelii locum vidit Clarkſonus, ſed quid ex eo ipſum collegiſſe cenſes? num IMMENSUM ET INNUMERABILEM POPULUM fidelium, qui vel Romæ ſolum colligebantur? Minime ſane gentium. Aliud hoc in teſtimonio videre ipſe noluit, quam pauperum claſſem & viduarum, ex qua feſtivum ſibi conſtituit vindicandæ veterum Chriſtianorum paucitati argumentum. Animadvertens ſiquidem Chryſoſtomum ſcripſiſſe, ſi quis

Chri-

Chriſtianos ætate ſua tres diſtribuiſſet in partes, fore ut earum una pauperibus conſtaret, quamvis Antiochiæ pauperes decimam tantum facerent fidelium partem: ſi priorem, ſubdit Clarkſonus, recenſionem amplectimur, & claſſem pauperum cum reliquo Credentium numero conferimus, inferendum erit, ætate Cornelii Pontificis, videlicet medio tertio ſeculo, fuiſſe Romæ Chriſtianos quatuor mille & quingentos; ſiquidem mille & quingentos tunc in Eccleſia, quæ Romæ colligebatur, fuiſſe pauperes teſtatur Pontifex. Hunc vero calculum ideo veriſimiliorem Clarkſonus putat, quod credendum non ſit, divites ſectæ legibus vetitæ nomen facile dediſſe. Quod ſi Antiochenæ computationem Eccleſiæ amplectaris, quindecim mille fuerunt Romæ tunc temporis Credentes: qui numerus, ſubdit Anglus ſcriptor, quum fidelium hodiernæ Parœciæ magnis in urbibus copiam non ſuperet, conſequi fas eſt, pauciſſimos fuiſſe tertio Eccleſiæ ſeculo Chriſtianos.

Non animadvertit primum tamen Clarkſonus, rationem ſupputandi ſuam fundamento quammaxime lubrico innixam, recta pugnare cum textu, ex quo eam eruere contendit, cum verbis ſcilicet Pontificis Cornelii? quî enim alterutram ex adductis computationibus conferas & componas μετὰ μεγίςȣ ἐ ἀναριθμήτȣ CUM IMMENSO ET INNUMERABILI CHRISTIANO POPULO, quem ſua tunc fuiſſe in Eccleſia Pontifex Romanus teſtabatur? num ſupputandi ratio ex incertiſſimis principiis derivata præferri ſynchronis

debet apertiſſimiſque veterum Scriptorum teſtimoniis? nil profecto minus. Similes præterpropter calculos ſibi fixerat Gilbertus Burnetius, quibus Legionem Chriſtianorum fulmineam oppugnaret; nec repugnaverat Moylius; quibus tamen ita egregie occurrit Mamachius libro II. originum & antiquitatum Chriſtianarum cap. VII. §. 1. *Ridiculum ſane eſt, ſilentibus antiquis, revocare ad calculos velle, ut conatus Burnetius eſt, quot Romæ, Cornelii ætate, Chriſtiani degerent. Nam, quod aiunt adverſarii, plus Romæ, quam uſquam alibi Chriſtianos numero valuiſſe, viderint, ne verum omnino eſſe non poſſit. Mea enim ſic eſt ratio: in quibuſdam urbibus plures aliquando, & aliquando pauciores fuiſſe eorum, qui noſtram Religionem colerent, quod vix eumdem ſemper Eccleſiarum ſtatum eſſe potuiſſe putem. Non nego NUMEROSISSIMAM fuiſſe Romanam Eccleſiam: id enim ſatis eſt manifeſtum: at fuiſſe aliis omnibus numeroſiorem non conſtat. Quis enim hanc hodie controverſiam dirimat? itaque ut Moylio non aſſentior, qui Romæ multo plures quam uſquam alibi fuiſſe Chriſtianos contendit; ita nec Kingio quidem aienti longe maiorem Epheſi fuiſſe multitudinem Chriſtianorum. Ac fieri varias ob cauſſas potuit, ut NUMEROSISSIMI CŒTUS in aliquo oppido aliquando ad tempus imminuerentur, eſſetque eo tempore in minore oppido maior numerus noſtrorum. Atque id factum præſertim arbitror tempore perſequutionum, quum vexari in urbibus magis, quam in vicis Chriſtiani ſolerent. Sed in huiuſmodi rebus vix ſtatui quidquam poteſt.* Hucuſque

que vir doctiſſimus, qui in adnotationibus ad hæc verba commodum animadvertit, contendiſſe Burnetium, mille cuique Presbytero per illa tempora permitti Chriſtianos inſtituendos potuiſſe; itaque, infert Mamachius, Cornelii Pontificis tempore fuit proculdubio Romæ MAGNUS CHRISTIANORUM NUMERUS; etenim quum quadraginta & ſex Presbyteri Romæ tunc eſſent πρεσβύτεροι τεσσαρακοντάξ, quadraginta & ſex millia Chriſtianorum habuerint oportet. Qui ſane numerus quantum Clarkſoni calculos excedat, quiſque confeſtim videt.

Nunc vero ſingulariſſima a nobis ipſius cogitatio in examen revocanda eſt, deinde feſtiva ſupputatio. Primum enim Chriſtianorum veterum numerum & cenſum a numero & cenſu repetendum eſſe ſibi ſtatuit pauperum, qui qualibet in Eccleſia reperiebantur: quod utique etiamſi forte fortuna aliquando, aut aliqua ſemel in Eccleſia, verum eſſe potuiſſet; frequentius tamen, immo fere ſemper, a veritate alienum fuiſſe, certiſſimis confirmari poteſt monumentis. Revera Divus Paullus epiſtola ſua II. ad Corinthios capite 6. eos hortaturus ad eleemoſynam fratribus, qui in Hieroſolymitana, & Macedonicis erant in Eccleſiis, erogandam, ita ſcribebat: *Notam facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ; quod in multo experimento tribulationis, abundatia gaudii ipſorum fuit, & altiſſima paupertas eorum. In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplemen-*

mentum. Qua ex Apoſtoli adhortatione jam patet, pauperes in Eccleſiis Apoſtolicis conſtituere ſolitos non fuiſſe tertiam partem Chriſtianorum; ſed potius Corinthiacam tunc Eccleſiam refertam divitibus fuiſſe, pauperibus ex oppoſito abundaſſe Eccleſias Macedoniæ ac Hieroſolymorum. Innumeræ recenſentur in hiſtoria Eccleſiaſtica collectæ ab aliquibus Eccleſiis ad alias miſſæ, quæ ut iſtarum communem inopiam, ita communem fidelium, quæ in illis erant, abundantiam atque opes oſtentant. Donyſius Corinthiorum Epiſcopus in epiſtola ad Soterem Romanum Pontificem, quam Euſebius exſcripſit libro IV. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 23. ita Romanos alloquebatur: ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὑμῖν ἔθος ἐςὶ τοῦτο, κ. τ. λ. *Hæc enim vobis conſuetudo eſt, jam inde ab ipſo Religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & ECCLESIIS QUAMPLURIMIS, quæ in ſingulis urbibus conſtitutæ ſunt, neceſſaria vitæ ſubſidia tranſmittatis. Et hac ratione tum egentium inopiam ſublevatis, tum fratribus, qui in metallis opus faciunt, neceſſaria ſuppeditatis: per hæc quæ ab initio tranſmittere conſueviſtis munera, MOREM INSTITUTUMQUE MAJORUM retinentes, quem beatus Epiſcopus veſter Soter non ſervavit ſolum, ſed etiam adauxit &c.* Dionyſius pariter Alexandrinus in epiſtola ad Stephanum Romanum Pontificem, quam Euſebius refert libro VII. capite 5. teſtis eſt, eiuſmodi effuſæ Romanorum in alias Eccleſias liberalitatis, memorans ſcilicet Syriacas omnes & Arabiæ Eccleſias, quibus Romanæ Eccleſiæ

fra-

fratres pecunias largiter ſubminiſtrabant. *αἱ μὲν τοι Συρίας ὅλαι καὶ Ἀραβία, οἷς ἐπαρκεῖτε ἑκάστοτε, καὶ οἷς νῦν ἐπεστείλατε.* Epiſcopis vero Numidiæ obſecrantibus, collectam indixit ſua in Eccleſia ſanctus Cyprianus, quo poſſent illi fideles captos a Barbaris redimere: tum pecuniam ad Epiſcopos Januarium, Maximum, Proculum, alioſque deferri curavit cum epiſtola, quæ LXII. eſt editionis Anglicanæ; in qua ita Sanctus Pater: *Miſimus autem ſeſtertium centum millia nummum, quæ iſtic in Eccleſia, cui de Domini indulgentia præſumus, Cleri & plebis apud nos conſiſtentis collatione collecta ſunt: quæ vos illic pro veſtra diligentia diſpenſabitis. Et optamus quidem nihil tale de cetero fieri, & fratres noſtros Domini maieſtate protectos, ab eiuſmodi periculis incolumes reſervari. Si tamen tale aliquid acciderit, nolite cunctari nunciare hæc nobis literis veſtris; pro certo habentes, Eccleſiam noſtram, & fraternitatem iſtic univerſam ne hæc ultra fiant precibus orare; ſi facta fuerint, libenter & largiter ſubſidia præſtare.* Vindicant Anglicani editores poſt Rigaltium ex Johanne Frederico Gronovio, libro de ſeſtertiis num. 18. lectionem SESTERTIUM CENTUM MILLIA NUMMUM, *quæ ſcriptura*, inquiebat Rigaltius, *ſummam conficit noſtrarum hodie librarum* 25000. Lambertus hanc Rigaltii æſtimationem ad ſeptem mille quingentas libras gallicas reduxit. Aliter ſupputavit Capellus, ut eſſent novem mille, ſexcentum, triginta novem libræ, ſeptemdecim ſolidi, decem denarii. Si ad monetæ Anglicanæ rationes calculos ineamus, inquit Fellus, fortaſſe

taſſe ad rei veritatem proximè accedet qui dixerit, ſummam hic deſignatam conficere libras ſterlingas ſeptingentas, octoginta & unam, & ſolidos quinque. Vides ingens ſubſidium, & ſpontaneam maioris oblationem; qua ex agendi ratione ac more, errare patet; qui numerum fidelium antiquis in cœtibus exiſtentium ſupputari poſſe exiſtimat ex cenſu & claſſe pauperum, qui in ſingulis numerabantur illorum temporum Eccleſiis.

Verum age, quæ nam ſint tam feſtivæ computationis momenta videamus. Eruere eam poſſe exiſtimavit Clarkſonus ex homilia LXVI. alias LXVII. Chryſoſtomi in Matthæum, cuius nec obſcuritatem veritus, neque ſenſum aſſequutus, ſibi ſummam illam efformavit. Dum enim in ea quereretur ſanctus Pater Antiochenos in eleemoſynarum largitione nimis parcos eſſe, ſubdit inter cetera: *Vos ſeminantes video, ſed non larga manu: quamobrem timeo ne parce metatis. Quod enim parce ſeminetis, ſi placeat, exploremus; utrum nempe plures ſint in civitate pauperes, quam divites; & quinam nec pauperes, nec divites ſint, ſed medium locum tenentes. Decima pars civium divites; decima pars pauperes, qui nihil habent; reliqui vero ſunt in medio loco poſiti. Dividamus ergo per egenorum numerum totam urbis multitudinem, & quantum ſit dedecus videbitis. Nam admodum divites pauci ſunt; qui hos ſequuntur plurimi: rurſus pauperes longe his pauciores ſunt. Attamen quum tot ſint qui eſurientes alere poſſint, multi ſunt, qui eſurientes lectum petunt: non quod*

non

non valeant opulenti illis facile neceſſaria ſubminiſtrare; ſed quia admodum duri inhumanique ſunt. Nam ſi divites, & ii, qui facultatibus mediocriter pollent, inter ſe dividerent eos, qui pane & veſtibus egent, vix quinquaginta, vel centum viris, pauper unus alendus reperiretur. In tanta tamen eorum copia, qui neceſſaria ſubminiſtrare poſſunt, quotidie pauperes egeſtatem ſuam deplorant. Et ut diſcas illorum immanitatem, Eccleſia unius admodum divitis, & unius mediocris fortunæ reditum habet; & cogites velim quot viduas, quot virgines alat quotidie: earum certe Catalogus ad TER MILLE pertingit. Ad hæc, etiam in carcere vinctos, in Xenodochio ægros, alios bene valentes, ſed membris mutilos; altari etiam aſſidentes alimenti veſtiſque cauſſa, alioſque caſu accedentes fovet quotidie: neque tamen eius facultates imminutæ ſunt. Itaque ſi decem viri tantum paria ſubminiſtrare vellent, nullus foret pauper. Ex hoc Sancti Patris teſtimonio ſuos ſibi perſtruxit calculos Clarkſonus de pauperum claſſe modo tertiam, modo decimam Chriſtianorum partem in Eccleſiis omnibus conſtituente.

Ut primum dicam tamen, animadvertit commodum doctiſſimus Monfauconus, tum præfatione in has Chryſoſtomi in Matthæum homilias, tum in adnotatione ad locum allegatum, eam Chryſoſtomi diviſionem non omnino accurate factam videri, nec admodum ad veriſimilitudinis leges exactam eiuſmodi computationem; ſtupendumque prorſus eſſe, illos admodum divites, qui numero decimam urbis partem conſtituebant,

ita

ita opibus circumfluxiſſe, ut ſi cuique eorum unus ex mediocris fortunæ viris adiunctus fuiſſet, potuiſſent ambo quantum Eccleſia ipſa Antiochena onus ſuſtinere. Ex qualicumque illa tamen Chryſoſtomi computatione, longe abeſt, ut ſuam recte duxerit Clarkſonus. Animadvertendum ſiquidem ex Chryſoſtomo ipſo eſt, Antiochiam, totius Orientis caput, & Metropolim ſuis continuiſſe in mœnibus ducenta hominum millia; nam oratione in ſanctum Ignatium Martyrem, qui illius urbis Epiſcopus fuerat, ipſum ob illud quoque Chriſoſtomus commendat, quod ad eam regendam civitatem admotus fuiſſet, quæ DUCENTA CONTINERET HOMINUM MILLIA, δῆμον εἰς εἴκοσι ἐκτεινόμενον μυριάδας. Ex eorum autem numero CENTUM MILLE circiter erant ſedente Chryſoſtomo Chriſtiani, quemadmodum ſtatim ipſius verbis oſtendetur; proindeque, ſi ex allegato teſtimonio quatuor mille vix eſſe poterant tunc pauperes Eccleſiæ Antiochenæ, quorſum conſtituere aut tertiam potuerint, aut etiam decimam fidelium illorum partem?

Et vero homilia LXXXV. in Matthæum, alias LXXXVI. de nimiis Antiochenæ Eccleſiæ opibus querebatur ſanctus Pater, propterea quod debita inde pauperum ſollicitudo, quæ Epiſcopum, & ceteros Clericos manebat, eos a Sacerdotali prope munere, & ſacrorum adminiſtratione myſteriorum veluti abſtraheret; *Sed nunc Patres veſtros timor invaſit*, inquiebat Sanctus Pater laicos alloquens Antiochenos, *ne vobis rerum ſecularium cupiditate captis, colligentibuſque, nec*

ſpar-

ſpargentibus, viduarum, pupillorum, & virginum chori fame pereant; ideo hæc ita componere Clerici coacti ſunt. Neque enim volebant huiuſmodi dedecus admittere, ſed cupiebant voluntatis veſtræ propoſitum ipſis proventum eſſe, & inde fructum decerpere, dum illi precibus tantum incumberent. Nunc autem Sacerdotes coegiſtis, ut eos, qui res ſeculares & familiares tractant imitarentur, unde omnia ſuſdeque verſa ſunt. Nam quum & vos, & nos iiſdem ſimus negotiis intenti, quis Deum placabit? ideo os non audemus aperire, quia Eccleſia nihil a ſecularibus hominibus differt: non audiſtis, Apoſtolos ne quidem pecunias, ſine labore collectas, diſtribuendas ſuſcepiſſe? nunc autem Epiſcopi ſollicitudine eiuſmodi ſuperant Curatores, Œconomos, & Caupones: & quum oporteret illos animarum veſtrarum curam gerere, eadem, quæ excerptores, quæſtores, rationarii, & pecuniarii, curare coguntur, deque his quotidie ſolliciti ſunt. Hæc non fruſtra deploro, ſed ut quædam emendatio, & mutatio ſequatur, ut nos, qui hac gravi ſervitute preminur, miſericordiam conſequamur; ut vos ſitis Eccleſiæ proventus, & theſaurus. Sin nolitis: ecce pauperes coram vobis ſunt: quotquot poterimus, alemus; quos non poterimus, vobis alendos relinquemus. Hæc inhumanitas profecto voſque & nos ridiculos efficit, quia oratione, doctrina, ceteriſque ſanctis exercitiis relictis, alii vini, alii frumenti, alii aliarum rerum venditoribus litigando miſcemur omni tempore. Heinc rixæ, contentiones, quotidianaque convicia, & ſingulis Sacerdotibus quædam nomina imponuntur, quæ ſingularibus ædibus magis competerent,

terent, quum oporteret aliis nominibus vocari, quæ ſtatuerunt Apoſtoli, ab alimento pauperibus dato, a patrocinio læſis conceſſo, ab hoſpitalitate, a præſtito oppreſſis auxilio, a cura pupillorum, a defenſione viduarum, a protectione virginibus data; & hæc miniſteria Sacerdotibus tradi, potius quam agrorum, ædiumque. καὶ γὰρ τῇ τοῦ θεοῦ χάριτι εἰς δέκα μυριάδας ἀριθμὸν οἶμαι τοὺς ἐνθαῦθα συναγομένους τελεῖν, *nam per Dei gratiam puto eos, qui heic congregantur, ad CENTUM MILLE pertingere; & ſi ſinguli ſingulis pauperibus ſingulos panes darent, omnes in rerum abundantia eſſent. Si ſinguli unum darent obolum, ne unus quidem pauper eſſet; neque tot dicteria & probra ſuſtineremus ob prædiorum ſollicitudinem &c.* Hucuſque ſanctus Pater.

Omittimus quæ antea dixerat, rurſuſque repetit Chryſoſtomus, Eccleſiam ſcilicet Antiochenam jam tot agros, domos, locationes ædium, vehicula, muliones, multaque alia eiuſmodi, pauperibus alendis, poſſediſſe, ut quum Clerici illius Eccleſiæ tot procurandis bonis ac negotiis operam concedere deberent, propterea ſacrarum lectio Scripturarum jam negligeretur, precationes ſegniter perſolverentur, aliaque omitterentur, quæ primo eſſe debent loco apud homines ſacris altaribus addictos. Nec minores erant opes præcipuarum Eccleſiarum Occidentis: quot enim prædia, quot agros divitiaſque jam ætate illa poſſideret Romana Eccleſia, ex Anaſtaſio habes, Baronio, Muratorio, aliiſque ſexcentis; eaque tam dives erat Hieronymi ætate, ut Eccleſiæ illius Diaconi, propterea quod tot tantaque admi-

niſtra-

niſtrarent bona, ſe ſe ſupra Presbyteros extollere auderent; unde Stridonenſis Patris caſtigationes, & querelæ. In tam opulentum Eccleſiarum illius temporis ſtatum ſi mentem intendiſſet ſuam, & ſpiritum calculi in immenſa illa prædia & bona Clarkſonus direxiſſet, intellexiſſet proculdubio, fideles, non dicam Chriſoſtomi ætate, (ad quam ille Chriſtianorum paucitatem errore inexplicabili producit,) ſed anteriore jam ſeculo numeroſiſſimos eſſe oportuiſſe. Quis etenim non videt, fieri haud potuiſſe, tot ac immenſa prope bona brevi temporis ſpatio Eccleſiis dono data fuiſſe & conceſſa? Vix enim eſt, qui repente citoque nimis ex pauperrimo fiat dives. Itaque tot illi agri, prædia, ædes, poſſeſſiones, totque propter bonorum immenſitatem procurationes Clericorum, vel minus in calculo verſatis detegunt oſtenduntque copiam Chriſtianorum maximam, qui ante Chryſoſtomi tempora fuere.

Ut autem ad obiectum ex hoc ſancto Patre teſtimonium revertamur, niſi mendum in ipſo adſit, vix recte inter ſe videntur eius verba cohærere. Siquidem ſi pauperes erant decima Antiochenæ Eccleſiæ pars, fieri quî poterat, ut ſi divites, & ii, qui facultatibus mediocribus pollebant, inter ſe diviſiſſent eos, qui pane ac veſtibus egebant, tunc quinquaginta vix, vel centum viris, pauper unus alendus repertus fuiſſet, quemadmodum ibidem ſubjicit ſanctus Pater? Eo ſane pacto pauperes non decimam, ſed quinquageſimam, vel centeſimam conſtituiſſent Ec-

 cleſiæ

cleſiæ Antiochenæ partem. Nec minori laborat obſcuritate locus alter, ubi poſtquam dixerit Chryſoſtomus, fideles Antiochenæ Eccleſiæ ſui temporis CENTUM MILLE numeratos fuiſſe, addit, fore, ut nullus inter eos pauper eſſet, ſi ſinguli ſingulis pauperibus obulum ſingulum, aut ſingulos dediſſent panes; hac ſiquidem ex computatione ignoras, quamnam numeri Chriſtianorum, qui Antiochiæ tunc erant, claſſem, aut partem, pauperes demum conſtituerint. Ex obſcuro autem perturbatoque, & non ſatis adcurato pauperum unius Eccleſiæ Antiochenæ cenſu hypotheſes excogitare, ſibique conſtituere ad numerum ſupputandum egenorum alterius ætatis, alterius regionis, alterius Eccleſiæ, immo omnium orbis Eccleſiarum, abhorret omnino a recta ratione cogitandi.

Pervia, fateor, communis & naturalis, ut ita dixerim, immo perpetua fuit, eritque ſemper, civilis veluti hominum diviſio in aliquos omnino divites, alioſque medio loco poſitos, neque divitiis affluentes, neque paupertate laborantes; denique in eos, qui quum nihil prorſus habeant, propterea pauperes vocantur. Verum hac de pauperum claſſe neque Cornelius Pontifex, neque Chryſoſtomus, neque ceteri loquuntur, qui numerum eorum pauperum recenſent, quos Eccleſiæ ex communi cenſu alebant, & quibus ut divites eleemoſynam darent, Patres hortabantur. In illa ſiquidem civili communique recenſione illi omnes jure pauperes vocantur, qui nec agris, nec opibus, nec aliquo valent munere, aut copioſa

pioſa mercatura. Porro ex allegata jam Cl. Mamachii diſſertatione de artibus, quas Chriſtiani veteres profitebantur, ut victum ſibi compararent, innumeros reperies omnis generis artifices, ac inferiorum operum miniſtros, qui quum nihil ſibi proprium haberent, pauperesque revera eſſent, ceu in ſudore vultus panem comedentes, neque adhuc tamen de communibus Eccleſiæ opibus ac eleemoſynis ſuſtentabantur. Nemo arbitror, qui dives fuerit, aut munus obire aliquod, aut mercaturam honeſte exercere aliquam potuerit, gregarius miles libenter fieri optaverit. Innumeros tamen primorum temporum Chriſtianos ethnicis ſub Imperatoribus militiæ nomen dediſſe, ſatis diximus; neque hi vero in cenſu erant pauperum Eccleſiæ, quemadmodum neque memorati omnis artis, omnis generis opifices, aut nauticæ, totiuſque rei ruſticæ cultores, nec illi omnes, qui quum ſervi eſſent, de opibus Dominorum alebantur, nec reliqui demum quicumque aliquo ſibi modo acquirere victum potuiſſent. Soli igitur in cenſu pauperum Eccleſiæ numerabantur mendici atque egentes, membris mutili, viduæ, pupilli, ægri, & in carceres ob profeſſionem Chriſtiani nominis conjecti. Ita certe Juſtinus apologia II. *οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι, κ. τ. λ. Ceterum qui copioſiores ſunt, & volunt, pro arbitrio quiſque ſuo, quod viſum eſt, contribuunt; & quod ita colligitur, apud Præpoſitum deponitur, atque ille inde opitulatur pupillis & viduis, & his, qui propter morbum, aut aliquam aliam cauſam egent, quique in vinculis*

 ſunt

ſunt, & peregre advenientibus hoſpitibus, & ut ſimpliciter dicam, indigentium is omnium curator eſt. Tertullianus autem in apologetico cap. 39. *Modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cum velit, aut ſi modo velit, & ſi modo poſſit, apponit. Nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratinis diſpenſatur, ſed EGENIS alendis humandiſque, & PUERIS & PUELLIS RE AC PARENTIBUS DESTITUTIS, jamque domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis.* Eundem in ſenſum loquitur Origenes homilia III. in Leviticum, ſi tamen eius eſt, Auctoris certe eſt antiquiſſimi. Verum hi omnes ita egeni neque tertiam, neque decimam Chriſtianorum alicuius Eccleſiæ partem conſtituere, generatim certe loquendo, valuiſſent. Tranſtulit perperam Clarkſonus pauperis nomen civiliter acceptum, ad illud, quod Eccleſiaſticam juxta ſignificationem uſurpabant veteres Scriptores, dum de egenis agebant e communi cenſu ſuſtentatis, calculoſque inde claſſium & diverſarum Chriſtianorum partium ſuperſtruxit mirifice feſtivos.

Verum eſto decima, ſive etiam tertia fidelium alicuius Eccleſiæ pars, aliquo tempore, ex pauperibus coaluerit; num alicui fas erit cogitare, immo ponere, idem alio tempore, aliis contigiſſe in Eccleſiis per univerſum orbem conſtitutis? Minime ſane gentium. Quinam enim nexus inter loca & tempora valde inter ſe diſ-

ſita

ſita ac remota? Quænam comparatio eſſe poteſt inter computationem ex pauperibus Antiochenæ Eccleſiæ ætate Chriſoſtomi deductam, & ſummam erutam ex pauperibus Eccleſiæ Romanæ tempore Pontificis Cornelii? Profecto, ſi ab Eccleſia & urbe Antiochena tempore Chryſoſtomi, ad Eccleſiam & urbem Romanam ætate Cornelii Pontificis argumentari fas eſt, immo ad ceteras totius orbis, & primorum temporum Eccleſias; quemadmodum Antiochena in urbe, ducenta continente hominum millia, Chriſtiani ad CENTUM MILLE pertingebant; ita tempore Cornelii media hominum pars urbis Romæ fuerit oportet Chriſtiano nomini addicta; immo ceteris omnibus in urbibus, ac vicis, & pagis, media incolarum pars Chriſtianis ſacris nomen dederit oportet: quod utique Clarkſonum ægre conceſſurum vereor; dum ea fateri ratione cogeretur, IMMENSUM, ET INNUMERABILEM POPULUM Chriſtianorum, Romæ non modo, de quo Cornelius Pontifex fidem facit, ſed ubique etiam tertio fuiſſe ſeculo repertum.

CAPUT XIII.

Non omnes præcipuarum etiam urbium fideles, adhuc poſt Conſtantinum, uno contineri ſolitos fuiſſe in Templo, ac in eo congregari.

CHRISTIANOS medio tertio ſeculo publicas jam habuiſſe ſacras ædes, atque Eccleſias, ſatis diximus, ac uberrime oſtenderunt Deſiderius Heraldus, Moylius, Ciampinus, Rinaldius, aliique plures, inter quos Gisbertus Cuperus, in adnotationibus ad caput XII. libri Lactantii de mortibus perſequutorum ſcribens: *Initio Chriſtiani privatis in ædibus ad colendum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum conveniebant, ut ſatis liquet. Sed poſtea, non prohibentibus Imperatoribus, vel Magiſtratibus ethnicis, PROPTER MULTITUDINEM, quæ quotidie Chriſto nomen dabat, in ſingulis urbibus exſtruxerunt DOMOS LAXAS ET GRANDES, ut ex Euſebio patet, atque ex hoc Auctore libri de mortibus perſequutorum. Quod autem paullo ante dixit*, multas & magnas domos Eccleſiam, ab omni parte cinxiſſe, *ita videtur interpretandum, Eccleſiam undique cinctam fuiſſe a domibus privatorum, ita ut illa conſpici non poſſet ab ambitlantibus per plateas: quod proculdubio factum eſt ad evitandam Gentilium invidiam.* Poſt Conſtantinum autem, totoque quarto ſeculo, ampliores ubique Eccleſias fuiſſe exſtructas, templaque vero Numini erecta, tradunt hiſto-

hiſtorici Eccleſiaſtici, Patreſque, ac Scriptores omnes, & univerſa monumenta fidem faciunt. Porro qui tum in veteris, tum in recentioris architectonices ſtudio verſati ſunt, animadvertunt, Conſtantinum, alioſque Imperatores, immo & Epiſcopos, & illius ætatis populos, in exſtruendis Eccleſiis noſtris, non ſtructuram & formam imitatos fuiſſe templorum gentilium, ſed eam ſatius, quam Chalcidicæ, ſive Chalcidienſes Baſilicæ habebant, ut in ædibus Lateranenſi, Vaticana, & præſertim ſancti Paulli, via Oſtienſi, vere Baſilicis, cernere erat: idque non alia de cauſſa, niſi quia in ſacris ædibus ad templorum gentilium imaginem exſtructis contineri non potuiſſet INGENS AC MAXIMA FIDELIUM MULTITUDO, per illa tempora in Eccleſiis colligenda, neque cæremoniæ perfici ad ritum & ordinem myſteriorum fidei Chriſtianæ pertinentes.

Negant autem iidem Eccleſiaſticæ antiquitatis, & architectonices periti, univerſim verum fuiſſe quod vulgo traditur, & creditur, plurima falſorum numinum templa a ſordibus illis repurgata, in Eccleſias verſa, & ad uſum fidelium fuiſſe vero Numini, Chriſtoque noſtro conſecrata. Quomodo enim, inquiunt, ex MM. templis, maioribus, & minoribus, quæ felicioribus Romani Imperij ſeculis Romæ erant, vix ſeptem, aut octo eſſent reliqua in præſens? Certius eſſe itaque conſequuntur, prope omnia ethnicorum templa fuiſſe demum a Chriſtianis diruta & everſa, quod Eccleſiarum in uſum verti nullo modo potuiſſent, utpote nimis parva & anguſta,

neque religioni noſtræ exercendæ, totque continendis auditoribus accommodata. Conſonant hæc vero cum narratione Theodoreti libro V. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 21. de Theodoſio ſcribentis: *Poſthæc fideliſſimus Imperator, adverſus Gentilium ſuperſtitionem ſtudium ſuum convertit, legeſque ſcripſit quibus idolorum FANA DESTRUI jubebat. Nam Conſtantinus quidem magnus, ne dæmonibus ſacrificaretur, omnino quidem interdixerat; eorum tamen templa nequaquam deſtruxerat, ſed OCCLUDI tantum præceperat. Eius quoque filii paternis inſtiterunt veſtigiis. At Julianus impietatem renovavit, & vetuſti erroris ſuſcitavit flammam. Poſtea Jovianus Imperium adeptus, ſimulacrorum cultum denuo prohibuit. Valentinianus deinde maior, iiſdem uſus legibus Europam gubernavit. Valens vero, aliis quidem omnibus permiſit colere ut vellent, iiſque quos colerent, obſervantiam exhibere: ſolis iis, qui Apoſtolicam doctrinam tuebantur, bellum inferre numquam deſtitit. Itaque quamdiu ille imperium tenuit, & in aris incendebantur thura, &c. Quæ omnia Theodoſius funditus ſuſtulit, & perpetua oblivione texit.* Sequitur narratio univerſalis fanorum everſionis, ætate videlicet, qua Chriſtiani ſuas libere jam ampliſſimas Eccleſias poſſidebant. "

Et vero plurima templa, ſaltem præcipuis in urbibus, ſtatim poſt Conſtantinum erecta fuiſſe, nec ipſe inficiatur Clarkſonus. Quid ille adhuc tamen? Tam exiguum fuiſſe tunc etiam exiſtimavit Chriſtianorum cenſum, ut omnes eiuſdem amplioris etiam urbis fideles una in æde conten-

tentos fuiſſe contenderit, quod ex facto probare ſe credit Paulli Samoſateni, qui dum Epiſcopali e ſede eiectus fuit, Eccleſiam, in quam Credentes convenire ſoliti erant Antiochiæ, dimittere nolebat. Fautores etiam Meletii, quum ipſum Antiochena reſtituere in ſede & Eccleſia haud potuiſſent, in quamdam extra urbem ædem ſacram, ſe ſe, eumque recepiſſe, ut ipſum Epiſcopali in ſede collocarent, ſubdit Clarkſonus, qui addit, Athanaſium ſuas agere vindicias debuiſſe, proptereaquod anno CCCLV. cunctos qui Alexandriæ erant fideles uno in templo ſimul congregaverit; ſedente demum Hieroſolymis Epiſcopo Narciſſo omnes illius urbis Chriſtianos pervigilium Paſchatis una in æde celebraſſe; ex quibus infert, unum modo in ampliſſimis etiam Eccleſiis, & urbibus, vel poſt Conſtantini ætatem, fuiſſe templum, in quo quum omnes ſimul continerentur fideles, argumento eſſe ait, eoſdem quarto etiam ſeculo pauciſſimos fuiſſe.

Verum hæc omnia quam parum deceant doctum virum, intelligunt etiam qui pauciſſima intelligunt. Num enim & Romæ, & Conſtantinopoli, ætate Conſtantini, unicum erat templum? Pugnat id profecto cum teſtimonio hiſtoricorum omnium, ac monumentorum. Quod ad Antiochiam adtinet, & ad factum Paulli Samoſateni, primo animadverſum velim, cani heic a Clarkſono extra chorum, quum ſub Aureliano, non poſt Conſtantinum, de cuius ætate agimus in præſens, factum illius hominis evenerit. Domnus

nus deinde, diu antequam Paullus deiici ab Antiochia poſſet, gregem illius urbis Catholicum regebat, ideoque alium ab eo, quem Paullus dimittere nolebat, habebat locum, conventui fidelium ſacro Antiochiæ deſtinatum. Tandem quærendum, quidnam per οἶκον τῆς ἐκκλησίας DOMUM ECCLESIÆ, quam Paullus in epiſtola Synodi Antiochenæ apud Euſebium lib. VII. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 30. dimittere noluiſſe dicitur, ſit intelligendum. Sunt qui ædem ipſam ſacris myſteriis celebrandis conſecratam: ſunt qui Epiſcopales tantum lares: ſunt qui utrumque interpretantur. Aſt negaverit nemo, egregie id explicaſſe Cardinalem Orſium in diſſertatione Apologetica pro Sanctarum Perpetuæ & Felicitatis Martyrum orthodoxia adverſus Samuelem Baſnagium, capite 1. num. 3. ubi hæc habet: *Eccleſia, Domus, Cathedra, & Altare imprimis Epiſcopi, centrum erant, ut notat illuſtriſſimus Albaſpinæus ad Optati librum I. adverſus Parmenianum, Eccleſiaſticæ communionis. Eo Catholica plebs frequentiſſime confluebat, inde populum Epiſcopus alloquebatur, ibi preces eorum, & oblationes, & vota ſuſcipiebat; heic erat locus orationis, heic locus ſacramentorum, heic denique ſolemnis ſacrificii locus. Cetera altaria, ut idem obſervat Albaſpinæus, in ſubſidium communionis exſtructa ſunt, cuius centrum Eccleſia, & altare Epiſcopi habebantur: in hoc altari quam frequentes Catholici communicabant, tum ad illud ſchiſmaticis, & hæreticis nullus permittebatur acceſſus: immo inde vi etiam adhibita extrudebantur, quod Eccleſiæ Catholicæ communio-*

Digitized by Google

munione excidiſſent, ne forte ob loci ſanctitatem, & amplitudinem, in quo veteres Catholicæ Communionis arcem conſtituerant, pro Catholicis haberentur. Huius rei argumento eſſe poteſt, quod de PAULLO SAMOSATENO narrat Euſebius; nefarium ſcilicet hæreſiarcham ſententia ſynodi exauctoratum, & Antiocheno Epiſcopatu deiectum, DOMO, SEDE, ET ECCLESIA EPISCOPALI exturbari neutiquam potuiſſe, quamdiu Zenobia, cuius ille favore & gratia utebatur, rerum in Oriente potita eſt. Tamdiu enim ſe pro legitimo Epiſcopo habendum exiſtimavit, & Catholicam plebem ſibi retinere poſſe credidit, quamdiu DOMUM, CATHEDRAM, BASILICAM, ET ALTARE occuparet, in quo maiores ſui ſedere, plebem colligere, oblationes & vota populi ſuſcipere, & ſacrificia Deo offerre conſueverant. Catholici vero Epiſcopi omni ope & conatu egerunt, ut nequiſſimo homine expulſo, Domnus, qui ei fuerat ſubrogatus, EPISCOPALEM BASILICAM obtineret, & in deceſſorum ſuorum ſede, Cathedraque collocaretur. En igitur quanam ab Eccleſia deiectus fuit Paullus Samoſatenſis; non ab ea profecto una, quæ fuerit Antiochiæ; ſed ab Epiſcopali, quæ neque ceteras excludit, neque eam fidelium copiam, quæ pluribus indigeret.

Et ſane ECCLESIÆ nomen proprie ſumptum fuiſſe de Matrice ac principali Eccleſia, ex canone XIX. Codicis Africani jam docuerat in Lexico Svicerus ad V. Παροικία. Valeſius autem in adnotationibus ad librum I. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Theodori Lectoris capite 13. animadvertit,

voca-

vocatam ab ipſo *μεγάλην ἐκκλησίαν magnam Eccleſiam*, quam Nicephorus locum illum exſcribens libro XV. capite 22. τὴν Καθόλου ECCLESIAM CATHOLICAM appellat; non quod reliquæ Eccleſiæ huic ſubiectæ non eſſent orthodoxæ, ſed quod per excellentiam quamdam ita maior ſacra urbis ædes vocaretur; quemadmodum Epiphanius in hæreſi Arianorum *Catholicam Eccleſiam* appellavit maiorem Eccleſiam urbis Alexandrinæ, quæ ſubiectas habebat, quas recenſet, minoris ordinis Eccleſias. Sub Juliano maiorem fuiſſe Eccleſiam, & minores Antiochiæ, fidem non modo faciunt Acta Paſſionis Sancti Theodoreti Presbyteri apud Mabillonium, & Ruinartium, ſed ipſe ethnicus ſcriptor Ammianus Marcellinus, libro XXII. capite 13. narrans Imperatorem *quæſtiones agitari juſſiſſe, & MAIOREM ECCLESIAM ANTIOCHIÆ claudi*, propterea quod Daphnæi Apollinis fanum ſubita flammarum vi exuſtum fuiſſe crederet opera Chriſtianorum.

Ingentem tamen excitat admirationem Clarkſonus, dum cenſet fautores Meletii, in æde extra urbem ipſum Epiſcopali ſedi reſtituiſſe, quod in eam, quæ Antiochiæ erat, eumdem inducere haud potuerint. Ita quippe differens, hiſtoriam Meletiani ſchiſmatis ignorare ſe oſtendit. Adnotant Maurini editores Athanaſii ad vol. II. p. 775. Antiochiam in duas urbes fuiſſe diviſam, antiquam ſcilicet, quæ ſecundum Orontis fluvii oram longum terræ occupabat ſpatium; & novam, in eiuſdem fluvii inſula ſitam, forma rotunda, quæ quinque pontibus antiquæ jungebatur; in antiqua

qua exſtaſſe veterem Eccleſiam ab Apoſtolis fundatam, quam ideo Apoſtolicam vocat Theodoretus, & in qua Meletius conventus agebat; Paullinum Euſtachii ſucceſſorem, Eccleſiam in nova urbe occupaſſe. Sed & Valeſius in adnotationibus ad librum I. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Theodoreti, capite 3. quod M. Tullius in quarta Verrina de Syracuſis dixit, illam ex quatuor urbibus conſtaſſe, idem quoque de Antiochia dici potuiſſe cenſet: deſcriptiſque quatuor illis urbibus, ſubdit: *Vetus igitur urbs ea eſſe videtur, quam ſub monte ædificavit Triptolemus Argivus. Porro in ea regione urbis Antiochiæ, duæ fuere Baſilicæ: altera magna, quam ædificavit Philogonius: altera minor, cuius meminit Theophanes in Chronico. Hanc porro Eccleſiam* παλαιὰν ἐκκλησίαν *vocat Auctor Chronici Alexandrini, ideſt* τὴν ἐν τῇ παλαιᾷ. Et rurſus ad caput XXXI. libri II. eiuſdem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Theodoreti, ita laudatus Interpres: Antiochia ex multis urbibus conſtabat, ut ex Libanii Antiochico notavi. Harum una vocabatur παλαιά, quæ ſcilicet primum conſtructa fuerat. In ea regione urbis erat Eccleſia æque παλαιά appellata, tum quod ipſa eſſet vetuſtiſſima, ET MATER CETERARUM, tum quod ſita eſſet in regione urbis ita cognominata. Certe Auctor Chronici Alexandrini illam παλαιὰν vocat, UBI AGIT DE REDITU MELETII, regnante Juliano. Athanaſius quoque, in epiſtola ſynodica ad Antiochenos, Eccleſiam illam ſic appellat: ἐν τῇ παλαιᾷ συναγομένους. Admonent demum Viri doctiſſimi in Librum III. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Theo-

Theodoreti capite 6. eiuſmodi tunc fuiſſe ſtatum Eccleſiæ Antiochenæ, ut jam tres eſſent Epiſcopi in illa civitate: nempe Euzoius, qui Arianis præerat; Meletius cum Orthodoxis; quocum haud omnes communicabant Catholici, quod aliquando Arianis placuiſſet; Paullinus a Lucifero ordinatus, quod nulla umquam vel tenui fidei Catholicæ ſuſpicione laboraſſet. Undenam igitur una modo ſacra ædes Antiochiæ? Chryſoſtomi ætate, ad quam exiguum fidelium numerum protrahit Clarkſonus, CENTUM MILLE Antiochena in urbe numerabantur, ut vidimus, Credentes. Num ab homine mente ſano excogitari templum poteſt, quod capax ſit tantam multitudinem eodem tempore ſimul continendi?

Ante Athanaſium plures fuiſſe Alexandriæ Eccleſias vidimus capite huius Commentarii VIII. confirmatque Socrates libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ III. capite 4. ſcribens: *Athanaſium ab exilio reverſum Alexandrinus populus libenter ſuſcepit, & Arianos quidem ECCLESIIS eiecit: Athanaſio autem EAS tradidit. Porro Ariani* ἐν οἰκίσκοις ἀσήμοις συναγόμενοι *in ædibus quibuſdam vilibus & obſcuris conventus agebant*; quemadmodum Catholicis in more erat tempore perſequutionum. Vindiciæ vero facti Athanaſiani, quod objicitur, tales ſunt, ut ignoro, an Clarkſonus narrationem in memoriam revocare potuerit hypotheſi ſuæ infeſtiorem. Sunt hæc quippe illius Sancti Patris in Apologia ad Conſtantium Imperatorem verba: *Ceterum, quia de MAGNA ECCLESIA crimen concinnant, quod ibi ſynaxis habita ſit, priuſ-*

quam abſoluta eſſet, age, etiam ea de re pietati tuæ reſponſum demus. Factum eſt, agnoſco: ſed longe aliter ac ipſi criminantur. Non enim Encæniorum feſtum celebravimus; id enim celebrare ante decretum tuum, nefarium fuiſſet; ſed quid actum eſt, norunt omnes. Feſtum erat Paſchæ, & TANTA MULTITUDO FIDELIUM aderat, quantam in urbe eſſe adoratores Chriſti Principes optarint. Quum igitur & Eccleſiæ parvæ paucæque eſſent, & magno tumultu poſceretur, ut IN MAGNA ECCLESIA conventus celebrarentur, atque ibidem preces pro tua ſalute fierent; quod factum eſt; egoque reniterer adhortationibus, ut rem aliquo uſque differrent, & potius quomodocunque liceret, etiam cum compreſſione, & afflictione ALIIS IN ECCLESIIS cœtus agerent, mihi neutiquam obtemperatum eſt; quin potius urbe egredi parati erant, ut in deſertis locis, ac ſub dio conventus facerent, melius eſſe laborem itineris ferre dicentes, quam feſtum cum luctu celebrare. Crede mihi, Imperator, ac in eam rem veritatem ipſam teſtem accipe. In ſynaxibus Quadrageſimæ δια τὸ πολὺ πλῆθος τῶν λαῶν *OB MAGNAM POPULORUM MULTITUDINEM, & locorum anguſtias, plurimos pueros, nec paucas puellas, & aniculas complures, & adoleſcentes multos afflictos jacuiſſe, ac domum delatos eſſe; ſed tamen ut nemo eorum, divini beneficio Numinis, perierit. Multa igitur omnium admurmuratio in hunc uſum MAGNAM ECCLESIAM depoſcentium; neque immerito. Si enim in rebus feſtum præcedentibus tanta compreſſio acciderat, quid timendum fuit in ipſo feſto? Omnibus certe modis acerbiora multo,*

to, luctuoſioraque accidiſſent; nec erat fas aut honeſtum, triſtitiam præ gaudio, luctum pro lætitia, in feſto die populis inferri: præſertim quum non ignorarem iſtiuſmodi exempla apud Patres ſupereſſe: beatæ ſiquidem memoriæ Alexander, quum alia loca anguſta eſſent, in Eccleſia maiore, Theonæ nuncupata, quam ædificabat, ſynaxes celebrari voluit: id enim jubebat FIDELIUM FREQUENTIA; nec in colligendo populo reſpexit, eam nondum exædificatam fuiſſe. Hoc & Treviris, & Aquileiæ fieri vidi: nam & illic diebus feſtis OB MULTITUDINEM, διὰ τὸ πλῆθος, *quum adhuc templa exædificarentur, collectas habebant; neque in aliquem accuſatorem inciderunt. Obtrectatorem ergo meum libens interrogarim, utrobinam rerum erat, populum ſuis precibus vacare, agreſtibus ne in locis, an in templo, quod ædificabatur? at hoc ipſum, inquit adverſarius, in Eccleſiis faciendum erat. Verum, ut dixi, parvæ nimis, & anguſtæ erant PRÆ MULTITUDINE POPULORUM.* Vix illuſtrius poterat fidelium illius temporis immenſa copia celebrari.

Quod ad Eccleſiam pertinet Hieroſolymitanam, ita factum Narciſſi Epiſcopi narrat Euſebius libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ VI capite 9. *Hoc etiam miraculum ab illo editum fuiſſe ferunt. Forte in magno Paſchatis pervigilio oleum Miniſtris deerat.* ἐφ᾽ ᾧ τὸ πᾶν πλῆθος δεινῆς ἀθυμίας διαλαβούσης. *Qua de cauſſa quum UNIVERSUS POPULUS graviſſimo mærore perculſus eſſet, Narciſſum ferunt mandaſſe iis, quibus curæ erat lucernas accendere, ut aquam ex quodam propinquo hauſtam puteo ad*

ſe

ſe deferrent: quod ubi dicto citius impletum eſt, oratione ſuper aquam facta, juſſiſſe dicitur, ſincera in Chriſtum fide, ut eam lucernis infunderent: quo itidem peracto, aiunt, aquam contra morem naturæ ſuæ, mirabili quadam divina virtute, in olei pinguedinem eſſe converſam. Eruit ex hac narratione Clarkſonus, omnes, qui Hieroſolymis erant fideles, illo Paſchatis pervigilio unam ſimul conveniſſe in ædem, ideoque pauciſſimos fuiſſe. Aſt ubinam gentium exprimit Euſebius talem Hieroſolymitanorum omnium Credentium conventum? UNIVERSUM POPULUM graviſſimo mœrore perculſum quidem ait, quod oleum miniſtris defuiſſet; proindeque ſic oſtendit UNIVERSUM POPULUM fuiſſe Chriſtianum; ſed univerſum populum unam in ædem, quæ modo Hieroſolymis fuiſſet, conveniſſe non dicit. Adde factum eiuſmodi, quod ex rumore tantum, incertaque ſe accepiſſe fama fatetur Euſebius, Conſtantiniana præceſſiſſe tempora, & in ſolo adverſus quod perpetua fuere Romanorum Principum odia atque iræ: quare ex ſumma fidelium, qui Hieroſolymis ante Conſtantinum eſſe potuerunt, erui nil poteſt ad definiendum de reliqua Credentium quantitate. Et vero ſi quis de amplitudine & numero primarum Eccleſiarum differere avet, Conſtantiniana in facta & tempora intendat animum oportet. Proſtat autem libro II. de vita Conſtantini edictum, quod Imperator ad Euſebium, & reliquos Epiſcopos direxit, & in quo hæc etiam habentur: *Quotquot igitur Eccleſiis aut ipſe præeis, aut alios in ſingulis præ-*

 ſiden-

ſidentes locis Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos noſti, cunctos admoneo, ut in opera Eccleſiarum omni ſtudio ac diligentia incumbant, quo aut reparentur quæ adhuc manent, AUT AUGEANTUR IN MAJUS, aut ſicubi uſus poſtulaverit, NOVÆ ædificentur. Socrates vero libro II. hiſtoriæ tripartitæ capite 18. de Conſtantini pietate agens, ita ſcribit: *Celebrata feſtivitate publica vicennalium ſuorum, mox ad erigendas Eccleſias feſtinus acceſſit. Hoc faciebat cum PER SINGULAS CIVITATES, tum vero maxime in ipſa urbe Conſtantinopoli, in qua duas ædificavit MAGNIFICENTISSIMAS ECCLESIAS, quarum unam nominavit Irenem, alteram vero Apoſtolicam; præterea in palatio Imperatoris ædem ſacram conſtruxit &c.* Innumeri Scriptores Conſtantinianis de Templis ac Baſilicis egere, quemadmodum & de aliis antiquiſſimis, quarum amplitudinem in ſchematibus, iconibuſve, aut ſola conceptam mente, hodieque admiramur.

Locus heic vero Chryſoſtomi illuſtrandus eſt, quo licet prima facie abuti poſſent, qui huius Sancti Patris tempore raras adhuc fuiſſe Eccleſias tuentur, in rem noſtram tamen facit vehementer. Ita ille quippe homilia XVIII. in Acta Apoſtolorum: *Nunc autem ubi palea, frumentum, & omnia ſimilia reponenda ſunt, facile ædificant; ubi vero animarum fructus colligendi ſunt, nihil curant; ſed coguntur mille ſtadia emetiri ut ad Eccleſiam perveniant.* Qua primum ex querela non fidelium illius temporis paucitas, ſed aliquorum ſatius negligentia in totidem Eccleſiis, quot fre-

quen-

quentiſſimo fidelium populo neceſſariæ fuiſſent, non exſtruendis recta colligeretur. Conſideranti tamen Sancti Patris orationis ſeriem, & ordinem, & ſcopum, patet ſtatim ac aperte, non de inopia communium Eccleſiarum ac templorum queſtum ipſum fuiſſe, ſed proptereaquod divitum quiſque ſuis in prædiis ac villis oratorium non extrueret, in quo divinas ipſe cum familia & ſervitiis laudes celebraret. Ante obiecta ſiquidem verba dixerat Sanctus Pater: *Multi vicos habent, & agros, ſed eos non curant, ut quemadmodum aulas & balnea, ita Eccleſias ibi faciant. Annon oportet & ſingulos fideles Eccleſiam exſtruere, Doctorem habere ad conferendum? Ideo admoneo & ſupplico, gratiaque peto, immo legem pono, ut nemo villam habeat Eccleſia non exſtructam. Ne mihi dixeris, PROPE EST, IN VICINIA eſt, πλησίον ἐστὶν, ἐκ γειτόνων ἐστὶ, multa eſt impenſa, modicus proventus. Si quid habes irrogandum pauperibus, hac in re inſume. Ale Doctorem, ale Diaconum, ET SACERDOTALEM CŒTUM. Dotem Eccleſiæ largitor, ſic tibi villa benedictione replebitur. Ad pacem agricolarum hoc utile eſt. Venerabilis erit poſtea PRESBYTER, illudque ad ſecuritatem vitæ conducet. Tu auctor eris, quod Catechumeni ſint in vicinis villis. Prædium, quod Eccleſiam habet, paradiſo ſimile eſt. Quanta eſt expenſa, dic mihi? Fac interim parvam domum pro templo: qui poſt te veniet, faciet porticum, ſequens, aliud adjiciet &c.* Quanta laborant homines cogitandi diverſitate! Chryſoſtomus admonebat, urgebat, ſupplicabat, gratias

agebat, ac legem etiam ponebat, ut ſuis divites in prædiis Oratoria erigerent: nos nimis remiſſam querimur, & lugemus diſciplinam, ob aliqua privatis poſt enixas preces Oratoria conceſſa. Quod ad quæſtionem noſtram adtinet, excuſatio eorum eſt, quos Chryſoſtomus tunc hortabatur: PROPE FUISSE SACRAS ÆDES, IN VICINIA EAS FUISSE; cunctaque proinde loca ſacris referta erant ædificiis: ut ut a nonnullis aliquando ſtadiorum millia facienda eſſent, quo publicam ad Eccleſiam pervenirent. Nonne & idem contingit aliquibus etiam in regionibus in præſens, in quibus incolæ omnes ſunt Chriſtiani?

Summo autem jure diximus, locum Chryſoſtomi facere in rem noſtram vehementer; diſcutiendæ præſertim dubitationis nebulæ mihi doctiſſimo a viro & amiciſſimo propoſitæ. Quippe, inquiebat, ſi templa pauciſſima excipimus, reliquæ quotquot ſuperſunt remotioris antiquitatis ædes Chriſtianæ adeo anguſtæ ſunt, ut ſi ceteræ illorum temporum aut eiuſdem, aut paullo maioris ambitus fuere, vix mediocrem populi copiam continere potuiſſe videantur. Verum, ut omittamus, vix unum aut alterum ſupereſſe nunc ex communibus quarti & quinti ſeculi templis fidelium, quare certam in univerſum habeamus eorum amplitudinis notionem; neque veriſimile ſit, Chriſtianos, qui tertio ſeculo, ac perſequutionum tempore, AMPLAS, SPATIOSAS, ET LAXAS habuerant ad conveniendum ædes, conceſſa poſtmodum Eccleſiæ pace, auctoque

ctoque magis ac magis eorum numero; niſi anguſtiſſimas Eccleſias non habuiſſe; quum immo illorum Scriptores temporum de Templis ac Baſilicis exſtructis magnificentiſſime loquantur; erraret adhuc tamen maxime, qui ſibi perſuaderet, fideles quarto quintoque ſeculo in publicas ſacras ædes una ſemper convenire conſueviſſe; aut eos alia non habuiſſe loca, in quibus ſacrum celebrarent, quam Eccleſias publicas & templa. Probari ſane non indiget, ſacra apud ethnicos, alia fuiſſe publica & communia, alia domeſtica & privata; quemadmodum nec indiget probari, Judæos, præter templum ac ſynagogas, habuiſſe adhuc proſeuchas ſuas, cœnacula, oratoria, denique domeſtica, in quibus precum communium cauſſa convenirent. Morem eiuſmodi non tantum imitati fuerant Chriſtiani, quod ex Gentilibus eſſent, atque ex Judæis, verum etiam magis occaſione ac neceſſitate perſequutionum, quibus factum fuit, quemadmodum vidimus, ut privatis in ædibus collectas facerent, & ibi ſacra celebrarent. Quamvis igitur conceſſa Eccleſiæ pace Templa & Baſilicas Chriſtiani publice erexiſſent, haud ceſſaverunt tamen a ſynaxibus adhuc habendis in privatis domibus, ac inolitum morem diu ſervaverunt; quare enim, nemine adhuc prohibente, a conſuetudine tam apta facilique receſſiſſent? Data opera id oſtendit Vir Cl. Johannes Baptiſta Gatticus in opere de Oratoriis domeſticis capite IV. ubi ſcilicet agit *de frequentia domeſticorum Oratoriorum per priora Eccleſiæ ſecula non penitus deleta ceſſatis perſecutionibus.* Quod

 enim

enim Patres Synodi Laodicenæ anno CCCLXXII. habitæ, Canone LVIII. ſtatuerint: *Quod non oportet, in domibus fieri oblationes ab Epiſcopis, ac Presbyteris*; præterquamquod oſtendit frequentiſſimam fuiſſe eiuſmodi conſuetudinem, ut tamen allegatus Auctor optime animadvertit, nil aliud Patres illius ſynodi voluerunt, quam quod ſynodus Gangrenſis, quæ Euſtachianos quoſdam damnavit, qui publicos conventus contemnentes, particulares tantummodo ſynaxes urgebant; illis ſiquidem damnatis, ita Gangrenſes Antiſtites proteſtati ſunt: *Domos Dei honoramus, & conventus, qui in iis ſunt, tamquam ſanctos & utiles, ſuſcipimus*, *PIETATEM IN PRIVATIS DOMIBUS NON CLAUDENTES, ſed omnem locum in nomine Dei honorificatum honoramus, & congregationem in eadem Eccleſia factam pro utilitate communi recipimus.* Quibus ſignificare intendebant Patres, haud rejicere ſe quidem ſynaxes, quæ rite privatis in ædibus celebrarentur, dummodo Euſtachiano errore non contemnerentur publici conventus, ac ſynaxes, quæ communibus in Eccleſiis fiebant. Sive tamen quod ea labes longius ſe ſe non effudiſſet; ſive quod ſpeciales illæ ſynodi legem aliis in locis ac provinciis non facerent: certum eſt, alibi toto quarto & quinto ſeculo fideles privatis in ædibus ſynaxes & ſacrum celebrare perrexiſſe, ut exempla bene multa evincunt a laudato Gattico allegata; immo & ab ipſo Cabaſſutio ad citatum Canonem Laodicenum: quamvis nonniſi de ſequiorum diſciplina temporum ſollicito, & ad illius rigo-

rigorem & formam antiquiorum libertatem ac ſimplicitatem morum trahere conſueto.

Et ſane ſi quarto quintoque ſeculo per univerſales Eccleſiæ leges publicam convenire in Eccleſiam cuncti fideles debuiſſent, qui potuiſſet vigilantiſſimus earum cuſtos Chriſoſtomus monere, urgere, ſupplicare, gratia petere, ac denique edicere, ut ſinguli divites ruri domeſticam Eccleſiam extruerent, SACERDOTESQUE AC DIACONOS alerent, ac ſecum haberent? Præter domeſticas vero proſeuchas, & Oratoria, aliis ætate illa non carebant fideles locis, in quibus publicas agerent ſynaxes. Vir Cl. Paullus Maria Paciaudus, Regiæ Parmenſis Bibliothecæ Præfectus, ingenio ac eruditione cum paucis conferendus, præclariſſimo in opere de ſacris Chriſtianorum Balneis, quarto & quinto ſeculo, non ſolum divina myſteria a fidelibus, verum etiam concilia, & ſolemnes conventus ab Epiſcopis habitos PUBLICIS IN BALNEIS AC THERMIS, amplis illis quidem, ſpatioſis, ac pacatis locis, capite X. oſtendit. Locus autem Athanaſii nuper allegatus fidem facit, Ægyptios illius ætatis fideles, ante ampliores Baſilicas extructas, ſolitos fuiſſe egredi ab urbe, ſuoſque ſacros cœtus agere SUB DIO, ET AGRESTIBUS IN LOCIS; quod æque in Africa eveniſſe conteſtantur ſynodi Carthaginenſes imperantibus Honorio, ac Theodoſio celebratæ, quibus ob adiecta denique incommoda interdictum, ne plebes IN AGROS ET VINETA excurrerent, neve in illis altaria erigerent, ac nimium frequentes

cœtus celebrárent. Ferdinandus Mendoza ad Canonem XXXVI. Concilii Illiberitani, allegans Canonem III. Antiſſiodorenſem: *Non licere conventus in domibus propriis, vel vigilias in feſtivitatibus Sanctorum facere*; hanc illi exegeſim appingit: *Eo decreto voluerunt Patres non vigilias interdici Sanctorum, ſed ne in domibus propriis eas fideles celebrarent, UT GALLI TUNC AGERE SOLEBANT, antiquam ſectantes Gentium vanitatem, quæ ſacrificia, & ſacra apud arbores, & fontes exſolvebant. Antiquam autem Galliæ ſive conſuetudinem, ſive corruptelam PERAGENDI SACRA EXTRA ECCLESIAM IN HORTIS VEL DOMIBUS ſecularium; Patres Concilii Pariſienſis docent &c.* Joſeph Vicecomes in obſervationibus Eccleſiaſticis de antiquis Baptiſmi ritibus & cæremoniis libro I. capite 4. optime oſtendit, quum UNIVERSUS FERE ORBIS olim Baptiſmum peteret, neque certis locis uno temporis ictu ſalutare lavacrum potuerit pluribus miniſtrari, propterea privatis in domibus collatum illud principio fuiſſe, deinde in mari, in fluminibus, in fluviis, in ſtagnis, donec ſub Conſtantino ventum eſt ad Baptiſteria publica, quæ tamen primum EXTRA URBES extructa, ut eiuſdem libri capite 6. manifeſtat.

Neque heic vero quis aut diei Dominicæ Syinaxim objiciat, aut celebrationem ſacrificii, aut Presbyteros uni tantum Eccleſiæ per illa tempora addictos. Primo ſiquidem Patres Illiberitani, etiamſi ſeveriorem in diſciplinam proclives, ita Canone XXI. ſtatuerunt: *Si quis in Civitate poſitus*

ſitus TRES DOMINICAS *Eccleſiam non acceſſerit; tanto tempore abſtineat, ut correctus eſſe videatur.* Ferdinandus Mendoza in explicatione huius legis alias Synodos adducit, frequentiorem acceſſum ad Eccleſiam Dominicis diebus poſtulantes: ſed tales Synodi poſteriorem ad ætatem pertinent. Convenere ſemper tamen die Dominico, ac in aliis etiam feſtivitatibus fideles. Verum ubinam convenere? Non tantum in publicis Eccleſiis, ſed etiam alicubi, & aliquando, pro diverſitate locorum, opportunitatum, atque temporum; IN DOMIBUS, IN HORTIS, IN BALNEIS, IN THERMIS, AGRESTIBUS IN LOCIS, IN VINETIS, AD MARTYRIA, SCILICET AD SEPULCHRA MARTYRUM EXTRA URBES, AD MONASTERIA. Nam Concilium Chalcedonenſe, anni CCCCLI. quod Canone VI. ſtatuit: *Nullum omnino ordinari oportere nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui ſunt in Ordine Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia Civitatis, vel pago, vel martyrio, vel monaſterio deſignetur*; eiuſmodi, inquam, Canon, ut vulgo legitur, ſatis manifeſtat, ea ratione, qua ſolemnes conventus ad Eccleſias urbium, & pagorum; ita etiam ad martyria, & monaſteria fuiſſe celebratos. Dixi, ut vulgo legitur; quippe quum textus habeat: *εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως, ἢ μαρτυρίῳ ἢ μοναστηρίῳ ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο*, patet, agi non de deſignatione, & alligatione ad loca illa, ſed de publicatione potius nominum eorum, qui ordinandi erant, ut confeſtim dicemus, ac ſenſus

&

& ſpiritus Canonis evincit, qui ſe ad minores etiam ordines extendit. Ad monaſteria propterea frequentes convenerint oportet plebes, ſi in illis æque, ut in matricibus Eccleſiis, eorum nomina, qui ordinandi erant, debebant publicari. Monaſteriorum ſane nomine *Baſilicas* comprehenſas fuiſſe, vocataſque, ex innumeris epiſtolis Gregorii Magni intelligimus, aliiſque veteribus apud Cangium ad V. *Monaſterium*. In illis Sacramentum Baptiſmatis fuiſſe libere a Monachis collatum, eo quod Catechumeni frequens in Monaſteriis inſtruerentur, Mabillonius, & Zelargius ex Hieronymo, Euthymio, Ferreolo, &c. oſtendunt. Poſt adeo mutatam Eccleſiaſticæ diſciplinæ formam, tot poſt vices ac infauſta monaſteriorum fata, poſt tantam demum temporis diuturnitatem, tot adhuc ſunt Parœciæ ad monaſteria pertinentes; multo plurium miſerabiles reliquiæ.

Laudatus Gatticus nedum hæc memorare potuit capite VII. de Oratoriis domeſticis, verum capite 4. fuſe egit de multitudine Presbyterorum, qui quarto quintoque ſeculo variis in urbibus ac provinciis diverſati, extra publicas Eccleſias, inque privatis conventibus ac domibus, ſacrificium offerebant; ſynchronis id oſtendens certiſque monumentis; quod antea a docto Franciſco de Berlendis æque præſtitum in opere de oblationibus ad altare, ubi §. XI. num. 2. Aliud nobis ſuppeditat remedium ac ſupplementum adverſus veteres anguſtas nimium Eccleſias a Leone Pontifice Romano derivatum. Ita enim epi-

ſtola

ſtola LXXXI. quæ eſt ad Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum Sanctus Pontifex ſcribebat: *Cum ſolemnior feſtivitas conventum POPULI NUMEROSIORIS indixerit, & ad eam TANTA FIDELIUM MULTITUDO convenerit, quam recipere Baſilica ſimul una non poſſit, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur: ne his tantum admiſſis ad hanc devotionem qui primi advenerint, videantur hi, qui poſtmodum confluxerint, non recepti; cum plenum pietatis atque rationis ſit, ut quoties Baſilicam, in qua agitur, præſentia novæ plebis impleverit, toties ſacrificium ſubſequens offeratur. Neceſſe eſt autem ut quædam pars populi ſua devotione privetur, ſi unius Miſſæ more ſervato, ſacrificium offerre non poſſint, niſi qui prima diei parte convenerint.* Et vero ſacrificii tum matutini, tum veſpertini mentionem habemus non modo apud Tertullianum, & Cyprianum, ſed etiam apud Theodoretum, libro IV. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 14. ad quem Valeſius ex Amalario adnotat, veſpertini morem ſacrificii diutiſſime, præſertim in Quadrageſima, permanſiſſe. Heinc illa fidelium in Quadrageſima ad Eccleſias frequentia, de qua nuper Athanaſius: ex quibus omnibus patet, amplitudinem quidem ſacrarum ædium deeſſe fidelibus aliquando potuiſſe, numquam ipſis defuiſſe tamen ampla & ſpatioſa loca ad conveniendum deſtinata; nec anguſtiam veterum Templorum trahi in argumentum poſſe exigui numeri fidelium. Ut enim olim dicebat Themiſtocles: Patriam municipes eſſe, non mœnia; civitatemque non in ædificiis, ſed in civibus poſitam: ita &

de

præclare de quiete ac tranquillitate Reipublicæ dixiſſet, repente puero Ambroſium Epiſcopum exclamante, vox univerſi populi erupit, Ambroſium Epiſcopum depoſcentis. Congregatus igitur videtur in unica ſacra æde univerſus Mediolanenſis fidelis populus, ad electionem Epiſcopi advocatus.

Sed quantum & heic Clarkſonum ſua ratio fallat, dici vix poteſt. In eo refellendo non agemus certe de jure populi in electione Miniſtrorum ſacrorum; tum quod fuſe ſatis ſapienterque ea de quæſtione dixerint præſtantiſſimi orthodoxi; tum etiam quod innumeros Epiſcopos, ac Presbyteros, abſque interventu, aut conſenſu populi, a ſolis Apoſtolis, ac eorum συνεργοῖς fuiſſe inſtitutos, candide faſſi ipſi ſint Grotius, Seldenus, Wittinga, Spanhemius, Pfaffius &c. Quum de numero & copia fidelium ſit præſens controverſia, proinde facti potius, quam juris ratio in examen revocanda eſt. Jam vero ubi ſermo fit de univerſis alicuius Eccleſiæ fidelibus, nec omittendæ ſunt Chriſtianæ fœminæ, ſive mulieres, ſive virgines, aut viduæ; nec adoleſcentes, pueri; atque etiam infantes baptiſmate donati, non pœnitentes, non Catechumeni, non ægri &c. &c. Num, rogo, iſti iſtæque ad habendam conſultationem de gravioribus negotiis, aut ad Epiſcopum eligendum conveniebant? Quinam igitur tunc aderant? Id vice noſtri docebunt infenſiores Eccleſiaſtico Ordini Scriptores, & qui de jure populi circa ſacra magis ſolliciti fuere, videlicet Chriſtianus Thomaſius, qui poſtquam ad tit. VI. libri

lib. I. Inſtitutionum Juris Canonici Lancelotti conſtituit, *jus illud, non pro lege intelligendum eſſe, ſed pro FACULTATE, cui renunciari poteſt*, ad tit. VII. ſubdit: *Populus ad eiuſmodi conventus RARIOR acceſſit, cum negligi A PLEBE plerumque ſoleat, ex quo nullum ſperari poſſit compendium.* Bohmerus quoque in obſervationibus ſelectis ad librum I. Petri de Marca de Concordia Sacerdotii, & Imperii, obſervatione V. §. 5. docet: *Regimini Eccleſiaſtico Presbytero, ſive ſeniores ex plebe, ECCLESIAM REPRÆSENTANTES præfuiſſe, ac externam directionem ſaltem A PAUCIS nomine totius Eccleſiæ fuiſſe adornatam. Quicquid enim, QUI CŒTUM REPRÆSENTANT, faciunt, pro eo habendum, ac ſi ab univerſo cœtu factum fuerit.* Quî igitur ſibi fingit Clarkſonus univerſos amplioris etiam Eccleſiæ fideles quarto ſeculo eadem ſimul in æde congregatos?

Haud ignoramus, Bohmerum, ne Blondello nimium adverſaretur, addidiſſe, in aliquibus negotiis maximi momenti, fuiſſe plebem aliquando omnem advocatam, quæ facta a Presbyteris confirmaret, cuius exemplum rei ponit in reconciliatione pœnitentium, quos nonniſi ex conſilio ac judicio Cleri una & populi plebiſque ad Eccleſiaſticam communionem admiſſos fuiſſe, ex pluribus Cypriani epiſtolis probare ſatagit, non modo citatis in obſervationibus, verum etiam, ut eſt æternus ſuarum repetitor ſententiarum hic Auctor, in adnotationibus ad Inſtitutiones Juris Canonici Claudii Fleury, rurſus in Schiltero ſuo illuſtrato, & magis diſſertatione III. Juris Eccle-

ſiaſtici

ſiaſtici antiqui, ad Plinium Secundum, & Tertullianum, quæ eſt de confœderata Chriſtianorum diſciplina, quorum ſcilicet ex libera ac mutua confœderatione, jus omne repetit pœnitentiale. Verum, præterquamquod illa agendi ratio, qua plebs & populus una aliquando cum Clero in conſilium advocatus eſt, ubi non juris & fidei, ſed aliqua facti quæſtio erat in examen revocanda, illa, inquam, agendi ratio fuit omnino propria Cypriani, ut ipſe proteſtatur epiſtola ſua V. ac præterquamquod talis agendi rationis, ubi reconciliandi erant nonnulli pœnitentes, ſpecialiſſimas ſe habuiſſe cauſſas inquit Cyprianus, quas deſcribit in epiſtola ad Romanum Pontificem Cornelium: quare nec minimum emergit idem credendi, judicandique aliis de cœtibus ac Eccleſiis, aliiſque de Epiſcopis, ac temporibus fundamentum; non videntur adhuc nobis Blondellus, Bohmerus, Rigaltius, Clarkſonus &c. ſancti Patris mentem, aut ſingularis illius diſciplinæ ordinem aſſequuti, dum præter Presbyteros & Clerum, etiam laicos advocandos eſſe ſcripſit Cyprianus, ut ſtatueretur an aliqui digni eſſent, qui ad pacem & Eccleſiæ communionem iterum admitterentur. Num enim de plebe ac populo totius Carthaginenſis Eccleſiæ convocando ſcripſit Cyprianus? Nil profecto minus, ſed de LAICIS STANTIBUS, deque STANTIUM PLEBE, ſemper loquutus eſt, de illis ſcilicet, qui conſtantiores perſtiterant in perſequutione, quoſque non terruerat funeſtus tyrannorum apparatus. Ita ille ſiquidem epiſtola edi-

editionis Pamelii XVI. ad Presbyteros, & Diaconos de lapſis: *Ceteri, qui nullo libello a Martyribus accepto, invidiam faciunt, expectent de Domini protectione Eccleſiæ ipſius publicam pacem: hoc enim & verecundiæ & diſciplinæ, & vitæ ipſi omnium noſtrum convenit: ut Præpoſiti cum Clero convenientes, præſente & STANTIUM PLEBE, QUIBUS ET IPSIS PRO FIDE ET TIMORE SUO HONOR HABENDUS EST, diſponere omnia conſilii communis religione poſſimus.* Hoc ſancti Martyris conſilium Romanus Clerus, epiſtola ſua, quæ eſt inter Cyprianicas, probavit, his ad eum verbis reſcribens: *Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipſe tractaſti: prius Eccleſiæ pacem ſuſtinendam: deinde ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, pariter ac STANTIBUS LAICIS, facta, lapſorum tractare rationem.* Neque diverſa rem exhibent ratione Moyſes, & Maximus, ceterique Confeſſores, in ſua ad S. Martyres epiſtola, æque inter Cyprianicas, ubi inquiunt: *Quum grande delictum, & per totum orbem INCREDIBILI VASTATIONE graſſatum, non oporteat, niſi, ut ſcribis, caute moderateque tractari, conſultis omnibus Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Confeſſoribus, & IPSIS STANTIBUS LAICIS; ut in tuis literis ipſe teſtaris.* Quoti nam vero erant eiuſmodi STANTES laici a Cypriano in conſilium advocandi? Pauciſſimi profecto, quemadmodum ipſemmet teſtatur epiſtola VI. ſcribens: *Dominum deprecemur ſic, ut deprecari oportet eos, qui poſiti ſunt inter numeroſam*

roſam languentium ſtragem, & EXIGUAM STANTIUM firmitatem. Non omnis igitur plebs gravioribus etiam in negotiis advocata eſt, unoque ſub lare ſimul, ac uno tempore collecta. Quod ſi univerſo etiam de populo dixiſſet Cyprianus, aut alius quicumque Scriptor, obvium eſt, eos de frequentiore plebis conventu eſſe intelligendos, pro communi, perpetuoque dicendi modo & more, ut populus omnis alicui dicatur facto interfuiſſe, dum copioſa populi pars adfuit, aut negotium fuit celebritate publica peractum; quemadmodum, hoc agens de argumento, Jacobus ipſe Baſnagius fatetur, atque explicat libro hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ I. capite 6.

Fac vero ad univerſæ deſiderium plebis fuiſſe Epiſcopos aliquando eligendos, num propterea unum omnes, qui ad ampliorem Eccleſiam pertinebant, in locum convocandi? Id minime admittet, qui Lampridium legerit in Severi vita ſcribentem: *Ubi aliquos voluit vel Rectores Provinciis dare, vel Præpoſitos facere, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus; dicebatque: grave eſſe non fieri in Provinciarum Rectoribus, cum id CHRISTIANI, & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt.* Facem exhibet ethnicus quamvis Scriptor, ut imaginem nobis rationis & formæ, qua δοκιμασίας illud jus, ut aliqui appellare amant, populus exercebat, aut ipſius magis poſtulabatur teſtimonium, præformare valeamus. Scilicet apud noſtros, ætate Severi Cæſaris, nomina eorum, qui ſacrum ad-

miniſterium admovendi erant, populo proponebantur, ut ſi quis quid eligendo objiciendum haberet, quod cum ſanctitate muneris pugnaret, Præfectos monere poſſet, ne ipſum conſecrarent: quod hodierna etiam die in publicis obtinere denuntiationibus, ignorat nemo, Guilielmus ſane Beveregius in Canonem VI. Concilii Chalcedonenſis ad V. ἐπικηρύττοιτο adnotat, *nomina Epiſcoporum publice propoſita fuiſſe, priuſquam antiquitus ordinarentur*; quod & Maurinis editoribus operum ſancti Gregorii Magni animadverſum ad lib. I. Regiſtr. Indictione IX. epiſtola 15. Quum autem potuerint eiuſmodi nomina pluribus in cœtibus & conventibus proponi, nulla erat neceſſitas, ut una omnes convenirent eiuſdem ampliſſimæ urbis fideles.

Quarto ſeculo occaſione ſchiſmatum, ſtudioque illorum, qui Epiſcopatus ambiebant, ſeditiones plebis aliquibus in electionibus ortæ ſunt; quarum proinde cauſſa Synodus Laodicena Canone XIII. ſtatuit, *non licere TURBIS electiones eorum facere, qui altaris miniſterio applicandi ſunt*. Legem tamen hanc ſibi temperandam ſumſit Juſtinianus Imperator, edicens, ut *HONORATIORES tantum de populo ad probuleuma cum Clero & Epiſcopis admitterentur, vili plebecula excluſa*, uti Thomaſius ipſe monet ad tit. VII. lib. I. Idque exequutioni demandatum fuiſſe ex Liberato diſcimus, qui capite XIV. in locum Dioſcori, Proterium electum fuiſſe ait *a NOBILIORIBUS civitatis, & ab Epiſcopis*. Zeno quoque Imperator conſtituit, apud Evagrium libro III.

ca-

capite 12. ut Alexandriæ ille fieret Epiſcopus, *ὃν ὁ κλῆρος καὶ τὸ κοινὸν quem Clerus, & COMMUNE*, hoc eſt, corpus civitatis *elegiſſent*. Græcæ ſiquidem urbes τὸ κοινὸν habebant; ſicut & Λογιςὰς, & Πολιτευομένους, viros nempe civitatis multitudinem, & populum repræſentantes: proindeque, id quod ab illis conſtituebatur, a populo fieri dicebatur univerſo; quare quos Auctor libri I. Machabæorum capite 12. vocat *Seniores populi*, Flavius Joſephus libro Antiquitatum XIII. capite 9. *univerſum populum* appellat. Occidentales autem, quæ Romano ſub Imperio erant urbes, ſuos habebant Duumviros, Quæſtores, Cenſores, Curatores &c. qui aliquibus in negotiis populum repræſentantes, ipſius etiam nomine agebant. Hinc laudata Cæſarum edicta, ad exemplar eorum prudenter lata arbitramur, quæ prioribus ſeculis evenerant in deſignationibus ſacrorum Miniſtrorum; ad quas videlicet non omnis populus, ſed ſeniores modo quidam, & graviores inter populum, teſtimonii, & Eccleſiaſticæ œconomiæ cauſſa advocabantur.

Quod ut expreſſiore exemplo explicemus, mentem convertimus in ea, quæ ſequiori ætate evenere. Nam tametſi medio, ac inferiori ævo dubitari non poſſit, innumeros Epiſcopos fuiſſe abſque ulla populi electione, aut conſenſione conſecratos; infinita prope tamen eorumdem temporum monumenta fidem faciunt, innumeros itidem Epiſcopos fuiſſe *a Clero, & a populo electos*, quemadmodum tot epiſtolæ Romanorum Pontificum evincunt, ipſeque adeo Ordo Romanus:

 aut

aut populum ſaltem electionibus Epiſcoporum conſenſiſſe in Oriente uſque ad Concilium Nicænum II. & alicubi uſque ad octavam Synodum; in Occidente vero uſque ad finem ſeculi XII. ut fuſe probat Petrus de Marça libro VI. de Concordia Sacerdotii & Imperii capite 2. Certum jam vero eſt, everſo Imperio in Occidente, Italicas, quemadmodum & Gallicas, & Germanicas urbes, quæ Longobardicis ſub Regibus, ſubque Gallicis, & Germanicis Imperatoribus fuere, non adhuc Duumviros, Quæſtores, Cenſores, & Curatores habuiſſe, qui populum repræſentarent; quum ab adminiſtris Regum, & Imperatorum ea omnia procurata fuerint, quæ ad œconomicam urbium utilitatem & commodum pertinebant; nec ullum τὸ κοινὸν, aut COMMUNE, & corpus civitatis in hiſtoria Italicarum urbium medii ævi comparere: quum eædem formam liberi regiminis, viroſque populum repræſentantes, niſi XII. demum ſeculo ſibi non aſſeruerint; quod exemplum Gallicæ, Belgicæque civitates imitatæ, deinde etiam ſub Principibus, ſi non libertatem, aſt communitatis tamen umbram & nomen, ac veluti corpus retinuere, quemadmodum & in Italicis factum eſt, ut fuſe oſtendit Muratorius, Vir Cl. diſſertatione XLV, antiquitatum Italicarum medii ævi. Eo adhuc tamen temporis, quo Occidentales urbes corpore, atque etiam nomine carebant communitatis, paſſim dicuntur earum Epiſcopi *a Clero, & a populo electi.* Num igitur cogitabimus univerſum illarum urbium populum ad electiones con-

convenifſe? nil profecto minus; quum quanam ratione illud eveniret, eruere ex decreto valeamus *Cleri, & populi Placentini* de electione Guidonis in Epiſcopum, quod ex Campio, Tomo I. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illius urbis, Patriæ meæ, adfert in allegata diſſertatione Muratorius: eiuſmodi ſiquidem decreto ſubſcriptos hierarchico reperimus ordine Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acolythos, *& viginti ſex e populo*, quos, veluti *Regionarios quoſdam* fuiſſe, Vir idem in rebus hiſce verſatiſſimus exiſtimat. Hoc uti poſſumus exemplo ad aliquam nobis notionem præformandam rationis atque modi, quo prioribus Eccleſiæ ſeculis populus convenire potuerit cum Clero ad electionem ſacrorum Miniſtrorum. Facile nempe præconcipitur, etſi Chriſtiani tunc COMMUNE non haberent, nec viros jure populum REPRÆSENTANTES; ſeniores tamen aliquos ac prudentiores fideles laicos, fuiſſe aliquando ab Epiſcopis vocatos, ut exemplo & auctoritate ceteris præirent, ac de eligendo etiam Epiſcopo teſtimonium ac voluntatem populi oſtenderent: quo pacto Epiſcopi deinde dicti ſunt *a Clero & a populo electi*. Verum quemadmodum ex hoc dicendi modo nemo prudens intulerit, medio ac inferiore ævo aut omnes omnino inſigniorum etiam urbium fideles unum in templum conveniſſe; aut eos octavo etiam & nono ſeculo amplioribus etiam in urbibus exiguo fuiſſe numero; ita nil eiuſmodi conſequi fas eſt de fidelibus priorum temporum; ſed potius, quemadmodum ſequiori ætate univerſo probatum fuiſſe

populo dicitur ac intelligitur, quod ab honeſtioribus, aut paucis populum repræſentantibus fiebat, tunc ſcilicet, dum Epiſcopalis dignitas, aliquibus ſaltem in locis, ad Reipublicæ ipſius ordinem, & commodum pertinere videbatur: quam ſatius id priori de ætate exiſtimandum eſt, qua & morigeræ magis plebes, & Epiſcopatus oneris magis erat, quam honoris?

CAPUT XIV.

De exterioribus cauſſis, occaſionibus, ac mediis, quibus veterum Chriſtianorum numerus adeo auctus, & amplificatus eſt.

PRinceps tam ſtupendi prodigii cauſſa e divino conſilio, ac myſterio repetenda eſt. Vix enim manifeſtato orbi Chriſto, ut Prophetæ verbis utar, populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis. Dux humano datus fuit generi admirabilis, conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis. Cur igitur ad eum populi & Gentes maximo non fuiſſent numero ſtatim & celerrime converſæ? Lactantius libro Divinarum Inſtitutionum V. capite 26. Acta Chriſti nedum oſtendiſſe divinitatem eius docuit, ſed omen etiam & pignus fuiſſe converſionis cordium, & univer-

verſalis prope fidei in ipſum. *Hæc inenarrabilis poteſtas*, inquiebat, *imago maioris virtutis fuit; quæ demonſtrabat tantam vim habituram doctrinam ſuam, ut GENTES IN TOTO ORBE, quæ alienæ a Deo, ſubiectæ morti fuerunt, cognitione veri luminis animatæ, ad immortalitatis præmia pervenirent.* Quamvis autem divina prodigia humanis mediis ac occaſionibus vix fiant, noſtraque divino Spiritui ac dono debeatur fides, uti ſpes, & charitas, & ſalus: attamen in mira illa, citiſſima, & maxima Chriſtiani dogmatis propagatione, divinus etiam ſe ſe digitus oſtendit in iis, quæ præparata cœlitus, ac exterius contingentia, ſingulariſſimum illum effectum produxere. Et vero tum veteres, tum etiam recentiores Chriſtianæ rei, ac originis Scriptores egregie animadverterunt, ad Evangelium longe lateque, ac cito proferendum, opportune feciſſe tot tantoſque, quamvis diverſos, populos ſub uno Romano Imperio collectos; ſicut enim Imperiorum, populorumque vicibus & fatis uſa eſt ſapientiſſima Numinis æterni providentia; quo ſuam olim Hebræorum gentem, ac Judaicam Eccleſiam vel foveret, præmioque, commodis, ac victoriis donaret, vel aliquando contineret, atque etiam puniret; ita æque voluiſſe Deum aiunt, omnes fere gentes invicem olim ignotas & inviſas, adveniente Meſſia demum ac Salvatore Chriſto, unam Romano ſub Imperio conſtituere veluti nationem, ac prope dixerim domum & familiam, unoque ſub fœdere ac nomine egiſſe, quo promptior, citiorque & am-

plior Chriſtiani foret luminis progreſſus. Ex arctiſſimo quippe, quod intercedebat inter omnes partes Romani Imperii commercio fieri oportebat, ut ſingularium fama rerum cunctas celeriter ac ſtatim pervagaret regiones, ferreturque per ora virûm quidquid animum ac mentem ciere mortalium poterat, ſoletque: novum præſertim genus Religionis: heinc illud Tiberii ſtudium tribuendi divinos Chriſto honores: heinc templa eidem erecta ab Hadriano: heinc illæ ethnicorum ſapientum de Chriſtianis dogmatibus quæſtiones; fieri quum non poſſet, ut dum univerſæ Imperii gentes tot olim diſſimilia adoptaſſent ſuis in urbibus ethnicorum ſacra, unius ſanctiſſimæ Religionis noſtræ incurioſi eſſent populi, eamque anguſtis reſtrictam limitibus relinquerent.

Fuere nuper, qui Philoſophiam temporis, viam Evangelio faciliorem præbuiſſe arbitrati ſunt. Deſlandius ſiquidem libro VIII. hiſtoriæ Criticæ Philoſophiæ, capite 34. eclecticiſmum opera Potamonis ſub Auguſto inductum conſtituens, eiuſmodi Philoſophiæ genus exiſtimavit idoneam fuiſſe ad amplificandum numerum Chriſtianorum præcurſionem, eoque uſos antiquiſſimos Eccleſiæ Patres, quo facilius evincerent, Philoſophiam, ut inquiebant, noſtram ſelecta, & præſtantiora dogmata omnium ſectarum continere. Alia de cauſſa amplificatam ſtatim fuiſſe fidelium copiam exiſtimavit Monteſquieus libro XXIII. de ſpiritu legum capite 21. ponens nempe, ea jam ætate, qua Religio noſtra prædicari cœpit, a pluribus Philoſophorum ſectis inductam in homines Romani

mani fuiſſe Imperii averſationem neſcio, quam ab omnibus jam everſæ Reipublicæ negotiis, immo ἀπάθειαν veluti domeſtica in officia, & incommoda inductam; heinc perfectionis veluti ideam tunc fere apud omnes contemplationi, meditationique, ac veluti ſolitudini affixam, quæ ſemitam dogmatibus, ac diſciplinæ Chriſtianorum præparaverit. Quonam ſpiritu Auctor Spiritus legum hæc protulerit, ignoro. Simile tamen quid, & quod optimam in partem accipi poteſt, immo & debet, tradidit Euſebius, libro III. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 37. ſcribens: *Ignatii tempeſtate floruit etiam Quadratus, qui cum Philippi filiabus prophetica gratia illuſtris fuiſſe memoratur. Præter hos ALII QUOQUE COMPLURES eodem tempore viguerunt, inter Apoſtolorum ſucceſſores Principem obtinentes locum: qui utpote diſcipuli tantorum virorum admirabiles plane ac divini, Eccleſiarum fundamenta, quæ variis in locis Apoſtoli prius jecerant, additis ædificiis exſtruxerunt: prædicationem Evangelii magis ac magis promoventes, & ſalutaria regni cæleſtis ſemina PER UNIVERSUM TERRARUM ORBEM late ſpargentes. Siquidem plerique ex illius temporis diſcipulis, quorum animos ardentioris Philoſophiæ deſiderio verbum divinum incenderat, ſervatoris noſtri PRÆCEPTUM JAM ANTEA IMPLEVERANT,* τὴν Σωτήριον πρότερον ἀπεπλήρουν παρακέλευσιν, *diviſis inter egentes facultatibus ſuis. Deinde relicta patria peregre proficiſcentes, munus obibant Evangeliſtarum, iis qui fidei ſermonem nondum audiviſſent, Chriſtum prædicare, & ſacrorum Evangeliorum*

rum libros tradere ambitioſe ſatagentes. Hi poſtquam in remotis quibuſdam & barbaris regionibus fundamenta fidei jecerant, alioſque Paſtores conſtituerant, & novellæ plantationis curam iiſdem commiſerant, eo contenti ad alias gentes ac regiones comitante Dei gratia, & virtute properabant. Adnotat hunc ad locum Willelmus Lowth, Euſebium heic reſpicere fortaſſe eos, qui ſeverioris vitæ inſtituto, & rerum mundanarum contemtu acti jam fuerant; quare præceptum Chriſti de diviſione bonorum pauperibus facienda JAM ANTEA, ſcilicet, antequam Religioni divinæ nomen darent, adimpleverant; quod licet perfectiore ſenſu, non adeo tamen alienum ab ἀπαθείᾳ, & averſatione illa, de qua Monteſquieus diſſerebat.

Bella ipſa & populationes regionum occaſiones fuere, quare & inter Barbaros aliquos fidelium numerus augeretur, ut memoriæ prodidit Sozomenus libro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ II. capite 6. his verbis: *Omnibus fere Barbaris ad Chriſtianam Religionem tranſeundi occaſio oborta eſt ex bellis, quæ Romani ſubinde cum exteris geſſere, principatu Gallieni, & ſequentium Imperatorum: quippe ea tempeſtate quum innumerabilis Barbarorum multitudo ex variis gentibus collecta, & Thracia in Aſiam trajeciſſet, eamque omnem depopulata eſſet, & alii aliunde Barbari Romanos ſibi finitimos pari modo aggreſſi eſſent, multi Sacerdotes Chriſti a Barbaris capti cum illis commorati ſunt &c.* Id præcipue de Gothis intelligendum indicant Socrates, Theodoretus, Philoſtorgius &c. Plures

qui

qui in Aſia, & Palæſtina militaverant, & illic ab Apoſtolis baptizati fuerant, in Italiam demum reverſos, propagationi Evangelii auxilio fuiſſe, jam diximus; nec origines deſunt Eccleſiarum antiquiſſima traditione ab eiuſmodi militaribus expeditionibus deductæ. Quam vero bella apud Barbaros pepererant fidelium copiam, Romanorum auxit Principum favor. Adfert Euſebius libro IV. de vita Conſtantini exemplum epiſtolæ ipſius ad Saporem Perſarum Regem, in qua hunc hortatus eſt, ut Chriſtianos in Perſide agentes benevole complecteretur, his verbis: *Quanta porro voluptate me affici cenſes, quum audio id, quod mihi maxime in votis eſt, CHRISTIANORUM MULTITUDINE nobiliſſima quæque Perſidis loca longe lateque eſſe decorata. Opto igitur ut & tuæ res quam florentiſſimæ ſint, quemadmodum & illorum. Hoc enim modo ſummum omnium Dominum ac parentem Deum, propitium ac placatum habiturus es. Hos itaque, quandoquidem talis tantuſque es, tibi commendo. Hos, quandoquidem pietate excellis, tibi in manum trado. Hos pro tua humanitate complectere &c.* Sed & aliquorum Gentilium Cæſarum in noſtros benignitatem in cauſſa fuiſſe maximi in Imperio fidelium incrementi, ſatis animadverſum eſt.

Hoc ſiquidem in loco opportunius interioribus, ut ita dixerim, ac nobilioribus de mediis dicendum eſt, ad Religionem quammaxime proferendam eidem ipſi divinitus conceſſis. Et vero vix Chriſtus aſtra aſcenderat, ut, miſſo Sancto Spiritu, Apoſtolis non ſolum, eorumque ſucceſ-

ſoribus,

ſoribus, & ἀπαρχαῖς; verum etiam talia univerſæ primorum temporum Eccleſiæ ſigna tribuit; prodigia, dona, virtutes, viſiones, chariſmata, & portenta, *quæ non tam trahebant ad Chriſtum, quam COACTOS ETIAM, ET INVITOS RAPIEBANT*, ut Origenis verbis utar lib. I. contra Celſum. ὅτι πολλοὶ ὥσπερεὶ ἄκοντες προσεληλύθασι χριστιανισμῷ; proindeque magis magiſque numerum augebant Chriſtianorum. Ceſſante vero immenſa illa viſibilium chariſmatum ac ſignorum copia, ſe ſe ſolida conſtantique cum pietate vis protulit & eloquentia tot Eccleſiæ luminum, totque ſanctorum Patrum & Antiſtitum, qui dum idololatriam oppugnarent, pulchritudinem cœleſtis vitæ patefecerunt hominum mentibus, & mirabiles in eorum animis Chriſtiani dogmatis ardores excitaverunt. Vel ii ſoli, quorum ad nos ſcripta pervenere, ſatis intelligitur quanta ſapientia præſtarent: quare egregie Hieronymus præfatione in Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum: *Diſcant igitur Celſus, Porphyrius, & Julianus, rabidi adverſus Chriſtum canes, DISCANT EORUM SECTATORES; qui putant Eccleſiam nullos Philoſophos, & eloquentes, nullos habuiſſe Doctores, quanti & quales viri eam fundaverint, exſtruxerint, ornaverint, & deſinant fidem noſtram ruſticæ tantum ſimplicitatis arguere; ſuamque potius imperitiam agnoſcant.* Clemens tamen Alexandrinus libro I. Stromatum inquiebat: *Si eſt igitur MESSIS QUIDEM MULTA, operarii autem pauci, revera orare oportet, ut maxime ſit plurium operariorum copia. Eſt autem duplex agri-*

cul.

cultura: *una quidem*, *quæ non ſit ſcriptis*, *altera vero*, *quæ ſit ſcriptis*. Reineſius libro I. variarum lectionum capite 22. hunc illuſtrans locum, explicato diſcrimine eorum, qui ſcriptis Eccleſias collegerunt, & docuerunt, aliorumque, qui voce tantum, & ſacrarum adminiſtratione rerum primos Chriſtianos ad pietatem inſtituerunt, animadvertit, primis Eccleſiæ temporibus plures ἀγράφῳ γεωργίᾳ, quam elucubrationibus & ſcriptis claros inveniri. Si, Hieronymo teſte, tot tantique prioribus ſeculis Scriptores cœleſtis doctrinæ floruere; ſed adhuc multo plures ſola voce & prædicatione, nec non Sacramentorum adminiſtratione, egregii viri Eccleſias fundarunt ac rexerunt, & adhuc, judice Clemente Alexandrino, ſuo tempore, MESSIS MULTA ERAT, OPERARII VERO PAUCI, quanta, obſecro, fuerit oportet fidelium gregalium multitudo! Guilielmus Cavæus in hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum, de Athenagora agens, pluribus evincit, rem Chriſtianam egregie fuiſſe SECUNDO SECULO promotam non modo a ſcholis Eccleſiaſticis privatis, quales haberi in Eccleſiis maioribus ſolebant; verum etiam a publicis, quas ſanctiſſimi Præſules dogmatibus explicandis deſtinaverant, & in quibus Principatum tenuit Alexandrina, cuius ortum, ſplendorem, inſignes Præceptores, & fructum uberrime ipſe deſcribit. Verum toto illo temporis ſpatio, quo perſequutiones in noſtros ſævierè, nil magis Chriſtianorum auxit cenſum fortitudine & conſtantia beatorum Martyrum; propterea quippe illud tunc

evenit,

evenit, quod Tertullianus ſcripſit in fine Apologetici: *Quis enim non contemplatione eius concutitur ad inquirendum quid intus in re ſit? Quis non ubi requiſivit, accedit?* Verum hæc adeo nota, & vulgata ſunt, ut illuſtrari non indigeant.

Immo hucuſque memorata mentem potius movere poterant, quam animum eorum, qui de ſacris noſtris ſuſcipiendis cogitaſſent. Fuit profecto, fuit aliud fortius, illuſtrius, efficacius augendi fidelium numeri inſtrumentum ac medium, ſingulariſſima ſcilicet noſtrorum charitas, humanitas, hoſpitalitas, beneficentia, multaque magis benefaciendi modus, & ratio, & communis diſciplina. Nam quum primum luce Evangelica perfunderetur orbis, OBLATIONIBUS, PRIMITIIS, SPORTULIS, ac totius rei familiaris, in Eccleſiæ pauperumque ſubſidium venditionibus, nihil decantatius. Inducta deinde ſunt PTOCHIA, XENODOCHIA, NOSOCHOMIA, BREPHOTROPHIA, & ſimilia, quæ dici vix poteſt, quot quantoſque noſtram ad ſectam traxerint, olim etiam alienos a nobis, infideles. Vitio ſiquidem humanæ infirmitatis amabimus ſemper, plurimique faciemus, & libentiſſime ſequemur eos, quos totos videmus in officiis erga proximum, neglectis contemptiſque iis, qui magis eſſe volunt in officiis erga Deum. Eas igitur virtutes, illamque agendi rationem in cauſſa fuiſſe immenſi primorum Credentium numeri, noſtra non tantum evincunt monumenta, ſed nobis infenſiſſimus faſſus eſt aperte, quamvis invitus, Julianus, in fragmento epiſtolæ ita ſcribens: *Etenim quoniam*

niam ita contigit, ut pauperes Sacerdotibus negle-ctui eſſent, hoc animadverſo nefandi Galilæi in id humanitatis genus incubuerunt, peſſimumque faci-nus hac officii ſpecie CORROBORARUNT: ve-lut qui pueros placenta aliqua decipiunt, quam quum bis terve illis dederint, & ad ſe ſequendos hac arte pellexerint, demum ab ædibus procul abſtractos, & in navem impoſitos diſtrahunt, ut quod brevem illis jucunditatem attulerat, id acerbum in omni vita ſentiatur. Sic iſti ab ea, quam vocant AGAPE, ET CONVIVIO, MENSARUMQUE MINI-STERIO; (eſt enim uti factum ipſum, ita voca-bulum apud illos frequens,) incipientes, ad con-temptum Deorum, impietatemque fideles perducunt. ἐϛὶ γὰρ ὥσπερ τὸ ἔργον, ἔτω δὲ ϗ ὄνομα παρ' αὐτοῖς πολὺ πιϛὲς ἐνήγαγον εἰς τὴν ἀθεότητα. In epiſtola au-tem ad Arſacium Galatiæ Pontificem, ubi de re-ſtaurato veluti a ſe Numinum cultu agens, ma-giſque ac magis ethnicos ad media excitans at-que hortans proferendæ idololatriæ, ita eos al-loquitur idem Julianus: *In tam exiguo temporis ſpatio tantam ac talem rerum mutationem paullo ante ne optare quidem quiſque auſus eſſet. Verum quid eſt cauſſæ, cur in hiſce, perinde ac ſi nihil amplius opus eſſet, conquieſcamus, ac non potius convertamus oculos ad ea, quibus impia CHRI-STIANORUM RELIGIO CREVERIT, ideſt, ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis ſepeliendis poſitam, ad SANCTIMONIAM VITÆ, quam ſimulant?* Heinc Theophanes in Chronographia: *Chriſtianorum vero beneficentiam* μιμέμενος *imitatus prævaricator Julianus, peregri-nis*

nis ac egenis res neceſſarias ſuppeditari juſſit. Teſte igitur infenſiore Chriſtianæ Religionis hoſte, CREVERAT ipſa adeo non tantum ob ſanctimoniam vitæ eorum qui Chriſti nomen profitebantur, ſed immo & magis ob eorum humanitatem in pauperes, in peregrinos benignitatem, ob curam in mortuis ſepeliendis poſitam, ob agapas & convivia charitatis, quæ ad beatam illam ſocietatem plurimos trahebant.

Hoc tamen tam pulchrum, tam ſanctum, tam egregium Chriſtianæ ſodalitatis vinculum, quod ſuos imitari voluiſſet Julianus, vertere non erubuit in opprobrium propagationis Evangelii Thomas Hobbeſius impia in ſatyra, quam hiſtoriam Eccleſiaſticam inſcripſit, ita canens v. 471.

Tempore namque illo, quo noſtræ Præco ſalutis
In græcis ſparſit ſemina Paullus agris;
Maxima erat mundo falſorum Philoſophorum
Copia, nequitiæ plemyris illa fuit.
Quorum non paucos Eccleſia ſancta vocavit
Ad menſam, crevit ſic paraſita fides.
Victum communem ut Chriſti cultoribus eſſe
Senſit egens nebulo, nomine Philoſophus,
Rebus in adverſis ſuccurrere, ac omnibus omnes
De grege Chriſticolum ſe ſimulavit ovem;
Acceptuſque fuit: quid ni? fuit utilis ille,
Militiæ Chriſti dux fuit, & ſapiens,
Namque orator erat, duri vibrator elenchi &c.

Et verſu 793. ſeqq.

Traxit, &, ut dixi, multos æquatio vitæ,
Menſaque communis, queis erat una fides.

Doctis,

Doctis, indoctis, fidis ſimul, & ſimulatis,
Hæc paupertatis dulce levamen erat.

Quibus blaſphæmiis alludere videtur Hobbeſius voluiſſe ad narrationem, ſive fabulam a Luciano excogitatam in dialogo de morte Peregrini, quem ſynchronum Paullo imperite Vates facit, haud animadvertens, ne per ſomnium quidem in Comœdia illa univerſa aut poſtulatas a Peregrino, aut datas fuiſſe a Chriſtianis opes ob profeſſionem nominis Chriſtiani, in quam caſu Peregrinum incidiſſe immo ſimulat Lucianus, qui ob inanem celebritatis gloriam omnia fingit ab eo perpetrata; ad quem aliquos quidem ex quibuſdam Aſiæ civitatibus veniſſe ait Chriſtianos, ut viro opem ferrent, ipſumque conſolarentur; ſed quanam de cauſſa? profecto quia eum in carcere conſtitutum credebant ob profeſſionem jam factam Chriſtianæ religionis.

Et vero, quemadmodum capite huius Commentarioli XII. ex Juſtino Martyre, ac Tertulliano vidimus, communia illa Chriſtianæ pietatis depoſita *NON EPULIS, NON POTACULIS, NON INGRATIS VORATINIS diſpenſabantur, ſed indigentibus, ac egenis alendis humandiſque, ac pueris & puellis re, ac parentibus deſtitutis, domeſticis ſenibus, naufragis, iiſque, qui ob Chriſti nomen in inſulis erant, in metallis, in cuſtodiis.* Divus Cyprianus epiſtola XXXVIII. editionis Pamelii, quæ eſt ad Caldonium, & Herculanum Collegas, & ad Rogatianum, & Numidium Presbyteros, ita ſcribebat: *Cumque ego vos pro me*

vicarios miſerim, ut expungeretis neceſſitates fratrum noſtrorum ſumptibus, SI QUI ETIAM VELLENT ARTES SUAS EXERCERE, additamento quantum ſatis eſſet, deſideria eorum juvaretis: ſimul etiam & ætates eorum, & conditiones, & merita diſcerneretis; ut jam nunc ego, cui cura incumbit, omnes optime noſſem, & dignos quoque, & humiles, & mites ad Eccleſiaſticæ adminiſtrationis officia promoverem. Ad quæ animadvertunt Interpretes, matriculam neceſſitatum continuiſſe nomina perſonarum egentium, quorum propterea neceſſitates beneficentia fratrum ſublevabantur, eorum fuiſſe & nomina expuncta: iis, qui ſuas artes inculpate exercere poterant, ſuiſque laboribus præſidia ſibi vitæ comparare, non tamen quæ familiæ nutriendæ ſuffeciſſent, additamentum aliquod ſuppeditari permiſiſſe Cyprianum, ſeque ex illis, qui in pauperum matricula erant, aliquos in Oſtiarios, & minorum gentium Clericos promoturum: quæ res ad œconomiæ Eccleſiaſticæ compendia ſpectabat. Perpetuum tamen Eccleſiæ morem ac ſpiritum in eleemoſynis largiendis egregie expreſſit Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in epiſtola ad Calliopium Nicæenſis Eccleſiæ Presbyterum, quam adfert Socrates libro VII. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 25., quæque eſt eiuſmodi: *Sexcentos fame oppreſſos in urbe veſtra eſſe cognovi, qui piorum hominum indigeant miſericordia. Quoniam igitur accepi certam pecuniam ab eo, qui larga manu donare ſolet, accipe hos trecentos aureos, eoſque ut voles expende. Voles autem omnino illis, qui petere erubeſcunt,*

NON

NON IIS QUI OMNI VITÆ SUÆ TEMPORE VENTREM SUUM AD QUÆSTUM FACIENDUM PROPOSUERUNT. Porro quum dabis, nullam Religionis in hac quidem parte rationem habeas; μηδὲ θρησκείαν λογίσῃ κατὰ τοῦτο τὸ μέρος, id unum ſpectans, ut eſurientes paſcas, non ut eos diſcernas, qui a noſtra Religione ſunt alieni. Habes ne in omnibus iſtis cenſibus nebulones, paraſitas, falſos philoſophos, aut eos, qui ventris cauſſa noſtræ profeſſionem Religionis ſimulaſſent?

Generoſiſſimum immo illud charitatis genus, quo primorum fideles temporum, non tam ſuis, quam infidelibus eleemoſynas largiebantur, vehementius Hobbeſianam calumniam rejicit, confodit, evertit. Nam etſi Gentiles Ptochia illa non haberent, Noſocomia, Xenodochia, Gerontocomia &c. quæ a miſericordi & beneficentiſſima Chriſtianorum pietate excogitata fuere, atque inducta; certum adhuc eſt, aliquam etiam apud ethnicos fuiſſe plebeculæ, ac inopum multitudinis ſubveniendæ curam, ut veteri ex hiſtoria, ac ex ſynchronis patet monumentis a celebri Marchione Maffeio relatis in æneam tabulam Placentinam, & a Cl. Ricolvio de antiqua urbe Induſtriæ agente: quare cum ethnici inopes aliquo non carerent apud ſuos præſidio, non eſt cur credamus, eos ob tenues Chriſtianorum liberalitates, iræ ſe ſe voluiſſe exponere ſuorum, exilio, morti, ac ſeveriſſimæ noſtrorum diſciplinæ. Illud enim maioris, ut dicebamus, momenti eſt, Chriſtianos, non ſuis tantum, ſed

& Gentilibus in ethnica ſuperſtitione perſeverantibus opem ferre conſueviſſe, quemadmodum invitus, ſed candide hac in re fatebatur Julianus, in allegata ad Arſacium Galatiæ Pontificem epiſtola, in qua jubens exſtrui ſingulis in civitatibus Xenodochia, ſubdebat: *Nam turpe profecto eſt, quum nemo ex Judæis mendicet, & impii Galilæi NON SUOS MODO, SED NOSTROS QUOQUE ALANT, ut noſtri auxilio, quod a noſtris ferri ipſis debeat, deſtitui videantur*: quemadmodum & Lucianum vidimus, Proſelytum induxiſſe ſpondentem *ſe opem cujuſcumque ſectæ hominibus laturum*: quod Chriſtianorum proprium fuiſſe ex Patribus, illorumque monumentis temporum latius evincit celebris Mamachius lib. III. capite 1. de moribus primorum Chriſtianorum. Peſſime igitur rationes ſubduxiſſent ſuas ethnici inopia laborantes, qui ea ſolum de cauſſa, ut ab egeſtate levarentur, Chriſtianos ſe aut ſimulaſſent, aut etiam feciſſent; quippe dum in avita perſeverantes ſuperſtitione ac libertate, opem & a ſuis, & a noſtris ſperare, ac expectare potuiſſent; ex oppoſito Deorum deſerentes cultum, Cæſarum idcirco, urbiumque ac divitum liberalitatem gentilium amittentes, eorum iram immo provocantes, ad modicam fidelium ſtipem confugere inſano conſilio maluiſſent.

Verum fac aliquos ethnicorum inopes eam in dementiam delapſos, fac eos Ananiæ, Sapphiræ, ac Simonis Magi, peſſimum exemplum imitatos, ob agapas, & convivia, & miniſterium menſarum, Chriſto nomen dare ſimulaſſe: num arbi-

arbitrabimur eoſdem facile a ſanctiſſimis Patribus, qui ſeverum noſtrorum apud Proſelytos urgebant vivendi genus, fuiſſe facile in ſinum Eccleſiæ admiſſos? nonne hi eos potius monuiſſent, incaſſum ob ſola vitæ commoda, humanaſque neceſſitates, ad ſacra noſtra fieri acceſſum; illoſque ſolos divinæ rore gratiæ perfuſum iri, qui, ut eius eſſent participes, Chriſtiana in caſtra ingrederentur? Id utique ſtrenue præſtitit, & proteſtatus eſt Origenes libro contra Celſum I. ubi apertiſſime inquiebat: *Et hodieque Jeſu nomen perturbatos animos componit, exigit Dæmones, medetur morbis, miram quoque manſuetudinem inſerit, mores in officio continet, humanitatem, bonitatem, ſuavitatemque inſpirat iis, QUI NON PROPTER VITÆ COMMODA, HUMANASQUE NECESSITATES, SE CHRISTIANOS SIMULANT, ſed quo par eſt animò traditam de Deo, & Chriſto, ac futuro judicio doctrinam amplexantur.* Itaque etiamſi proceſſu temporis eſſe potuerint nonnulli, qui indigentia preſſi, & generoſa acti Chriſtianorum charitate, ad iſtos accedere in animo habuiſſent; ſummam tamen per calumniam conſilio tribueretur, ac rationi agendi Patrum & Eccleſiæ, quod erratum erat hominum nondum in Eccleſiam admiſſorum. Interim ſi alicui ob vitæ commoda & humanas neceſſitates, primis Eccleſiæ temporibus, cenſeri inter Chriſtianos poſtulabant, cur inde non intellexit Clarkſonus, quale tunc quantumque fuerit ad profeſſionem Chriſtiani nominis illicium; quare noſtros maximo fuiſſe numero argumentaretur?

 Etiamſi

Etiamſi vero de quantitate & copia primorum fidelium, non autem eorum de virtutibus & qualitate noſtra ſit, ut jam diximus, quæſtio & controverſia; quia tamen de mediis agimus in præſens ad proferendam Religionem olim uſurpatis, haud poſſumus, quin paucis ſaltem impios alios refutemus, qui ea criminati ſunt. Fuere qui Religionem, non recte etiam prædicatam, ſi tamen propagaretur, Paullo probatam fuiſſe crediderunt, propterea quod in epiſtola ád Philippenſes capite 1. ſcripſerit: *Quidam ex contentione Chriſtum annuntiant non ſincere, exiſtimantes ſe preſſuram ſuſcitare vinculis meis. Quid enim? dum omni modo, ſive per occaſionem* προφάσει, *ſive per veritatem* ἀληθείᾳ *Chriſtus annuntietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Hæc, inquam, aliqui obiecerunt, ac ſi de Evangelio non ſincere, & contra veritatem prædicato gaviſus Apoſtolus fuiſſet, dummodo in odium Judæorum, & Gentilium, auctus eorum fuiſſet numerus, qui ſe utcumque, & quomodocumque, Chriſtianos eſſe faterentur. Et vero illa Juliani jam attulimus ex ſua ſatyra, quam Cæſares inſcripſit: *Quiſquis mulierum corruptor, quiſquis homicida eſt, quiſquis piaculo, aut execrando ſcelere ſe ſe obſtrixit, FIDENTER ADHUC ADITO. Etenim ſimulatque hac aqua ablutus fuerit, illico ego eum purum reddam. Quod ſi iiſdem ſe flagitiis rurſus contaminaverit, efficiam, uti tonſo pectore, & capite percuſſo expietur.* Quibus ſignificare intendebat Julianus, haud mirum brevi auctam adeo fuiſſe hominum noſtrorum ſectam, quum tam facile in

ea omne perditorum mortalium genus, & ſæx, & colluvies admitteretur. Syneſius denique Cyrenenſis Philoſophus objicitur, factus Ptolemaidis Epiſcopus, etiamſi Reſurrectionis dogma admittere nullomodo voluiſſet, ut ex eius epiſtola CV. editionis ſecundæ Petavii palam eſt, exque Photio, Evagrio, Nicephoro, aliiſque ſexcentis. Tam lubrica, inferunt, Proſelytos faciendi facilitate multos potuit Chriſtiana olim Eccleſia habere ſectatores.

Hæc tamen nomen & famam eorum, qui ea proferunt, lædere quidem poſſunt; ſed Viros ſanctiſſimos, & Chriſtianam Religionem lædere non poſſunt. Numquid Paullus, qui ſuis in epiſtolis vehementiſſime ferebatur in *adulterantes verbum Dei*, quemadmodum & in *exiſtimantes quæſtum eſſe pietatem*, præpoſteram probare potuit Religionis Chriſti prædicationem? Nil profecto minus. Tertullianus libro contra Marcionem V. capite 12. explicans obiectum Paulli locum, inquit: *CONVERSATIONIS, NON PRÆDICATIONIS adulteratæ reos taxat.* Et capite 20. rurſus: *CAUSAS SOLAS ANIMORUM, NON REGULAS SACRAMENTORUM in diverſitate proponens, unum tamen Chriſtum, & unum eius Deum QUOCUMQUE CONSILIO prædicatum affirmat.* Divus autem Cyprianus ita in epiſtola ad Jubaianum: *NEQUE ENIM DE HÆRETICIS loquebatur in epiſtola ſua Paullus, ſed DE FRATRIBUS, ſive inordinate, & contra Eccleſiæ diſciplinam ambulantibus, ſive Evangelicam veritatem de Dei timore ſervantibus.* Adnotat vero ad hunc Cypriani lo-

Digitized by Google

cum Rigaltius, Chryſoſtomum egregie obſervaſſe, Apoſtolum uſum fuiſſe voce καταγγέλεται, ſcilicet, *annuntiatur*, forma narrandi quod fieret; non forma ſtatuendi, quod fieri vellet, καταγγελέτω, *annuntietur*. Præſtat ipſummet tamen Chryſoſtomum audire, homilia de profectu Evangelii, ubi habet: τότε τοίνυν, ὅτε ἐν τούτοις τὰ πράγματα ἦν, κ.τ.λ. *Tunc igitur, quum res ita ſe haberent, quidam Paulli inimici, quum vellent acrius bellum movere, Neronemque ad maiorem adverſus illum inimicitiam inflammare, ſe prædicare ſimulabant, & revera prædicabant RECTAM SANAMQUE FIDEM, ut doctrina augeretur. Illud vero faciebant, non ut fides diſſeminaretur; ſed ut hoc comperto Nero, quod nempe prædicatio creſceret, & doctrina invaleſceret, citius Paullum in barathrum conjiceret. Duo itaque magiſteria erant, diſcipulorum videlicet Paulli, eiuſdemque inimicorum; illis ex veritate, his ex contentione & odio Apoſtoli prædicantibus: quare fruſtra & incaſſum dictum Apoſtoli DE HÆRESIBUS accipitur. Nam qui tunc prædicabant, non corruptam doctrinam annuntiabant, SED FIDEM SANAM ET RECTAM: etenim ſi corruptam doctrinam prædicaſſent, & alia quam Paullus docuiſſent, neutiquam illis accidiſſet id quod volebant. Quid autem volebant? ut aucta fide, multiſque additis Apoſtolo diſcipulis, ad maius inferendum bellum Neronem excitarent. Si autem alia dogmata prædicaſſent, non multos feciſſent Paulli diſcipulos: ſi non feciſſent, non exaſperaſſent tyrannum. Non illud itaque dicit, quod CORRUPTA DOGMATA INDUCERENT; ſed quod cauſſa,*

pro-

propter quam prædicabant, vitioſa eſſet. Aliud quippe eſt prædicationis cauſſam dicere; & aliud dicere prædicationem non ſanam eſſe; tunc enim doctrina non eſt ſana, quum dogmata errore plena ſunt. Occaſio autem non eſt ſana, quum doctrina quidem ſana eſt; qui vero prædicant, non propter Deum prædicant, ſed aut propter inimicitiam, vel ad aliorum gratiam &c. &c. Utinam qui de proferenda Chriſtiana Religione quocumque tempore ſolliciti fuere, dummodo vera & ſana enuntiaretur doctrina, omnes cum Apoſtolo ſemper ſenſiſſent, dixiſſentque: ſive ex contentione, ſive ex veritate, &c.

Dum vero tam nigris coloribus infideles, qui ad Baptiſmum magno numero acceſſerant, exprimit Julianus, minus profecto ſuæ conſuluit idololatriæ, quæ talia hominum portenta & monſtra ſuo in ſinu fovebat. Nec negabimus aliquos ethnicorum, antequam ſacris undis perfunderentur, eiuſmodi fuiſſe: ſed illo in cœno omnes permanſiſſe inficiabimur. Certe, ea nota ſunt Apoſtoli in I. ad Corinthios capite 6. *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? nolite errare: neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. ET HÆC QUIDAM FUISTIS: SED ABLUTI ESTIS, SED SANCTIFICATI ESTIS, SED JUSTIFICATI ESTIS in nomine Domini Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Num id vero abſque ulla morum in Proſelytis mutatione? Cogitare id vetant conciones

Petri

Petri in Actis Apoſtolicis: ubi illa frequentiſſime: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum veſtrorum*, capite Actorum II. & capite III. *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra... convertat ſe unuſquiſque a nequitia ſua.* Eiuſmodi Apoſtolorum, Patrumque, tum & Epiſcoporum, atque omnium qui Baptiſma conferebant, voces ac verba erant ad Proſelytos, & Catechumenos, quibus, dum initiarentur, animus eſſe cenſebantur novæ vitæ ineundæ, atque agendi juxta ſanctiſſima Chriſtianæ ſocietatis inſtituta: quod porro plurimi, præſertim initio, ſine intermiſſione præſtitere, ut ethnicus ipſe Plinius Secundus ad Traianum Cæſarem ſcribebat: *Affirmabant autem, hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire: carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem: ſeque Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed NE FURTA, NE LATROCINIA, NE ADULTERIA COMMITTERENT, NE FIDEM FALLERENT, NE DEPOSITUM APPELLATI ABNEGARENT.* Quam epiſtolam capite Apologetici 2. referens Tertullianus, ſcripſiſſe Plinium inquit: *Præter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de Sacramentis eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto & Deo, ET AD CONFŒDERANDAM DISCIPLINAM, HOMICIDIUM, ADULTERIUM, FRAUDEM, PERFIDIAM, ET CETERA SCELERA PROHIBENTES.* Euſebius vero libro III. Hiſtoriæ Eccle-

cleſiaſticæ capite 33. ita epiſtolæ verba efferebat: *Simulque indicaverit, deprehendiſſe ſe nihil ab iis impie, nihil adverſus leges actitari, niſi quod primo diluculo excitati Chriſto tamquam Deo hymnos canerent. Ceterum ADULTERIA, HOMICIDIA, ET RELIQUA HUIUSMODI CRIMINA ILLOS ETIAM AVERSARI, cunctaque ex præſcripto legum agere.* Poſt ætatem Traiani quum in dies auctus fuerit eorum numerus qui ad Baptiſmum accedebant, immo ſequutis rurſus temporibus quum primum fervorem in plurimis tepeſcere ſolitum Catholicæ Eccleſiæ Præſules intellexiſſent, expiationem induxere Catechumenorum, cuius pœnitentialem veluti ordinem & formam deſcripſere Cardinales Baronius, & Bona, Morinus, Martenius, aliique: quare patet, atrociorem fuiſſe Juliani τοῦ παραβάτου calumniam, ceu ad Proſelytos, & Chriſtianos ætatis ſuæ referendam, quos etiam, ut vidimus SANCTIMONIAM SIMULASSE intoleranda ἀναλογίᾳ ſcriptitabat. Ad Syneſium quod adtinet, ita in adnotationibus ad eius opera, ubi de vita ſcriptiſque eius agit, Dionyſius Petavius: illud permirum videri ſolet, Epiſcopum non a populo ſolum expetitum; ſed ab Epiſcopis etiam, & ab Theophilo imprimis, ordinatum eum hominem, qui mortuorum reſurrectionem credere nolle ſe palam profiteretur: nec minus admirabile eſt, ſine iſta fide, ac confeſſione Chriſtianum fieri, & Baptiſmo initiari potuiſſe Syneſium. Nam inter alia, quorum a competentibus diſerta profeſſio ſub Baptiſmum edi conſueverat, mortuorum

rum erat reſurrectio. Credit Annalium Eccleſiaſticorum autor, totum illud, quod de uxore non dimittenda, & reſurrectione mortuorum a ſe non credita, allegabat Syneſius, non ſerio, ac bona fide, ſed ficte, ET DEVITANDI EPISCOPATUS GRATIA, ab illo eſſe jactatum: cuiuſmodi Ambroſii ſimili in cauſſa nota ſimulatio eſt; ſed multo veriſimilius eſſe ſubdit Petavius, hoc illum initio ita, ut in animo habebat, aſſeveraſſe; ac paullo poſt a Theophilo, aliiſque doctis viris perſuaſum veritati ceſſiſſe, antequam Epiſcopus fieret; præſertim quum in eam propendeat opinionem vir præclariſſimus, ut Syneſium paullo ante, quam Epiſcopatum ſumeret, Gentilem adhuc fuiſſe arbitretur. Nobis, ut candide loquamur, magis adrideret citatum Baronii cogitatum, quippe animadvertimus, Photium in Bibliotheca num. 26. eo de Syneſii errore ex nuda fama loquentem, addere, non eum aliunde, quam ex ipſius ad Theophilum epiſtola poſſe colligi. τῦτο δὲ εἰ μὲν ἄλλοθεν ὀυκ οἶδα τέως δὲ ἀπὸ τῆς πρὸς Θεόφιλον ἀυτῦ ἐπιστολῆς ἀριδήλως καταλαμβάνεται. Eſt autem ea epiſtola, in qua tantopere Epiſcopatui reluctabatur. Utcumque res tamen fuerit, quonam jure ex ſingulari facto, ac prorſus extra ordinem, de ratione cogitandi agendique totius veteris Eccleſiæ argumentemur?

Reliquum heic eſt, ut Scriptorem emendemus, infinitum quidem ab hucuſque refutatis diverſum, ſed & ipſum a veritate recedentem. Johannes Albertus Fabricius is eſt, qui capite XIX. Lucis ſalutaris Evangelicæ, ſcripſit: *Illud quoque,*

ut ab Apoſtolorum, Apoſtolicorumque virorum more alienum, ita parum idoneis amplificandæ Religionis Chriſtianæ, & venerationem eius conciliandi, aut perſecutionem effugiendi remediis, merito adſcribendum videtur, quod vulgo vocant DISCIPLINAM ARCANI, ſive ex metu profectam primum, & ab ambitione deinde nutritam, promotamque, myſteriorum ac rituum occultationem, quæ a fine ſecundi ſeculi uſurpari cœpta primum, in Occidente citius, in Oriente tardius, iterum adhiberi deſiit. Quemadmodum vero diſſimilitudo doctrinæ, & myſterioſorum rituum arcana, parietibuſque & taciturnitate clauſa, ethnicas magis tenebras decent, quam lucem ſalutarem Chriſtianiſmi; ita primorum Evangelii Præconum magna hæc gloria, quod, ut ait Sanctus Irenæus libro III. cap. 15. teſtificatio eius vera, & doctrina Apoſtolorum manifeſta, & firma, & nihil ſubtrahens; neque alia quidem in abſcondito, alia vero in manifeſto docentium.

Pace docti tamen viri fidenter dixerim, ipſum non fuiſſe ſatis iſta meditatum: cuius indicium rei eſt, eum allegata poſt verba conſulendum addere Tentzelium, qui certe adverſus Schelſtratium totus fuit, ut oſtenderet, nullam umquam in Eccleſia fuiſſe talem arcani diſciplinam circa MYSTERIA ET DOGMATA, ſed aliquam ſolum circa nonnullas Sacramentorum formulas, ritus, atque cæremonias reſpectu infidelium, & Catechumenorum. Et vero ſi Patres eo præcipue nomine aliquas Philoſophorum ſectas erroris poſtulabant, quod illæ ſententias ſuas tamquam turpe aliquid celarent; quemadmodum præ-

ſtitit

ſtitit Auguſtinus libro III. cap. 10. contra Academicos; cur inde ipſi ad lucrandos Gentiles, & ad magis magiſque Religionem noſtram proferendam, dogmata ipſius & myſteria occultaſſent; & non immo potius, ut veros Chriſto Proſelytos facerent, ipſum prædicaſſent verum Deum, ſummam Trinitatem, divinamque œconomiam, & humanæ beneficium Redemptionis? Cur ſacra ſymbola, ad purgationem animi, & ad unionem hominis cum Deo neceſſaria & apta, ab eorum eripere cognitione voluiſſent, quos ad ea ſuſcipienda invitabant?

Equidem vehementer miratus ſum legens in indice operis Origenis contra Celſum, poſtremæ editionis, ad V. Chriſtiani: *Non cuicumque ad ſe accedenti præcipiunt, ut primum credant, eum, quem illi proponunt, eſſe Dei filium.* Pagina 637. indicatur, quæ libro VI. reſpondet, ubi tamen nil eiuſmodi reperies; ſed iſta ſatius: *Sunt quidem quos, quum nihil magis poſſint, ad credendum hortemur; ſed alios, quantum licet, interrogationibus ac reſponſis perſuademus, ac de ſingulis plura conamur afferre argumenta.* Ubinam heic diſpenſatio a credenda initio Chriſti divinitate? Hoc eſſe præcipuum ac neceſſarium fidei ac religionis Chriſtianorum caput, noverant ipſi ethnici, quemadmodum apud eumdem Origenem lib. I. erant hæc Celſi Epicurei adverſus noſtros verba: *Si Chriſtiani nullum alium colerent præter unum Deum, haberent adverſus alios conſtantem fortaſſe rationem. Verum ipſi NUPER EMERSUM ILLUM MIRIFICO CULTU PROSEQUI INSTITUERUNT;*

RUNT; *& tamen ſe putant nihil adverſus Deum peccare, quum eius famulo venerationem deferunt.* Alter vero ethnicus apud Arnobium libro contra Gentes I. ita noſtros alloquebatur: *Non vobis Dii infeſti ſunt, quod omnipotentem colatis Deum; ſed quod hominem natum, & quod perſonis infame eſt vilibus, crucis ſupplicio interremptum, ET DEUM FUISSE CONTENDITIS, & ſupereſſe adhuc creditis, & quotidianis ſupplicationibus adoratis.* Quodnam fuiſſet igitur portentum, ut dum Gentilibus notiſſimum erat, hominibus ſectæ noſtræ Chriſtum fuiſſe colendum tamquam Deum, noſtri Præſides Proſelytis, & ad Chriſtianum nomen accedentibus, non ſtatim præcepiſſent habendum tamquam Deum, eum, quem tamen prædicarent? Cetera quoque myſteria & dogmata Religionis noſtræ non fuiſſe univerſim Gentilibus ignota, evincunt ipſorum in nos elucubrationes, & Apologetarum Patrum vindiciæ, quorum ſcripta ubi legeris, numquam reperies alia in abſcondito, alia in aperto & manifeſto expoſita fidelibus fuiſſe; ſed eadem prorſus, alio tamen modo rudioribus, alio perfectioribus fuiſſe tradita: quod omni ſane tempore factum oportuit; quum dogmatum ac myſteriorum certa fides, non eorum Theologica cognitio, aut omnium inſpectio rituum ac cæremoniarum, ad ſalutem conſequendam requiratur. Sacramentales porro ritus atque cæremoniæ infidelibus ſolum atque Catechumenis ſæpenumero occultabantur, non fidelibus ac initiatis; & quoniam iſti duplicis erant generis, alii ſimpliciores nempe, perfectio-

ſectiores vero alii; propterea diſtinguebant Epiſcopi, & Patres inter ea, quæ ſimplicem ad fidem *πίστιν*, & ea, quæ ad arcanam magis cognitionem *γνῶσιν* pertinebant: priora omnibus credentibus, atque incipientibus tradentes, dum perfectioribus provectiſque poſteriora reſervarent. Certe nonnulli erant, ſemperque fuere, ac perpetuo erunt, quibus neceſſarium ſit, vel ſaltem aliquando, in Sacerdotis ſui fide conquieſcere; alii in arcana doctrinæ ſacræ penetrare valent, qui proinde ſublimiorem ad cognitionem, & ad lectionem ſacrarum literarum excitantur. Sic Alexandrinus Clemens, more myſtagogis ſolemni, Protrepticum, atque Pædagogum, libris Stromatum præmiſerat, ut in illis Chriſtianum hominem veram ad *γνῶσιν*, in poſterioribus, quemadmodum rebatur, explicatam praepararet. Sic Cyrillus Hieroſolymitanus in prioribus quidem octo & decem Catecheſibus *φωτιζομένους* eos, qui recenti fide in Chriſtum erant illuminati, inſtruit de rebus ad Baptiſmum pertinentibus; in poſterioribus vero quinque Myſtagogicis inſtitutionibus, his, qui jam ad ſolidiorem aliquanto doctrinam erant aptiores, ſolidum tradit cibum, & altiora explicat myſteria. Quod ſi qua fuerit ſive formularum ſacramentalium, ſive arcaniorum rituum SCRIPTIS ET PALAM non communicatorum occultatio, venia tamen dignus non eſt, dum eam metui, ſtudioque fugiendæ perſequutionis, aut præpoſtero amplificandæ Religionis medio aſſeruit Fabricius. Anne Martyres publica inter tormenta, & in quæſtionibus ante Judices,

dices, myſteria Trinitatis, & divinitatis Chriſti occultavere? num Chriſtiani Apologetæ ea celavere in vindiciis, quas Cæſaribus, cunctiſque immo obtulerunt ethnicis? Minime ſane gentium. Illi ipſi Patres, qui formulas myſteriorum, ſcilicet Sacramentorum, SCRIPTIS ET PALAM non eſſe communicandas cogitabant, ipſa tamen dogmata & myſteria tum viva voce, tum editis operibus explicavere. Magis mirum vero eſt, Fabricium, literariæ rei periтiſſimum, haud animadvertiſſe, innumeros Scriptores eam arcani diſciplinam vetere ex Teſtamento, exque ratione agendi Chriſti, & Apoſtolorum deduxiſſe, quos equidem Auctores indigitat Pfaffius in poſteriori diſſertatione de præjudiciis Theologicis: ſed mirum adhuc maxime, Fabricium non animadvertiſſe, quod tot doctis cetera obſervatum, illam arcani diſciplinam aliquo ſynodali decreto ſancitam numquam fuiſſe; quare pateat, generalem ipſam minime fuiſſe, ſed aliquibus tantum in caſibus & locis libere uſurpatam.

Ipſe ſane crediderim, nullo efficaciori medio uſos fuiſſe Apoſtolicos viros, Epiſcopos, & Patres, ut ethnicos ad noſtram traherent Religionem, prædicatione atque explicatione tam ſublimium dogmatum ac myſteriorum. Quid enim homines, arcanum & ſublime in Religionibus quærentes, allicere magis poterat, quam eximiarum eiuſmodi enarratio rerum, quæ animos ſuper æthera ipſa evehunt ac tollunt? Exemplum habemus in cohortatione ad Gentes Clementis Alexandrini, ubi ſapientiſſimus ille vir ex arcanio-

ribus initiationis, & Baptiſmatis Chriſtiani cæremoniis ad ſacra noſtra ethnicos invitabat, ita ſcribens ſcilicet: ἥκε, δείξω σοὶ τὸν λόγον, ϗ τὰ λόγου τὰ μυστήρια, κ. τ. λ. *Veni, & oſtendam tibi Verbum, ET VERBI MYSTERIA, ea juxta tuarum imaginem rerum enarrans. Hic eſt mons Deo dilectus, qui haudquaquam, veluti Cithæron, tragœdiis materiam præbuit, ſed veritatis actibus conſecratus eſt. Mons ſobrius, caſtiſque umbroſus ſylvis. In eo autem bacchantur haud quidem fulmine ictæ Semeles ſorores, Mænades impura viſceratione initiatæ; ſed Dei filiæ, pulcherrimæ agnæ, quæ veneranda VERBI orgia concelebrant, ſobrium inſtaurantes chorum: agunt & chorum viri juſtitia præcellentes. Canticum eſt hymnus Regi totius rerum univerſitatis ſacer. Pſallunt puellæ, collaudant Angeli, Prophetæ loquuntur: editur muſicæ ſonus, curſu thyaſum proſequuntur: qui vocati ſunt deſiderio recipiendi Patrem feſtinant. Veni tu quoque, o ſenex, relictis Thebis, abiectaque divinatione, & Bacchica inſania deduci te ad veritatem patere, ecce tibi, quo innitaris, lignum præbeo. Feſtina, Tireſia, fidem habe, viſum recipies. Chriſtus, per quem cæcorum viſus reſtituitur, ſole ſplendidius illucet: non te fugiet, ignis exſtimeſcet, mors abibit. Qui Thebas, o ſenex, intueri non potes, cælos videbis. O vere ſancta myſteria! O puram lucem! Prælatis mihi facibus, cælos ac Deum conſpicio: dum initior, SANCTUS FIO. Dominus autem eſt interpres ſacrorum, qui myſtam illuminatum obſignat, & eum, qui crediderit, Patri commendat in ſecula ſervandum. Hæc ſunt meorum*

MYSTE-

MYSTERIORUM Bacchanalia. Tu quoque, ſi videatur, initiare: tum circa eum, qui ortus & interitus immunis, ſoluſque verus Deus eſt, una cum Angelis, hymnum nobiſcum canente DEO VERBO chorum duces &c. Non mihi hac videntur in adhortatione Gentilibus occultata Chriſtianorum dogmata & myſteria. Quinam vero bene actus animus in tam verendæ deſiderium diſciplinæ, inque tam amabilis ardorem Religionis, actus non fuiſſet?

Prædicatione igitur eorum, quæ præſtantiora erant in Sacris noſtris utebantur veteres Religionis Chriſtianæ ſtatores præſentiſſimo tamquam medio ad eam in populos amplificandam, eoſque ad confirmandos, qui recens myſteriis imbuti noſtris fuerant, aut illis mox erant imbuendi. Itaque & Tertullianus in libro de ſpectaculis ut oſtenderet, ſanctiſſimam Chriſti religionem ſuis hac etiam in vita non carere illecebris, nec ærumnarum delinimentis, ita parænefim ſuam abſolvit: *Jam nunc puta delectamentis exigere ſpatium hoc: cur tam ingratus es, ut tot ac tales voluptates a Deo contributas tibi ſatis non habeas, neque recognoſcas? Quid enim jucundius, quam Dei Patris ac Domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, quam eorum recognitio, quam tantorum retro criminum venia? Quæ maior voluptas, quam faſtidium ipſius voluptatis, quam ſeculi totius contemptus? quam vera libertas? quam conſcientia integra? quam vita ſufficiens? quam timor nullus? quod caleas Deos Nationum? quod Dæmonia expellis? quod medicinas facis? quod revelationes pe-*

 tis?

tis? quod Deo vivis? Hæc voluptates, hæc ſpectacula Chriſtianorum ſancta, perpetua, gratuita. In his tibi Circenſes ludos interpretare, curſus ſeculi intuere, tempora labentia, ſpatia dinumerata, metas conſummationis expecta; ſocietates Eccleſiarum defende, ad ſignum Dei ſuſcitare, ad tubam Angeli erigere, ad Martyrum palmas gloriare. Si ſcientiæ, & doctrinæ delectant, ſatis nobis literarum eſt, ſatis verſuum, ſatis ſententiarum, ſatis etiam canticorum, ſatis vocum; nec fabulæ, ſed veritates, nec ſtrophæ, ſed ſimplicitates. Vis & pugillatus, & luctatus? præſto ſunt non pauca ſimul. Aſpice impudicitiam dejectam a caſtitate, perfidiam cæſam a fide, ſævitiam a miſericordia contuſam, petulantiam a modeſtia adumbratam, & tales ſunt apud nos agones, in quibus ipſi coronamur. Vis autem & ſanguinis aliquid? habes Chriſti. Quale autem ſpectaculum in proximo eſt, adventus Domini jam indubitati, jam ſuperbi, jam triumphantis? quæ illa exultatio Angelorum, quæ gloria reſurgentium Sanctorum, quale regnum exinde Juſtorum? qualis civitas nova Hieruſalem? At enim ſuperſunt alia ſpectacula, ille ultimus, & perpetuus judicii dies &c. cujus imaginem & pompam juxta athleticas phraſes, & ritus, & leges deſcribit Septimius, atque ita concludit: *Ut talia ſpectes, ut talibus exultes, quis tibi Prætor, aut Conſul, aut Quæſtor, aut Sacerdos de ſua liberalitate præſtabit? & tamen hæc jam quodammodo habemus per fidem ſpiritu imaginante repræſentata. Ceterum qualia illa ſunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt? credo,*

circo,

circo, & utraque cavea, & omni ſtadio gratiora. Quum tam fortia proponerent Patres ad Religionem noſtram amplectendam incitamenta; quum tanta in cunctos eſſent humanitate Chriſtiani; quum tam quieta, modeſta, & caſta uterentur diſciplina, nonne eorum numerus in dies & ubique ſummum habere debebat incrementum?

CAPUT XV.

Nonnulla ſolvuntur adverſus multitudinem veterum fidelium obiecta.

QUUM ſi quod eſſe poteſt huius tenuiſſimi noſtri laboris pretium in eo conſtitutum ſit oportet, ut omnes removeantur adverſus veritatem a Patribus conteſtatam difficultates, propterea non modo a Clarkſono propoſita obiecta heic ſolvenda ducimus, verum etiam alia, quæ aut nonnulli paucitatis veterum Chriſtianorum vindices obtendunt, aut nobis hoc argumentum meditantibus, mentiquæ noſtræ occurrerunt. Et primum quidem, vel ampliores Romani Imperii urbes ætate illa incolis prope caruiſſe ponit Clarkſonus; ob infelicem tunc temporis rerum civilium habitum ac ſtatum, ut inde conſequatur, vix aliquos in celeberrimis etiam urbibus Chriſtianos eſſe potuiſſe. Pervulgata eſt vero obiectio ex veterum matrimoniis, polyga-

mia, concubinatu, repudiis, ac divortiis derivata. Nam, inquiunt, quum nuptiæ apud omnes populos ſacris ritibus ac legibus celebrari conſueverint, quî abſque ſuperſtitionis labe eas ante Conſtantinum inire potuerint Chriſtiani? Conſtat autem Orientales, ſive Judæos, ſive Gentiles, fuiſſe quammaxime polygamos; immo ſolos prope Germanos, inter Barbaros, ſingulis uxoribus fuiſſe contentos. Quemadmodum igitur plurimi nunc Indiarum Reges, ipſique adeo Sinenſes, Religionem noſtram averſari plurimum dicuntur, propterea quod una deinceps uxore contenti eſſe juberentur; & quemadmodum a nonnullis Politicorum filiis, climati univerſa tribuentibus, traditum nuper eſt, facile in fugam actum fuiſſe tum in Africa, tum in Oriente Chriſtianum nomen reſtituta in illis gentibus polygamia, cuius cauſſa Religionem noſtram numquam illic dominaturam arbitrantur; ita pervium non erat populos polygamos initio Evangelicæ prædicationis fuiſſe in noſtra dogmata propenſos. Qui Romanis ſub legibus vivebant, a polygamia abſtinebant quidem; verum præter leges publicas contra cœlibatum, tum Romani, tum Græci, tum etiam Judæi, non modo in concubinatu verſabantur; ſed ita divortia & repudia in moribus habebant, ut Seneca libro III. de Beneficiis capite 6. ſcribere veritus non ſit: *Numquid jam ulla repudiis erubeſcit, poſtquam illuſtres quædam & nobiles fœminæ, non Conſulum numero, ſed maritorum annos computant?* Antequam igitur hi, ſimileſque abuſus, Chriſtianorum Cæſarum legibus abrogaren-

garentur, paucisſimi videntur eſſe potuiſſe Chriſtiani. Accedit, videri ſerius publicata fuiſſe Evangelia, neque cito adeo latinum in ſermonem verſa, ut arbitrabatur Millius in Prolègomenis, ubi etiam animadvertebat, omnes Romanos Pontifices ad Pium uſque, omneſque fundatores Eccleſiarum Gallicarum, fuiſſe Græcos. Quum autem in ſynaxibus ſacrarum lectio ſcripturarum fieri non potuerit, niſi ea lingua quæ populi fuiſſet, ſequitur, exiguum in Occidente populum, primo ſaltem & ſecundo ſeculo, fuiſſe ſacris Chriſtianis initiatum.

Quod priore tamen loco ponitur, valde dubitaverim, an ſatis conſtitutum eſſe videatur. De numero & frequentia hominum antiquis temporibus, eorumque de copia, vel inopia reſpectu recentiorum, nuperi Scriptores egere Walacius, Monteſquieus, Humius &c., quorum tamen oppoſitis rationibus maturo examine perpenſis, adhuc hæreas oportet; dubiam ſaltem incertamque eſſe de rebus hiſce coniectandi rationem, & in computationibus eiuſmodi figendis viros etiam præſtantiſſimos erraviſſe, Gallicus Interpres operis Addiſoni in adnotationibus ad §. 1. ſectionis ſecundæ, & Cl. noſter Gabriel Fabricy, in elegantiſſimis ſuis diſquiſitionibus de origine equitationis, & curruum equeſtrium, invicte oſtenderunt. Bella populorum in examen revocantur, ſive externa, ſeu civilia, peſtes, infortunia, ſtrages, leges, mores, religio, regnandi artes, commercia, ſervi, vernæ, facultas exponendi pueros, vel eos occidendi, vaga venus, divortia,

repudia, aliaque ſexcenta, quæ aliquam præbere quidem lucem quæſtioni poſſunt, certitudinem non poſſunt. Quotuſquiſque enim adeo humanarum expers rerum eſt, ut non animadvertat, & intelligat, prope infinitis de cauſſis regionem incolis frequentiſſimam, illis poſſe breviſſimo tempore deſtitui; qua de re, ſi odio careret, non adeo remota adferre poſſem in medium exempla: ex oppoſito loca, quæ mox ſolitudine prope laborabant, incolis repleri? Unius vita hominis hæc mutatio ubique fere cernitur, ac evenit: cogita, an immenſis de regionibus, pluriumque ſpatio ſeculorum, aliquid poſſis definire? Nemo Italiam penitius novit inſigni Muratorio, qui tamen diſſertatione XXI. medii ævi diligentiſſime de hoc agens argumento, maiorem quidem fuiſſe hominum in Italia numerum ſub Romanis, quam ſub Barbaris concedit; verum ob omnia variantem rerum inconſtantiam, certi aliquid ſtatui ea de re poſſe Vir prudentiſſimus negavit. Cur igitur incerta adeo ex hypotheſi ingentem primorum fidelium copiam inficiari pergit Clarkſonus?

Quid quod ſi veteres ac ſynchronos conſulimus Scriptores, falſum eſſe patet hominis iſtius præconceptum. Certum namque eſt, tum ſub Claudio, tum ſub Veſpaſiano, luſtrum conditum fuiſſe. Mirum autem quot myriades Romanorum civium repertæ ac recenſitæ ſunt, ut a Tacito relatum eſt libro Annalium XI. & ab Euſebio in Chronico! Nimia, vixque fide digna viſa eſt tanta copia Tillemontio in vita Claudii. Humius ipſe, quamvis non adeo in frequentiam

popu-

populorum veterum propenſus, fatetur tamen, ſub Traiano, & Antoninis, Imperium auctum ac refertum incolis fuiſſe. Tutioris eſt auctoritatis Tertullianus in libro de anima capite XXX. ſcribens: *Certe quidem ipſe Orbis in promptu eſt, cultior de die & inſtructior priſtino. Omnia enim jam pervia, omnia nota, omnia negotioſa. Solitudines famoſas retro, fundi amœniſſimi obliterarunt; ſylvas arva damnaverunt; feras pecora fugaverunt; arenæ ſeruntur, ſaxa panguntur, paludes eliquantur; TANTÆ URBES QUANTÆ NON CASÆ QUONDAM. Jam nec inſulæ horrent, nec ſcopuli terrent, ubique domus, UBIQUE POPULUS, ubique Reſpublica, ubique vita, ſummum teſtimonium FREQUENTIÆ HUMANÆ oneroſi ſumus mundo, vix nobis elementa ſufficiunt, & neceſſitates arctiores, & querelæ apud omnes, cum jam nos natura non ſuſtinet.* Hæc ſub Severo Tertullianus; ſimilique energia frequentiam & copiam hominum ſub Hadriano conteſtatus eſt Ariſtides Rhetor. Sunt etiam in præſens, qui Romam ſub Imperatoribus novem hominum myriadas ſua intra mœnia continuiſſe arbitrantur, ut in Actis legimus Trivultianis, anno MDCCLII. articulo ſecundo: ſunt qui portenta narrant de immenſa hominum copia in Ægypto, Romanis rerum dominis. Victi hi certe ac omnino debellati ſunt poſt ætatem Theodoſii, ſed hoſtibus Perſis, Sarmatis, Getis, Schytis, ſive Gothis, Francis, Saxonibus, Mauris, Alanis, Hunnis, Wandalis, &c. &c. qui eadem prope ætate impetu facto fidem faciunt, eiuſmodi vel poſt ætatem

tem Theodoſii fuiſſe Romani Imperii reliquias, ut non potuerint niſi ſumma vi & virtute ſuperari. Demus vel ante Conſtantinum fuiſſe Rempublicam bellis civilibus exhauſtam: quid inde obſecro adverſus copiam ingentem Chriſtianorum? Nil profecto: quippe ſatis eſt, eos maximo fuiſſe numero reſpectu Judæorum, & Gentilium, quacumque demum quantitate hi per illa fuiſſe tempora conſtituantur.

Chriſtianorum vero matrimonia nullum a Romanis legibus pati poterant impedimentum. Notum cuique eſt, tribus modis apud Romanos duci ſolitam uxorem, farre, uſu, & coemptione. Noſtri, vitandæ ſuperſtitionis cauſſa, matrimonia certe non contraxiſſent intercedente farris ſacrificio, vel conteſtatione apud Haruſpices. Nil prohibebat tamen, quin connubia libere contraherent vel ſolemni coemptione, vel uſu, præhabita conteſtatione liberorum ſuſcipiendorum cauſſa apud vicinos, forte etiam privatim: quare nec leges aut conſuetudines patrias violarent, nec ulla nubendo ſuperſtitione fœdarentur. Revera Synodi, Epiſcopi, & Patres, qui quatuor ſpatio ſeculorum deploravere matrimonia fidelium cum Gentilibus, numquam tamen queſti ſunt, noſtros in illis celebrandis pollutos ſuperſtitionibus fuiſſe. Cœlibes autem non ita mulctaverat lex Papia, ut ante Conſtantinum maximo ipſa eſſe potuiſſet converſioni infidelium obſtaculo. Paucis enim exceptis privilegiis, quibus ab anno ætatis quinto & viceſimo Cœlibes non fruebantur, nullum aliud ipſis detrimentum

cæ-

cœlibatus inferebat, quam ut nihil ex teſtamento extraneorum caperent, non autem ex teſtamento proximorum, quemadmodum poſt Juſtum Lipſium in legis eius commentariis, ex Nicephoro, & Epiphanio Scholaſtico, adnotat Valeſius ad Sozomeni librum 1. capite 9.

Conſtat æque Græcos, Romanoſque, ſive cunctas gentes jamdiu Romano Imperio ſubiectas, univerſim monogamas fuiſſe, quemadmodum juris publici periti paſſim monent, Grotius, Pufendorfius, Barbeyracius, Almicius, &c. Romani ipſi Imperatores, & quidem, eos inter, acerrimi Chriſtianorum hoſtes, veluti Diocletianus, & Maximianus, nemini, qui ſub ditione Romani eſſet nominis, plures ſimul habere uxores fas eſſe conſtituerunt. *Leg.* 2. *C. de inceſt. & nupt.*, quum etiam in edicto Prætoris infamia notarentur, qui ea labe laborarent. *Tit. de iis, qui not. infam.* Neque vero negaverimus, fuiſſe hac etiam in re, iterum aut ſemel, a patriis legibus receſſum; aſt id MORE REGIO factum, ut Juſtini verbis utar de Philippo Rege Macedonum loquentis, atque per exceptionem potius, quam per morem oppoſitum inductum. Legem ſiquidem a Cæſare editam referente Suetonio, *uti uxores, liberorum quærendorum cauſa, quas, & quot vellent, ducere liceret*; eam, inquam, legem, quemadmodum & alteram, ſi qua umquam fuit, Valentiniani, de facultate facta duas ducendi ſimul uxores, nonniſi Julium ipſum Cæſarem, ipſumque reſpexiſſe Valentinianum, cenſent Viri præſtantiſſimi, minime vero univerſos.

Fac

Fac adhuc univerſos reſpexiſſe: quum tamen tales leges non tribuerint, niſi jus, ut aiunt, facultativum, cui quiſque libere poteſt renuntiare; nemo per illas cogebatur, ut recederet a monogamia; proindeque Romano in Imperio obeſſe polygamia non poterat converſioni Gentilium, Chriſtianæque vitæ profeſſioni.

Obeſſe tamen illa potuit, inquiet quis, apud polygamas nationes Imperio Romano minime ſubiectas: ubinam gentium igitur Chriſtiani illi Parthi, Æthiopes, Indi, Britanni, Barbari tot ceteri, a Patribus ambitioſe prædicati? Quaſi vero libertas, aut etiam facultas per legem, aut conſuetudinem, aliquibus facta gentibus polygamiæ uſurpandæ, præceptum aliquod fuiſſet, quo homines ſinguli earum gentium plures debuiſſent ducere uxores: quaſi non fuiſſet jus, ut mox dicebamus, facultativum, cui poterat quiſque renuntiare: quaſi ob veniam polygamiæ, quam Deus Abrahamo fecerat, eiuſque poſteris, nullus eſſe potuiſſet Hebræorum, qui non fuiſſet pluribus uxoribus implicitus: aut potius innumeri inter ipſos non fuiſſent uxore unica contenti: quibus de rebus nemo prudens dubitaverit. Eſſe igitur potuerunt, & porro fuerunt, initio Evangelicæ prædicationis, apud populos barbaros Chriſtiani: quamvis non eo numero & copia, qua in Imperio Romanorum. Nam etiamſi Barbaris quoque prædicata initio fuerit Evangelii fides, ac vetuſta adeo aliquarum fuerit origo Eccleſiarum, ut qui vulgo earum habentur Auctores, earumdem Inſtauratores potius appellandi eſſe

videantur: attamen qui Religioni nomen primo illis in regionibus dedere, in ea conſtanter non perſeveraverunt; ſed crudeliter necatis iis, qui doctrinam Evangelicam attulerant, iiſque qui, eam amplexi fuerant, illarum gentium plurimæ ad ethnicas ſuperſtitiones rediere: quemadmodum in Scotia contigit, de qua vulgatum illud:

Chriſti tranſactis tribus annis atque ducentis
Scotus Catholicam cœpit habere fidem;

Atque etiam in Britanniæ parte, jam Apoſtolorum tempore luce veritatis illuſtrata; quæ tamen quum exſtincta prope penitus fuiſſet, ſtudio & opera Gregorii Pontificis, rurſus orta, ac per totam Inſulam diffuſa eſt. Idem in Galliis olim eveniſſe cenſet Auctor præfationis in novam Galliam Chriſtianam. Verum aliter ac felicius evenit in regionibus jamdiu Romano Imperio ſubjectis, ubi ſemel plantata fides tam ſolidas profundaſque radices egit, ac ſtatim adeo ſuccrevit, ut fructus in illis feraciſſimos protulerit.

Duo igitur laudabant Patres quodammodo diverſa: ſcilicet MULTITUDINEM IMMENSAM CHRISTIANORUM, eoſdemque in barbaris etiam regionibus. Priorem Romano in Imperio reperimus; alios ſive parvo, ſive magno numero, etiam tamen apud Barbaros. Ætate Conſtantini *NOBILISSIMAM CHRISTIANORUM MULTITUDINEM Perſidis loca longe lateque decoraſſe* vidimus ſuperiore capite ex Imperatoris ipſius teſtimonio. Non obfuit igitur nobiliſſimæ

huic

huic multitudini Perſicæ polygamiæ conſuetudo, quin Chriſto nomen dediſſet. Verum & id longe ante Conſtantinum evenerat teſte Bardeſane, Juſtini Martyris coævo, apud Euſebium, lib. VI. præparationis Evangelicæ capite 10. inquiente: *Quid porro de Chriſtianorum inſtituto dicemus, cuius nos ſectatores*, πολλοὶ ὄντες *MAGNO QUIDEM NUMERO, & in diverſis terræ partibus exſitimus, qui tamen in omnium tum genere, tum climate, uno omnes eodemque nomine appellati ſumus? Enim vero nec in Parthia, Parthi licet, PLURIBUS UTUNTUR UXORIBUS, nec in Perſia, Perſæ licet, filias uxores ducunt, &c.* Idem jam animadverterat Euſebius ipſe libro citati operis I. capite 4. his verbis: *Ex quo doctrina Chriſti PER UNIVERSUM ORBEM diffuſa verbis & concionibus Apoſtolorum aures hominum afflari cœpere, neque Perſæ, qui ſemel eius diſciplinæ nomen dedere, nuptias amplius cum matribus ineunt; nec alia Barbarorum genera inceſto filiarum, ſororumque concubitu pollauntur, &c.* Hic idem Cæſarienſis Præſul Commentario in Pſalmum LIX. ad verba: in Idumæam extendam calceamentum meum, ita ſcribit: *Et hæc opere completa licet ipſis oculis percipere iis, qui in Arabum regione peregrinantur, quum videant MOABITAS, ET AMMONITAS, qui penes illos magno numero ſunt, implere Eccleſias Dei: quam item prædicationem in promptu eſt completam videre iis, qui in Idumæam concedunt, & MULTITUDINEM ECCLESIARUM DEI ibi conſpiciunt.* καὶ τὰ πλήθη τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ θεοῦ ὧδε παραλαβόντες. Rurſus Commentario

tario in Pſalmum XCII. ad verba: elevaverunt flumina vocem ſuam: *Hae enim quum antiquitus latuiſſent, nunc audita fuerunt omnibus, qui divino Spiritu dignati ſunt, Prophetis, Apoſtolis, & Evangeliſtis*, μυριάνδρων τε λαῶν καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, *MYRIADIBUSQUE POPULORUM, qui per totum orbem in Eccleſiis ſalutare regnum annuntiant. MULTITUDINES ITEM ECCLESIARUM Servatoris noſtri per hymnos, & pſalmos elevantes vocem ſuam poſſunt flumina vocari &c.* Adeo divini virtus verbi inolitos potuit mores ſuperare.

Intelligimus heic, quanto verſentur in errore qui veriſimile exiſtimant Apoſtolos, ac Viros Apoſtolicos, cum prioribus Chriſtianis circa polygamiam diſpenſaviſſe; præſertim quod evidens prohibitio diſpenſationis eiuſmodi in ſacris literis non inveniatur, quemadmodum inquit Bohmerus libro II. Schilteri ſui illuſtrati, titulo ſecundo. Si enim Apoſtoli, ſubdit, primos illos Chriſtianos ad unam uxorem adſtrinxiſſent, maximum propagationi Eccleſiæ attuliſſent obicem. Quomodo enim potuiſſent præſertim Judæi, etiam in Chriſtiana ſacra bene animati, illis nomen dare; ſi una excepta, opus fuiſſet eas relinquere uxores, quibus fidem dederant, & quibuſcum vitæ conſuetudine jamdiu tenebantur? Heinc apud Habeſſinos, etiamſi Chriſtianos, ſimultaneam tolerari polygamiam tradit Jobus Ludolfus libro III. hiſtoriæ Æthiopicæ capite 1.

Imprudenter hæc ſane omnia. Nam, ut omittamus Paullum de dignitate, & officiis matrimonii

nii dicentem, una de uxore ſemper loquutum; numquam vero vel obiter de pluribus: Juſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone Judæo Recutitorum polygamiæ oppoſuit unitatem matrimonii Chriſtianorum. Quanam fronte ac ſinceritate candidiſſimus Martyr id obieciſſet ſagaciſſimo Judæo, ſi vel per diſpenſationem plures aliquando unius viri uxores fuiſſent ab Eccleſia toleratæ? Impotenter in Orthodoxos declamabat Tertullianus propterea quod ſucceſſivas permitterent nuptias: quanto maiore fuiſſet debacchatus impetu, ſi aliquando toleraviſſent ſimultaneas? Adverſus Jovinianum, æquantem matrimonium virginitati, vehementer adeo diſputavit Hieronymus, ut aliquibus modum exceſſiſſe videatur; nec invenimus tamen illo in æſtu ſanctum Virum tribuiſſe adverſario, quod talis diſpenſationis mentionem fecerit; cuius tamen, ut erat acutiſſimus, mentionem non omiſiſſet, ſi factum contigiſſet aliquando. Ut hæc, inquam, omittamus, quæ nam tamen aderat neceſſitas, ut Apoſtoli, Virique Apoſtolici, in polygamia diſpenſaviſſent, quum civiles per leges nulla eiuſmodi fuiſſet in Imperio Romanorum? Barbari ad Chriſtum converſi, ut mox diximus, ſtatim ab ea receſſere. Reliqui erant Judæi, ſed num cuncti neceſſario polygami? Quis credat? Neque vero qui pluribus uxoribus implicati, Chriſto dare nomina optaſſent, forte fortuna eas debuiſſent barbare ac inhumaniter expellere; verum ſatis erat, ut ſinguli priori, quam duxerant, retenta, cum ceteris, tamquam cum ſororibus verſarentur, quemadmodum

modum ſacris a Paſtoribus non ſemel præceptum eſt, & quemadmodum tot ſacros Eccleſiæ Miniſtros, honeſto olim ac legitimo in matrimonio cum unica verſantes, ſponte libereque feciſſe hiſtoria tradit Eccleſiaſtica; immo ſtudio cœleſtis puritatis laicos etiam plures: quod Stephanus Balnuzius animadvertit in librum V. Operis de Gubernatione Dei, Salviani.

Concubinæ porro duplicis olim erant generis: quædam ad tempus, aliæ perpetuæ, ac veluti uxores ductæ, eſto ſine dotalium tabularum ſolemnitate. Erraret qui opinaretur, prioris concubinas generis fuiſſe Romano in Imperio legibus conceſſas, quum eas ethnici quoque turpiſſimas haberent, etiamſi procreandorum filiorum cauſſa ductæ eſſent. Nec intelligo, quare nonnulli tam imperfectam ſibi conſtituant Romanarum legum notionem; neque enim patientia & tolerantia Judicum cum legis permiſſione, aut conniventia etiam confundenda eſt. Pro Romanarum igitur honeſtate legum perpetuus modo valebat concubinatus, ſola ſolemnitatum inopia a vero matrimonio diverſus. Vel apud infideles novi orbis illud fuiſſe inter uxores & concubinas diſcrimen, quod illæ cum cæremoniis, iſtæ ſine ſolemnitate ducerentur, teſtis oculatus fuit, qui duodeviginti annos in illarum dialectis regionum addiſcendis comſumpſit, & in Mexicana Academia Præceptoris munere functus eſt; Alphonſus a Vera Cruce, parte II. Speculi conjugiorum articulo 3. Verſantibus igitur in ſecundi generis concubinatu tunc temporis nil obe-

rat, quin Chriſtiani fierent. Quamvis enim Synodi, Epiſcopi, & Patres, honeſtiore ac honoratiore in thoro, nempe in juſto ac ſolemni matrimonio, fideles verſari tunc etiam maluiſſent; attamen Baptiſmum & Eccleſiæ communionem non negabant iis, qui naturali connubio utebantur: imperitiſſimeque ob id auſus eſt calumniari Concilia, & Patres Helvetius in adnotationibus ad caput XIII. ſermonis II. elucubrationis ſuæ, ceu illicitas in Eccleſia conjunctiones toleraſſent. Quid enim aliud erat permiſſus ille perpetuus concubinatus, niſi, uti pro Hebræorum, & Græcorum, ita etiam pro Romanorum, atque Longobardorum, Francorumque legibus ac moribus, PRIVATUM MATRIMONIUM, carens quidem ſolemnitatibus & civilibus effectibus juſti matrimonii, huius vim tamen habens, naturam & eſſentiam, ideoque a fornicaria ac illegitima conjunctione diverſiſſimum? Eiuſmodi tantum legitimas eo temporis, eſto inferioris conditionis, uxores toleraſſe aliquando Canones, & Patres, oſtenderunt Cuiacius, Seldenus, Briſſonius, Gothofredus, Antonius Auguſtinus, Bellarminus, Natalis Alexander, Binghamus, &c., ne heic prætercam Cl. Carolum Sebaſtianum Berardium, Juriſconſultiſſimum Regio in Athenæo Profeſſorem, qui difficultates enodavit omnes, in quas ex concubinatu olim in Eccleſia non penitus improbato Viri plurimi inciderunt.

Utinam facile adeo Judæorum ac Gentilium divortia & repudia, aliquando a legibus permiſſa, excuſari poſſent. Neque tamen aut extre-

mum

mum turpitudinis a legibus toleratum fuiſſe arbitrabimur, aut moroſo a Seneca hominum atque morum, de quibus dicit, notionem efformandam; exaggerare quippe ſolent ii, quos nimis triſtes vexant cogitationes. Veteres lapides proſtant apud Gruterum, Muratorium, Maffeium, alioſque, in quibus duo mariti uni mulieri occurrunt; heinc Muratorius in Indice hiſtorico XIII. fœminas apud Romanos binis quandoque uno tempore conjunctas maritis fuiſſe, facile nimis arbitratus eſt; quem propterea jure corrigit doctiſſimus Maffeius in Muſeo Veronenſi pag. CXLVIII. proptereaquod non omnia divortia diſſidiis intervenientibus, & odio exorto evenirent; ſed id conſilium vir & uxor ob utilitates mutuas concorditer amplecterentur; quod ex Hermogeniano Vir illuſtriſſimus confirmat, exque Romanis Legibus: proinde nil mirum, ſubdit, ſi benevolentia durante, ubi mulier decederet, cum præſente marito anterior quoque interdum ad eius honores occurreret: nihilque eſſe in obiectis inſcriptionibus, quod ambos eodem tempore conjuges indicet fuiſſe: Viris, in priſcis marmoribus, multas ſæpe tribui dignitates, & munera; neque tamen eodem tempore iis decoratos fuiſſe &c. Ut ad divortia revertamur, notum cuique eſt, quam ſero labes illæ fuerint Romanam in Rempublicam inductæ, & quanta reprehenſione digni olim habiti, qui ea libertate abutebantur: quum facile ſaniores intelligerent, divortia juſti matrimonii naturæ adverſari; quare honeſtiores mariti apud Romanos uxoribus jurarent, ſe eas

non eſſe repudiaturos. Quemadmodum vero non omnes Judæi ex Hillelianorum ſecta erant, qui quacumque de cauſſa dimitti poſſe uxorem ſomniaverant; ſed, ut Grotius, Buxtorfius, Seldenus, Pufendorfius, &c. adnotant, ſanior Synagogæ pars Sammæorum doctrinam ſectabatur, quæ niſi propter graviorem turpitudinem repudium non permittebat: ita apud Romanos, non quibuſcumque levibus de cauſſis, ſed a lege ſolum, & Sapientum judicio conſtitutis, poterant coniuges divertere, ut a ſexcentis Scriptoribus animadverſum eſt. Auguſtus ut divortiorum frequentiam coerceret, damni metu maritos jam abſterruerat; quem alii Cæſares, præſertim Chriſtiani, imitati ſunt, divertendi motiva magis magiſque contrahentes, acti præſenti doctrina, precibus, lacrymis, & adhortationibus ſanctiſſimorum Præſulum, ac Patrum, qui ubi Chriſtianos etiam aliquos intellexere eo morbi genere vexatos, vix aliquando incredibili patientia uſi ſunt, ut capite VII. huius Commentarioli innuimus, & magis adhuc patet ex libris de Gubernatione Dei, Salviani, quamvis prudenter ac temperate intellectis; ac deinde nihil non præſtitere ut peſtiferum illud *Mœchiæ* genus a fidelium moribus, animis, ac mentibus averuncarent. Futura hæc erat maxima Religionis Chriſtianæ, ſed difficilis & ardua, nec niſi maximis, diuturnis, ac repetitis referenda laboribus victoria. Futurus hic erat poſtremus noſtræ Religionis per leges & Chriſtianos Principes feliciori Eccleſiæ tempore triumphus, ut quemadmodum duriorem ſervitutis conditio-

ditionem, & crudelem uſuram, & incertum periculoſumque concubinatum; ita illegitima æque divortia & repudia, novaſque, & novas, quæ ad ea ſemper ſequebantur, nuptias, ſuis tandem aliquando a ſectatoribus eradicaret. Ceterum Judæi in uſuram magis, atque ethnici magis in idololatriam communiter propenſi erant, quam in divortia, & repudia: proindeque, ſi nec idololatria, nec uſura, neque tot aliæ labes, maximam utriuſque gentis partem a ſuſcipienda Chriſti religione averterunt; cur id præſtitiſſet divortiorum miſera ac libera facultas, quam nec ſemper uſurpare per leges ipſi poterant, nec inviti ad uſum eam revocare tenebantur?

Quod ad Evangelia ſerius publicata pertinet, eorumque verſiones haud ſtatim concinnatas, vereor, ne qui anſam inde ſumeret negandi multitudinem veterum fidelium, naturam ille rerum, hiſtoriamque Eccleſiaſticam, & Patrum dicta ſatis perpendiſſet. Non enim lectione Evangeliorum, ſed verbis concionibus, prædicatione, adhortationeque, & miraculis Apoſtolorum, eorumque, qui eis proxime ſucceſſere, plurimas gentes ad fidem converſas fuiſſe teſtantur. Notiſſima ſunt illa Irenæi libro contra Gentes III. capite. 4. *Traditioni aſſentiunt Gentes Barbarorum eorum, qui in Chriſtum credunt, SINE CHARACTERE ET ATRAMENTO ſcriptam habentes in cordibus ſuis ſalutem, & veterum TRADITIONEM diligenter cuſtodientes*; atqui univerſum ignobile vulgus, etiam apud Græcos & Romanos,

dici æque poterat, & porro erat, SINE CHARACTERE ET ATRAMENTO, quemadmodum hodie apud nos eſt, ac ubique ſemper futurum eſt; itaque ſi multi olim apud Barbaros, & innumeri nunc apud nos, abſque Scripturarum lectione, adhuc tamen veri ſunt fideles, cur idem contingere non potuerit ante edita Evangelia, & vulgarem in ſermonem verſa? Et vero quid verſionibus opus fuiſſet in Apoſtolica Eccleſia, ubi donum erat linguarum, interpretatio ſermonum, atque Prophetia: ubi hymnis, cantibus, adhortatione concioneque Præſulum, & celebratione Euchariſtiæ, ſynaxis fidelium conſtabat?

Juſtini tempore, quo revera cœpit ingens Chriſtianorum multitudo, ſacri etiam Codices in ſynaxi legebantur. Verum imprimis, quamvis non ſtatim adeo verſi in alienas fuiſſent linguas novi Fœderis libri, vix tamen eſt, ut maximam hominum Romani Imperii partem eos non intellexiſſe conſequamur. Non enim ætas Juſtini Martyris erat ætas A. Albini, qui cum L. Lucullo Conſul fuit, quique dum res Romanas græca oratione ſcriptitavit, græcum eloquium ab auribus Romanis alieniſſimum fuiſſe fatebatur apud A. Gellium libro Noctium Atticarum XI. capite 8. & Macrobium in præfatione Saturnalium. Verum ex oppoſito ii erant jam mores ſecundo Eccleſiæ ſeculo, ut Millius ipſe animadverterit, fidelibus, qui jam Romæ agebant, advenis, Judæis, Ægyptiis, aliiſque, familiariter notam fuiſſe linguam græcam, ac plane dixerim vernaculam: quod idem de Provincialibus, aliarum-

rumque quarumdam orbis partium Chriſtianis dicendum, cenſet, juxta Juvenalis illa:

Nunc totus Grajas habet orbis Athenas,

Sed & Hieronymus de Orientalibus ſui ævi, *ſermone græco*, inquiebat, *omnis loquitur Oriens*; proindeque nondum verſi Codices Novi Fœderis, poterant adhuc ab immenſa tum Orientis, tum Occidentis multitudine hominum intelligi.

Abeſt tamen adeo ut verſionibus ſacrarum literarum primi caruerint fideles, ut latinam interpretationem vel ab Apoſtolorum tempore concinnatam fuiſſe præclariſſimis oſtendat argumentis Vir Cl. Philippus Garbellius in epiſtola ad Joſephum Blanchinium, de Codice Evangeliorum Brixiano, in qua dum Millio occurrit, noſtram propugnare videtur de maximo primorum fidelium cenſu veritatem. Scribit enim: *Quis umquam credat ex ſolis Judæis, Ægyptiis, atque Orientalibus naſcentem Romæ Eccleſiam conſlitiſſe? Quid ſibi Petrum, quid Paullum, biennio illo, quo libera in cuſlodia manſit, egiſſe putemus; niſi ut omnibus qui ad audiendum conveniſſent, Evangelicæ doctrinæ lumen effunderent; ſive Græcis, ſive Barbaris, quibus ſe debitorem fatebatur? Adde diſcipulos, neque eos tantum, ſed e Gentilibus recens ad fidem converſos, ubicumque ſe offerret occaſio, eamdem, Apoſtolorum exemplo, in familiaribus, contubernalibus, notis, ſerere ſatagentes. Quoti propterea non ex ſolo Oriente, in ampliſſimo illo nationum gurgite, cæleſtium chariſmatum participes facti?*

facti? Et erant profecto Romæ Grammatici plures, qui græcas literas docerent. Quid tum? ut nos latinam, ſic illos græcam linguam non domeſtico uſu, ſed a Præceptoribus diſcere oportebat. An idem propterea de ceteris omnibus dicendum? Quid ingens illa in urbe, in agris, per Italiam ſervorum colluvies? quid propolæ, inſtitores, lanii, fabri, fullones, ſutores, &c. uno verbo, quid tanta viliorum capitum multitudo Romæ, in coloniis, in municipiis, ubique tum & honeſtorum, quibus arcta res domi eſſet? Num & hi dieculas in ludo triverant, græce loqui ut addiſcerent? Et tamen ex iis ut plurimum primis illis temporibus conſtabat Eccleſia. Heinc merito Apoſtolos τὴν γλῶτταν ἰδιωτεύοντας dixit Euſebius libro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ III. capite 24., ac propterea multa illos in transferendo tribuiſſe VULGO IDIOTARUM, quibus ea tunc ſcribebantur. Exciderant autem Millio inter Romanos Pontifices poſt Petrum LINUS, poſt hunc fortaſſe etiam CLETUS, certe tertius CLEMENS Latini. Et quidem LINUM duodecim annis res Eccleſiæ adminiſtraſſe e veteribus diſcimus. Cur itaque non ſub hoc adornata Novi Fœderis translatio? an deerant principi omnium Eccleſiæ in frequentiſſimo gentium e Provinciis ad urbem appulſu eorum, ſimul ac prodierant, Apographa, ut ne verti commode poſſent? an fortaſſe non opus AUCTO IN DIES CREDENTIUM NUMERO, ut verterentur? Neutrum profecto, ni fallor. Ceterum hæc de primis omnino fidei initiis diſputantur: ſtatim quippe poſtea diverſas in linguas fuiſſe ſacros libros, diuque ante Conſtantinum, tranſlatos,

ſlatos, teſtatur Euſebius in oratione de laudibus illius Imperatoris, ſcribens: παντοίᾳ γλώσσῃ Βαρβάρων τε ϗ ἑλλήνων, OMNIUM, TUM GRÆCORUM, TUM BARBARORUM LINGUIS eos legi; qua de re fidem rurſus facit in fragmento a Johanne Grabio græce ac latine allato in adnotationibus ad Spicilegium Patrum: ne heic repetam quæ de multiplici ac prope infinita verſionum illarum copia ſcripſere Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theodoretus, &c. Certe Theodorus Meyerus, inter ſuos celebris, in hiſtoria Religionis Chriſtianæ per ſingula a Chriſto nato ſecula digeſta, capite V. ſectione II. §. 13. innumeras illas vetuſtiſſimas verſiones, præter Syriacam ab Apoſtolicis Viris fideliſſime conſcriptam, præſentiſſimum fuiſſe cenſet ad Chriſtianam Religionem longe lateque proſeminandam inſtrumentum & medium.

CAPUT

CAPUT XVI.

Reliqua refutantur, quæ contra ingentem primorum Chriſtianorum copiam opponi videntur poſſe teſtimonia, & facta.

PAucos fuiſſe ante Conſtantinum fideles ex maximo nonnulli argumentantur eorum numero, qui poſt illius Cæſaris converſionem, & perpetuam pacem Eccleſiæ conceſſam, Chriſto nomina dederunt. Illa de ætate ſcribens Sozomenus libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ II. capite 5. inquiebat: *Multæ quoque urbes* αὐτομάτως *ſuapte ſponte ad ſacra noſtra colenda adductæ ſunt, quæ & ſimulacra ſua libenter everterunt, ac templa in Eccleſias veri Dei mutaverunt.* Erant proinde ante Conſtantinum urbes illæ univerſim ethnicæ. Nec minorem vim faciunt quæ narrat Comes Marcellinus in Chronico ad A. D. CCCCXIX. Monoxio, & Plinta Coſs. ſcilicet: *Multæ Paleſtinæ civitates, villæque terræ motu collapſæ: Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſemper ubique præſens, & ſuper montem Oliveti Hieroſolymæ vicinum ſe ſe de nube manifeſtavit. Multæ tunc utriuſque ſexus vicinarum gentium Nationes tam viſu, quam auditu perterritæ, atque credulæ, ſacro Chriſti fonte ablutæ ſunt.* Ex quibus aliquis argumentari poſſet, integras circum Palæſtinam nationes ac gentes, quinto adhuc ſeculo, fuiſſe a Chriſti fide ac nomine alienas; nec antiquiorem fuiſſe fidei & Eccleſiæ propagationem in Occidente, deducere

cere quis ex Auguſtino poſſet, epiſtola XXIX. ad Alypium ſcribente: *Cum FACTA PACE turbæ Gentilium in Chriſtianum nomen venire cupientes hoc impedirentur, quod dies feſtos cum idolis ſuis ſolerent in abundantia epularum, & ebrietate conſumere, nec facile ab his perniciosiſſimis, & tam vetuſtiſſimis voluptatibus ſe poſſent abſtinere, viſum fuit MAJORIBUS NOSTRIS, ut huic infirmitatis parti interim parceretur, dieſque feſtos, poſt eos, quos relinquebant, alios in honorem Ss. Martyrum, vel non ſimili ſacrilegio, quamvis ſimili luxu celebrarent.* Si ſolum facta Eccleſiæ pace συγκατάβασιν iſtam erga Gentiles Epiſcopi habuere, quo Chriſtianam ad fidem plebes pertraherentur; itaque facta jam pace maior adhuc populorum numerus ethnico perſeveraſſe in cultu dicendus foret, proindeque maximus non fuiſſe fidelium ante Conſtantinum cenſus.

Sunt ex oppoſito qui Chriſtianam rem neque Conſtantino ad fidem converſo valde proceſſiſſe colligunt ipſius ex legibus, & agendi ratione: quum primo Imperator ille omnibus dederit ſequendi quam quiſque maluiſſet religionem, ſed ſuo judicio liberis, & abſque ulla coactione: adeo ut proteſtatus fuerit, neminem a favore ſuo lapſum ac divulſum iri, qui Chriſtianus eſſe noluiſſet. Receſſiſſe ipſum poſtea a moderatione illa inquiunt; aſt quorſum, ſubdunt, ad auctoritatem, & vim, & imperium confugere demum debuiſſet, ſi, pace ab ipſo Eccleſiæ conceſſa, tot tantique, ut creditur, fuiſſent in ſacra noſtra bene animati? Ut vero ſcribit Ezechiel Spa-

nhemius,

nhemius, præfatione in opera Juliani; incidit Cæſar iſte in ea tempora, quibus quamquam Chriſtiana pietas Regali etiam, ſive Imperatorio, ut eo ævo loquebantur, purpuræ novum, ſive divinius attuliſſet lumen; Gentiles tamen longe adhuc numero prævalebant, maxime qui liberalium artium & ſcientiarum ludos in celeberrimis Romani orbis civitatibus aperuerant; ſacra ipſa Gentilium, necdum in univerſo Romano orbe abolita; quod magnus adhuc eſſet paſſim Gentilium, & quidem in Oriente, ipſaque in Ægypto numerus, prout Saturni adhuc apud Alexandrinos templi, ubi fæda ab Æditiuis eius commiſſa eſſent ſcelera, mentio fit in libro Cyrilli Alexandrini adverſus Julianum, ubi etiam ſcriptis illius Παραβάτου, imminutum fidelium numerum ſatis innuit; quare & Theodoreti Cyrillo æqualis exſtant ſcripta adverſus Gentiles ſui ævi, pro adſerenda Evangelica veritate *Therapeutici*; & quidem, ut in eruditiſſimi illius operis proemio teſtatum facit, ad eos retundendos, qui familiaribus ſecum colloquiis, Græcorum fabulas admirantes, Chriſtianorum fidem, & eorum, qui illam tradiderant, Apoſtolorum inſcitiam, ac barbariem ludibrio habebant; indeque illa Sophiſtarum, & Philoſophorum, Juliani præſertim tempore, colluvies; inde illa, ut objiciebat Clarkſonus, Deorum templa & ſimulacra ad ætatem uſque Theodoſii erecta: quæ omnia nondum ſatis auctum fuiſſe confirmant cenſum Chriſtianorum.

Sunt

Sunt denique qui animadvertunt, magis progreſſui Chriſtiani nominis obfuiſſe ſuis artibus Julianum, quam Tyrannos omnes, qui ferro, cruciatibus, proſcriptionibus, ac omni tormentorum genere in antiquiores fideles ſævierunt: ſub Valente ac Valentiniano talem adverſus Clericos, Monachoſque ortam perſequutionem, ut Valentis juſſu octuaginta Eccleſiaſtici Ordinis Viri ſimul fuerint flammis dati: aram victoriæ inſtaurari conceſſiſſe Valentinianum, eidemque ſacrificia fieri; ipſo ſub Theodoſio nedum triumphos agere velle viſam idololatriam; ſed, quod ſine lacrymis memorari non poteſt, talem tentatam a noſtris fuiſſe defectionem, ut niſi occurriſſet Imperator, eadem prope ſine ſectatoribus reliqua Romano in Imperio fuiſſet: jamque hujus pietate Principis res in meliorem redactas fuiſſe ſtatum, quum Maximus Tyrannus, Galliis occupatis, ac ingenti coacto exercitu, per Germaniam tranſiens, Italiam aggreſſus eſt, omnia per loca non tam arma ferens, quam adeo reſtituens idololatriam, ut niſi brevi victus interfectuſque fuiſſet apud Aquileiam, aliquod vix Chriſtiani nominis veſtigium reliquiſſet. Hæc ex Zoſimo libb. IV. & V. animadvertere nonnulli ſolent, ex quibus alii inferre poſſent, neque quartum ſeculum ad proferendam Religionem noſtram aptum ac idoneum fuiſſe.

Seculo adhuc quinto ethnici non modo ſuos habebant Sacerdotes, ut jam diximus, ac rurſus patet ex epiſtola Maximi Medaurenſis ad Divum Auguſtinum, quæ XVI. eſt inter Auguſtinianas

nianas poſtremæ editionis, exque epiſtola ethnici Sacerdotis Longiniani, quæ eſt CCXIV. ad eumdem; verum & tanto adhuc erant numero, ut poterant civili in ſocietate cum fidelibus conferri. Scribit enim Theodoretus libro XI. de curatione græcarum affectionum: ἐςὶ δὲ ἰδεῖν ϗ' κατὰ τὴν πρόῤῥησιν, μεμερισμένας τὰς οἰκίας, κ. τ. λ. *Eſt quoque videre quod Chriſtus futurum prædixit, jam domos familiaſque diviſas. Aut enim viri Chriſtiana capti Religione pugnant cum uxoribus, quæ adhuc in ſua impietate perſiſtunt: aut uxores, quæ pietatis jugum ſubiere, errantes viros fidei ſagena irretire conantur; ut ita hæc non inficianda diſſenſio laudabilem pariat unionem.* Si Theodoreti ætate, altera coniugum pars erat fidelis, altera adhuc infidelis, quonam ſibi perſuadere quis jure poſſit, quarto ſeculo, multoque magis ante conceſſam Eccleſiæ pacem, maximam fuiſſe Chriſtianorum copiam? Haud igitur mirum, Gregorium Nazianzenum, & Paullinum Nolanum, exigui ſe Paſtores gregis appellaſſe.

Videntur hæc omnia adverſus primorum multitudinem fidelium quamdam veritatis imaginem habere; facillime tamen eiuſmodi etiam nodi diſſolvuntur. Primo ſiquidem, quod ad Imperatorum decreta adtinet, ſive in Chriſtianorum favorem, ſive in odium ethniciſmi, ſive pro libertate in Religionis negotio, per Conſtantinum, & ſucceſſores eius lata, nemo eſt qui intelligere non valeat, ea nihil obſtitiſſe ingenti multitudini noſtrorum. Favit omni certe conatu idololatriæ Julianus; nonne tamen vidimus, ipſum &

dictis

dictis & factis conteſtatum eſſe, omnes prope Romani Imperii incolas fuiſſe Chriſtianos? Quid vero ſequitur ex Cæſarum illius ſeculi decretis contra idololatriam? illud ſane, jam tum fideles numeroſiores ethnicis fuiſſe: quod ſatis indicat Sozomenus libro III. capite 3. ubi tradit, haud potuiſſe Conſtantini legibus in favorem Chriſtianæ Religionis ſe ſe opponere Idolorum Æditųos & Flamines, propterea quod derelicti a MULTITUDINE POPULI fuiſſent, nec aliquod haberent in MULTITUDINE POPULI præſidium. *γυμνωθέντες δὲ τῆς τοῦ πλήθους ῥοπῆς οἱ νεωκόροι καὶ οἱ ἱερεῖς.* Chriſtianis igitur ſacris erat jam univerſus prope populus addictus. Quis enim animo etiam fingere ſibi valeat, Conſtantinum, alioſque Religioni noſtræ propitios Imperatores, nullo POPULI, nulloque MULTITUDINIS præſidio fultos, auſos eſſe Chriſtifidelibus adeo favere? Num ſi maior populorum pars in idololatriæ luto, quarto adhuc ſæculo hæſiſſet, facile permiſiſſet, ſua ſibi per vim aliquando ereptum iri ſigna ſacra, & ſimulacra, ſuaque everti templa, deſtrui, incendi? Id non tam facile crediderim. Ex ethnicorum igitur tunc temporis paucitate inferendum eſt, factum fuiſſe, ut edicta adverſus idololatriam tulerint, & abſque tumultu exequutioni demandare potuerint Chriſtiani Cæſares; fuiſſe ſiquidem id noſtrum proprium omnis antiquitas teſtata eſt, ut reſiſtendi vim habentes, ac vim vi repellendi, neque reſtiterint tamen, neque hoſtes niſi patientia tormentorum ſuperaverint. Qui pro conſcientiæ, ut aiunt, libertate, ac in

favo-

favorem idololatriæ, orationes habuere, Libanius, Themiſtius, & Symmachus, abunde conteſtati ſunt, ethnicos tunc noſtris infirmiores numero fuiſſe; nam illi demum ſoli pro libertate Religionis contra vim declamant, qui poteſtate reſiſtendi carent, quique quum neque cogere valeant, neque ſe tueri, orant ſaltem ne cogantur.

Equidem Oratorum gentilium, ac Rhetorum, adverſus edicta eiuſmodi, querelas retuderunt olim Patres, ac, maiorum noſtrorum memoria, egregii Scriptores, inter quos Johannes Gothofredus, qui adnotatione in orationem Libanii *pro templis* animadvertit, tum Rhetorem hunc, tum etiam Themiſtium, oratione ad Jovinianum, alteraque ad Valentem, nil urſiſſe magis, quam Religionem non cogi, ſed perſuaderi oportere. *Verum*, ſubdit Gothofredus, *Paganis tum demum hæc dia ſententia placere cœpit, quum jam VERSO CARDINE aperte vim intentare ipſi non poſſent vel ſibi ſaltem cautum vellent.* Hic idem Auctor in epiſtola de interdicta Chriſtianorum cum Gentilibus communione, adverſus Baronium, & Morinum, ſatagit ut evincat, Chriſtianos Cæſares ante Gratianum, numquam Pontificis Maximi titulum ſuſcepiſſe: *Nam*, inquit, *amplectendi huius tituli, quem a mixtura, ſeu* μιποχŷ *quadam gentilitiæ ſuperſtitionis nuſquam avellas, nuſquam Chriſtianis Imperatoribus neceſſitas fuit: quandoquidem POTIORE TUM LOCO res Chriſtianorum erant, Romæ etiam exoleſcente in dies magis magiſque pagana ſuperſtitione.* In rem noſtram animadver-

tere

tere ſatis erit, Themiſtium ipſum, dum pro conſcientiæ libertate totis viribus orabat, noſtrorum multitudinem, præ numero tunc Gentilium, faſſum apertiſſime fuiſſe. Mortuo ſiquidem Juliano Auguſto ſumma omnium conſenſione Jovianus creatus eſt Imperator, qui Ancyræ Galatiæ Conſulatum iniit cum Varroniano filio: indeque Conſtantinopolim reverterti, quum jam Dadaſtanam perveniſſet, cum aliis Senatorii Ordinis Principibus obviam proceſſit Themiſtius, qui apud eum celeberrimam Orationem habuit, quæ XII. numeratur, & in qua primo de eius ad imperium evectione gratulatus, tum ob id eum maxime commendavit, quod liberum cuique ſiverit, ut quam vellet Religionem, citra fraudem, teneret. Cetera inter momenta, quibus coactionem in Religionis negotio Orator inſectabatur, hæc reperiuntur digniſſima notatu: *Heinc eſt, quod ridicule omnino, non Deum, ſed purpuram colere convincimur; & in mutanda Religione Euripo inſtabiliores ſumus: heri tantum non inter DECEM, hodie inter QUINQUAGINTA numerati; iidem ad aras, ad victimas, ad ſimulacra, ad menſas.* μικροῦ δεῖν χθὲς ἐν τοῖς δέκα, σήμερον δὲ ἐν τοῖς πεντήκοντα, οἱ αὐτοὶ πρὸς ἱεροῖς, πρὸς ἀγάλμασι, πρὸς τραπέζαις. Vir maximus Petavius in hunc locum animadvertit, aras, victimas, & ſimulacra Gentilium, heic opponi MENSIS Chriſtianorum. Quid ſibi volebat igitur Themiſtius? Certe, ut ex orationis ſerie, ac tota ſermonis complexione etiam patet, ob decreta Conſtantini, filiorumque in Gentiles, vel ob aſſentationem ho-

lateque per campos & ſemina infinito impetu effundit; ita innumeros multis in urbibus Chriſtianos, qui ante Conſtantinum legibus cohibebantur, ne Chriſtianum nomen, quod clam & tacite colebant, libere ac publice profiterentur, ſemel conceſſa pace, & facta cunctis Chriſtianæ profeſſionis facultate, ſe ſe quales occulto jam fuerant, oculis omnium manifeſtaſſe, & in idololatriam inſurrexiſſe, quo ſuam in tuto Religionem collocarent. Illud vero animadvertendum maxime, Romano ſub Imperio urbes genteſque fuiſſe αὐτονομίᾳ gaudentes, ſuiſque non modo viventes moribus ac legibus, verum etiam patrios Deos ritu patrio colentes, uti Judæi erant ante Titum, & Veſpaſianum; earumque inſtituta gentium nec ipſos Cæſares violare aut immutare potuiſſe, niſi urbes aut gentes illæ rebellaſſent. Facta igitur a Conſtantino poteſtate quibuſcumque ea ſequendi, quæ vellent, ſacra; etiamſi eiuſmodi in urbibus milleni eſſe potuerint fideles, reliquum erat tamen, ut COMMUNE illarum civitatum Chriſtianam Religionem publice ſolemniterque adoptaret, quo civium quiſque libere profiteri eam poſſet; quum etiamſi non amplius id vetaret Romanus Imperator, ei tamen patriæ adhuc leges & conſuetudines obeſſent. Urbes illæ, ipſæ, quæ Romanis legibus vivebant, ſuos tamen, ut diximus, tum in Oriente, tum in Occidente, ætate habebant illa POPULUM REPRÆSENTANTES, quos æquum, immo neceſſarium videbatur, ſuapte ſponte, publico declarare actu debuiſſe, per Imperatoris

leges licitam jam tandem, immo probatam eſſe in Imperio Religionem Chriſtianam, ad illa uſque tempora vetitam ac proſcriptam: & quia quod a COMMUNI ET A REPRÆSENTANTIBUS POPULUM fit, illud ab univerſo populo fieri cenſetur, propterea dictum eſt, multas urbes tunc ſuapte ſponte Chriſto nomina dediſſe. Certe nec in ſimulacra irruiſſent populi, neque tunc idolorum templa evertiſſent, niſi publico veluti communitatum ſuarum decreto animati; aut id tanto ſtudio, tamque communibus conſiliis non eveniſſet, niſi jam ante Conſtantinum ipſum maxima civium illorum pars, alii publice, alii occulte, Chriſtianam Religionem profeſſi eſſent, ac de idololatria funditus delenda, deque ſolo Chriſti cultu per novas patrias leges ſolemniter admittendo jamdiu cogitaſſent.

Intelligitur quoque fidem non eſſe Zoſimo, nimis aperto Chriſtianorum hoſti, tribuendam; dum infelicem adeo exhibet Chriſtianarum rerum quarti ſeculi habitum ac ſtatum. Siquidem ſi, non tantum ſub Juliano, verum & ſub Valente, Valentiniano, atque etiam Theodoſio, res noſtræ ad anguſtos fuiſſent limites adeo reſtrictæ, quorſum quinto ſeculo reliqua eſſe potuiſſet vel aliqua Catholicæ Religionis umbra; dum Franci, Saxones, Mauri, Schytæ, Alani, & Hunni, qui omnes Pagani erant; Gothi vero, & Wandali Ariana perfidia imbuti, Romanum aggreſſi Imperium, totum vaſtavere, immo pene funditus everterunt? Si ponimus pauciſſimo fuiſſe numero per tria priora ſecula Creden-

dentes, vixque ſub Conſtantino & filiis eius eos exiguum accepiſſe incrementum, ſed ſtatim ſub Juliano repreſſos, denuo ſub Valente, Valentiniano, ac Theodoſio vexatos; irrumpentibus demum Barbaris, hæreticis, & paganis, noſtri e medio ſublati fuerint, omnino neceſſe eſt. Oppoſitum tamen evenit; & quamvis ob Arianas quæſtiones, ſchiſmaque Donatiſtarum, animis inter ſe diverſi fuerint toto illo tempore Chriſtiani: illique ipſi, qui humanitatem ac pacem inter populos fovere debuiſſent, faces ac turbines diſcordiarum fuerint: attamen Orthodoxis illa ipſa ætate tantum otii, virium, ac poteſtatis fuit, ut ad incitas redegerint ethnicos, Arianos, atque Donatiſtas. Non ſolum igitur initio, ſed poſtea etiam magis, numeroſiſſimi fuerint oportet Romano in Imperio Orthodoxi: illi quippe ſolum auctoritate utuntur qui potentiores ſunt: illi vero potentiores ſunt, qui numero valent ac multitudine; quum in hac tandem Reipublicæ vis & robur eſſe videatur.

Porro obiectum Theodoreti teſtimonium, fidelium numero & copiæ favet magis. Erant tunc adhuc ſane inter fideles atque infideles aliqua connubia: verum ex ita diſſentientibus conjugibus laudabilem unionem partam fuiſſe gaudet Theodoretus, propiereaquod fideles viri uxores infideles, & fideles uxores Chriſtianam pertraherent ad religionem viros infideles: quare & eiuſmodi connubia in incrementum & propagationem fidei, & Eccleſiæ collineabant. Quum Theodoretus libro VIII. & IX. eiuſdem Operis

præſtantiam Religionis noſtræ, ex eo maxime ſibi demonſtrandam ſumpſerit, quod ipſa ſuo tempore de univerſo orbe triumpharit, cogita, an ex Theodoreto diſſerere quis valeat in favorem paucitatis Chriſtianorum. Ceterum de Gentilium quantitate ac numero, in Imperio Romano poſt Conſtantinum, ex eorum querelis, & apparatu quodam judicandum non eſt; maiores quippe agebant turbas, quam numerus ac vis eorum poſtularent: quod proprium illorum ſemper fuit, qui niſi artibus ac dolis tutari ſe non poſſunt. Exemplum apertiſſimum habemus; quum enim Symmachus, urbis Præfectus, ſupplicibus verbis Imperatores, Senatus nomine, oraſſet, ut veteres Romæ inſtaurarentur Religiones, & ara victoriæ repararetur, epiſtolam ad Valentinianum Imperatorem, quæ XVII. eſt Maurinæ editionis, dedit Divus Ambroſius, ut eum a talibus concedendis rebus dehortaretur, ſcribens inter cætera: *Sed abſit, ut hoc Senatus petiiſſe dicatur: PAUCI GENTILES communi utuntur nomine: nam & ante biennium ferme, cum hoc petere tentarent, miſit ad me Sanctus Damaſus Romanæ Eccleſiæ Sacerdos judicio Dei electus, libellum, quem Chriſtiani Senatores dederunt; ET QUIDEM INNUMERI, poſtulantes ſe nihil tale mandaſſe, non congruere Gentilium eiuſmodi petitionibus, non præbere conſenſum: queſti etiam publice privatimque, ſe non conventuros ad Curiam, ſi tale aliquid decerneretur.* Conjiciunt ad hunc locum præclariſſimi editores, relationem Symmachi clanculum Imperatori adhuc puero oblatam fuiſſe; idque

for-

fortaſſis, ne vel Epiſcopi, priuſquam eius poſtulatis Valentinianus annueret, intercederent, vel CHRISTIANI SENATORES contrario libello dato reclamarent; quod jam in ſimili contigiſſe cauſſa heic teſtatur Ambroſius.

Illud immo qualecumque pugnæ & contentionis genus, quod quarto fuit ſeculo inter vices Chriſtianæ Religionis, ac idololatriæ, non a Provinciarum ac regionum vel Orientis, vel Occidentis oppoſitione, repugnantia, ac mobilitate derivatum eſt, ſed a ſolis urbibus Imperii præcipuis, quarum non exigua pars communicatione conditionis, negotiorum, ac munerum, adeo cum ethnicorum ſacris implicata, involutaque erat, ut niſi difficillime non poterat illo ab impedimento expediri. Intellexit id Vir eximius Boſſuetus, cuius cogitata circa Hiſtoriam univerſalem numquam magis vera eſſe deprehendimus, quam tum quam ſingularium comprehenſionem rerum jam ſumus aſſequuti. Univerſum Romanum Imperium jam Chriſtianum factum oſtendit, dum Romæ magna pars ſuorum adhuc teneretur ſtudio Deorum, quorum numini victorias, poteſtatem, & gloriam ſe debere ſuam ſomniabat. Heinc Symmachus in oratione pro ara victoriæ ad Arcadium, & Honorium, ita Romam inducebat loquentem: *Hic cultus in leges meas orbem redegit: hæc ſacra Hannibalem a mœnibus, a Capitolio Senonas, repulerunt.* Idem prope diceres de ceteris urbibus provinciarum dominis, uti Romanam magnitudinem & faſtum, ita ſuperſtitionem & vitia æmulantibus. Revera

Ss. Victoris Sociorumque Acta Martyrum ; a Paullo Colomeſio in obſervationibus ſacris, & a Ruinartio edita, his auſpicantur verbis: *Maſſilia civitas ampla, quondam mirabili ſtructuræ ſuæ firmitate ſimul & fortitudine glorioſa, in optimo terræ ſolo, in capite Galliarum ſita, terra marique omnium fere gentium commerciis parens, immenſa divitiarum opulentia, & frequentibus populorum turbis, armorumque terroribus inclita fuit: unde & ROMANÆ POTENTIÆ meruit eſſe in Occiduis partibus, quædam propria ſedes: quare ROMANORUM NUMINUM, immo Romanorum Dæmonum ſtudioſa cultrix, & ſacrilegarum ſuperſtitionum ACERRIMA ET FEROCISSIMA DEFENSATRIX habebatur: quas ob res ſuperba nimis ac peſſima, tanta crudelitate in Chriſtianorum ſupplicia, Sanctorumque neces raptabatur, &c.* Maiora igitur obſtacula in urbibus ceterarum dominis, quam in urbibus Provinciarum, inque oppidis, & pagis, & vicis, quum paſſa fuerit Religio, mirum eſſe non debet, ſi quarto etiam ſeculo æmulam in urbe omnium principe habuerit idololatriam, quam prope jam exſtinxerat in cunctis minoribus Romani Imperii urbibus & locis.

Facile heinc intelligimus cur præcipuis in urbibus poſt Conſtantinum æque & Julianum reliqua fuerint plura idolorum templa ac ſimulacra; præſertim quum populum eiuſmodi urbium, oculorum concupiſcentia ſemper laborantem, ſemperque laboraturum, deliniri ludis voluiſſe, ut jam diximus, atque Circenſium & agonum cauſſa,

no-

noluiſſe templa ac theatra ethnicorum dirui Imperatores aliquos Chriſtianos conſtet; quin hi tamen Chriſtianum nomen minime proferri cuperent, aut de idololatria conſervanda cogitarent. Admirationem ac lacrymas vix retinere poteſt qui Salvianum legens in libris de Gubernatione Dei, intelligit, Chriſtianos ipſos, medio quinto ſeculo, inter incendia bellorum, & ruinas, & extremam patriæ & Imperii vaſtationem a Barbaris profectam, præcipuis adhuc in urbibus nonniſi de theatris, ac ſpectaculis, ac Circenſibus ſollicitos fuiſſe, hos ab Imperatoribus petiiſſe, maiorique quam olim ethnici furore eos frequentaſſe. Sed nec eo Maiores omnes noſtri laboravere peſſimo conſilio, ut celebriorum opera artificum everti, ac deſtrui optaverint, quemadmodum ab hoſtibus Chriſtiani nominis objici tam frequens ſolet. Non æquus, fateor, aliquorum zelus eo proceſſit, ut omnia idololatriæ adminicula ab oculis eripi mortalium voluiſſent; ſed prudentiores Principes, Epiſcopi, & Patres, artem, ingenium & opera, a fine & uſu ethnicorum diſtinguenda eſſe exiſtimavere: propterea Divus Johannes Chryſoſtomus homilia XXXIX. in caput X. Matthæi, hæc habuit præclariſſima: *Diruemus igitur omnium loca ludorum? inquies: utinam jam diruta eſſent; quamvis, quantum ad nos attinet, jam prope deſolata jacent. NIHIL TAMEN FACERE HORUM vos jubeo; quippe quod & ædificiorum magnificentia PERMANERE POSSIT, & ludi & tripudia omnia ceſſare: quod maiori vobis laudi erit, quam ſi funditus cuncta*

ever-

everteretis. Quod igitur diu etiam poſt Conſtantinum theatra ſteterint ac nonnulla Deorum templa, politico juri, nec non pulcherrimarum admirationi artium, prudentiæ denique ſanctiſſimorum etiam aliquot Præſulum aſſerendum eſt, non paucitati Chriſtianorum.

Jam vero, ut hac in parte recte animadvertit etiam Jacobus Baſnagius libro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ I. capite 6. nullius momenti eſt argumentum ex numero Chriſtianorum Palæſtinæ derivatum. Quamvis enim in Judæa Chriſtianum nomen ſua habuerit incunabula, tot tantaſque tamen vices paſſa eſt ſeculis illis Palæſtina, & totus adeo fuit in idolis illa in regione feroci adverſus Judæos odio reſtaurandis Hadrianus, ut mirum eſſe non debeat, ſingularem in Palæſtinam contigiſſe mutationem rerum; quemadmodum in Lydda exemplum eſt, in qua quum omnes incolæ, Apoſtolica ætate ad Chriſtum converſi jam eſſent, ut Actorum IX. legimus, eadem urbs relicto Lyddæ, ſumptoque nomine Dioſpolis, prope omnis ethnica evaſit: pluribus ex oppoſito Palæſtinæ urbibus Chriſtiano in nomine perſeverantibus, quemadmodum de Cæſarea ſubdit idem Baſnagius, in qua, ſedente Euſebio, plurimi fidelium cœtus reperiebantur.

Ut propius autem ad obiecta teſtimonia accedamus primitivæ diſciplina Eccleſiæ, ſive potius eius tolerantia conſideranda eſt, ob quam, ut quis inter Chriſtianos tunc numeraretur, ac revera eſſet, nil requirebatur amplius, quam ut relicto vel Judaicæ ſectæ, vel falſorum Numi-

num cultu, Chriſtianam veritatem agnoſceret, eamque publice ac privatim profiteretur, votumque haberet, ac teſtatum baptiſmi ſuſcipiendi deſiderium: quippe ex publica illa Chriſtianæ fidei profeſſione, ac ſacri ſymboli voto, haud minus quam ex Baptiſmo ipſo habebantur tunc, & appellabantur CHRISTIANI, ut ex Athanaſio, Gregorio Nazianzeno, Socrate, Conciliis Conſtantinopolitano, ſub Theodoſio, & Quiniſexto, aliiſque patet monumentis; adeo ut illa foret tunc temporis Chriſtianorum SUMMA DIVISIO in *Catechumenos*, *& Baptizatos*, ut Vir Cl. Alexius Symmachus Mazochius docet in epiſtola ad Dominicum Georgium, ubi veterem inſcriptionem Chriſtianam paucos ante annos in Cœmeterio Prætextati via Appia detectam illuſtrat. Dixi diſciplinam, ſive tolerantiam, quum prior illa ex Catechumenorum probatione orta eſſet, ad eamque pertinerent qui idoneis de cauſſis, ac Præſulum conſilio, ſive conniventia, Baptiſmum differrent; quales recenſeri poſſent Conſtantinus, Conſtantius, Theodoſius magnus, Valentinianus Imperatores, necnon Sancti Martinus, Ambroſius, Gregorius Nazianzenus &c. &c. Ad tolerantiam vix tamen pertinebant, qui præpoſteris de cauſſis, aut fortaſſe nullis, ad obitum uſque, ſacrum differrebant lavacrum, aut niſi ſera ac poſtrema ætate ad illud accedebant. Alii maximam vitæ integritatem, quæ decebat initiatos; alii ſe nondum ita perfectos eſſe oſtendebant, quo ad tam ſacrum myſterium accederent; alii ætatem, qua Chriſtus

in

in Jordane baptizatus eſt, ut ad eius exemplum illuminarentur, prædicabant; alii nova ſemper Paſchata, novas expectabant Pentecoſtes, aut ſacratiores viſos ſibi dies, quibus demum ſacris undis donarentur. Nec obfuere ea in re querelæ Ambroſii, Baſilii, utriuſque Gregorii, Nyſſeni, & Nazianzeni, pluriumque Synodorum, quin ævo Ludovici Pii ea in conſuetudine verſarentur Dani, ut ex Remperto in vita Sancti Anſcharii adnotat Stephanus Baluzius in lib. VI. de Gubernatione Dei, Salviani.

Illos jam vero tam frequentes Baptiſmi dilatores, graſſante morbo aliquo univerſali, aut periculo publico imminente, vel portento cœlitus edito, ad ſuſcipiendum Baptiſma properaſſe, præterquamquod pervium omnino eſt ut exiſtimemus, certiſſimam facit fidem laudatus Gregorius Nyſſenus tomo Operum II. pag. 125. ubi in eos, qui Baptiſma nimis differrebant, diſſerens, inter cetera inquiebat: *Video quando aliquis terræ motus in mundo exortus fuerit, aut fames peſtiſve ſævierit, aut irruptio facta ſit inimicorum, FESTINARE OMNES AD BAPTISTERIUM, ne vacui gratia excedant.* Auguſtinus æque libro XX. de Civitate Dei capite 9. habet: *Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ nunc eſt regnum Chriſti. Nec aliud prodeſt, AD EJUS IN PERICULIS BAPTISMUM CURRERE, ne ſine illo finiatur hæc vita.* Incolæ earum igitur, quæ circa Palæſtinam erant civitatum, quique terræ motu, ac oſtento perterriti ad Baptiſma ſuſcipiendum

feſti-

feſtinaverunt, non Judæi erant, aut ethnici, ſed gentes ac *nationes*, ut inquit ipſe Comes Marcellinus, *credulæ*, videlicet Chriſtiani catechumeni, ac proinde in Credentium cenſu ante omne periculum & portentum recenſiti. Simile omnino factum narrat Firmilianus in epiſtola ad Cyprianum, idque non ſemel eveniſſe Faſti Eccleſiaſtici teſtantur. Ethnici ſane ob terræ motum, excidia, & portenta non ad myſteria noſtra, ſed ad ſuos confugiſſent Deos, quo a periculis eriperentur; nec ſcio, an ob eiuſmodi pericula omnes Eccleſiarum per illa tempora Præfecti, ſtatim adeo & abſque ullo catechumenatu tingere fideles quoſcumque voluiſſent. Non igitur tunc primum amplificatus eſt in Palæſtina cenſus Chriſtianorum, dum anno CCCCXIX. tot illi a Marcellino memorati ſacris undis illuſtrati ſunt.

Sed diu quoque ante Conſtantinum, (ut difficultati occurramus ex poſtremis Auguſtini verbis derivatæ,) in Eccleſiam venerat ſolemnior Martyrum commemoratio, & cultus, qui ludis jam fuerat Gentilium ſuffectus, pro more, de quo jam diximus, inter Juſtini, ac Tertulliani tempora recepto, quibus maximus ad Chriſtianam fuit pietatem ex ethnicis confluxus, plurimis tum Gentilitatis ritibus mundatis purgatiſque, & in uſum noſtrarum rerum conſecratis. Teſtem habemus Gregorium Nyſſenum in panegyrico Gregorii Neocæſarienſis, tomo III. pag. 579. ubi habet; ἐπεὶ πᾶσαν περινοστήσας ἐν κύκλῳ τὴν χώραν, κ. τ. λ. *Et omnem circumiens Gregorius regionem,*

nem, additamentum, & quaſi corollarium ſtudii erga Deum apud omnes ubique populos ſancivit, ut DIES CONVENTUSQUE FESTI *celebrarentur in eorum gratiam, qui pro fide decertaverant. Itaque quum alius alibi corpora Martyrum occupaſſet, vertente anni curriculo* CONVENTUS FACIENTES LÆTABANTUR, *feſtaque in honorem Martyrum peragebant.* Cauſſam ſtatim ſubjicit Nyſſenus: *Quum animadverteret Gregorius,* QUOD PROPTER CORPORALES OBLECTATIONES *ſimplex & imperitum vulgus in idolorum errore permaneret; quo maxime id quod præcipuum eſt, interim apud eos corrigeretur, nempe pro vanis cultibus & ſuperſtitionibus ad Deum reſpicerent,* PERMISIT EIS, *ut ad memorias Sanctorum Martyrum ſe ſe exhilararent, oblectarentque, & in lætitiam effunderentur.* Quanta porro gaviſus fuerit Gregorius Thaumaturgus auctoritate, late diſſerit Divus Baſilius libro de Spiritu Sancto capite 19. conſequi ut fas ſit, non modo OMNES ILLOS POPULOS, quorum peragravit loca, celebritates illas frequentaſſe; verum etiam ceteros Eccleſiarum Antiſtites, ipſius exemplo eamdem ſuis plebibus indulſiſſe libertatem. Et vero, non inquit Auguſtinus id ſibi, ſuiſque Coepiſcopis, ſed immo MAIORIBUS SUIS viſum fuiſſe; quo ſane dicendi modo vetuſtiorem, quam quæ poſt Conſtantinianæ competeret ætati; denotat illius conſuetudinis originem, ac temporis antiquitatem: quumque valde ante datam Eccleſiæ a Conſtantino perpetuam pacem floruerit Thaumaturgus, Auguſtini verba: *facta pace* latius accipienda

da ſunt de quovis annorum intervallo, quod inter varias perſequutiones ad reſpirandum fidelibus conceſſum eſt, longiore præſertim illo poſt Aurelii perſequutionem ſpatio, quo plurimos Gentiles ſuave Chriſti jugum ſuſcepiſſe ex Euſebio animadvertimus: quod utique ad tempus Auguſtinum reſpexiſſe, oſtendit Willelmus Erneſtus Tentzelius in poſteriori exercitationum ſelectarum parte adverſus Schelſtratium capite IV. §. 35.

At enim vero, inquiebat Clarkſonus, idem Gregorius Thaumaturgus, migraturus e vita quum quæſiviſſet, quotnam in Neocæſarienſi civitate reliqui eſſent infideles, reſponſumque ipſi fuiſſet, ſeptemdecim tantum ſupereſſe: Deo grates agens, *totidem*, inquit, *erant fideles*, *quum cœpi Epiſcopatum*. Gregorius quoque Nazianzenus, & Paullinus Nolanus, exigui ſe Paſtores gregis appellavere. Addiderim ipſe, ne quid intactum relinquam, quod habet Auctor Paſſionis S. Saturnini, Toloſani Epiſcopi, & Martyris; quem anno circiter CCXLV. in Gallias adveniſſe, & anno CCL. paſſum tradunt, teſte Ruinartio, de progreſſu Chriſtianæ Religionis in illis locis ita ſcribens: *Tempore illo, quo poſt corporeum Jeſu Chriſti adventum, exortus in tenebris ſol juſtitiæ ſplendore fidei illuminare Occidentalem plagam cœperat, poſtquam SENSIM ET GRADATIM in omnem terram Evangeliorum ſonus exivit, PARIQUE PROGRESSU in regionibus noſtris Apoſtolorum prædicatio corruſcavit; cum raræ in aliquibus Eccleſiæ paucorum Chriſtianorum devotione conſurgerent: nam paucis id temporis Chriſtianis,*

ipſiſ-

ipſiſque propter furorem Gentilium Sancti Viri corpus humare metuentibus, duæ tantum mulieres corpus Martyris condiderunt. Admonet in adnotationibus Ruinartius, Codicem unum Germanenſem habere: *grandique proceſſu*; in aliis quinque Codicibus legi: *tardoque progreſſu.* Nihil addit Vir doctus, & prudentiſſime, ni fallor, retinuit lectionem, *parique progreſſu*, quæ magis convenit cum mox poſitis: *poſtquam ſenſim & gradatim in omnem terram Evangeliorum ſonus exivit.* Profecto, dixerit aliquis, nativus hic fuiſſe oportuit propagationis fidei progreſſus: ideoque, etiamſi per omnem terrarum orbem ſe ſe ſacra noſtra vel ſecundo ſeculo diffuderint, pauciſſimi eſſe debuerunt tamen in locis omnibus Chriſtiani.

Verum poſtremus iſte locus præterquamquod agit de *tempore, quo poſt corporeum Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti adventum, exortus in tenebris ſol juſtitiæ ſplendore fidei illuminare Occidentalem plagam cœperat*, quo ſane tempore innumeros nec nos dicimus in Gallia, aut etiam magno numero Chriſtianos; accedit ſolum agi heic de Eccleſia Toloſana, non de ceteris, in quibus, ſi jacturam excipias a perſequutionibus profectam, ante medium certe tertium ſeculum magna fuiſſe copia fideles tutiſſima fidem faciunt monumenta. Maſſuetus ſiquidem, qui diſſertatione II. prævia in Irenæi libros articulo 2. in ſeriorem & ipſe inclinat Eccleſiarum Galliæ originem, animadvertit adhuc tamen, Roma vix reverſum Irenæum in reſarciendam ingentem illam, quam Gentilium furor Lugdunenſi mox intulerat Eccleſiæ vaſti-

vaſtitatem totum incubuiſſe. Quam feliciter vero, ſubdit Irenæus id præſtiterit, oſtendit Gregorius Turonenſis his verbis: *Beatiſſimus Irenæus Pothini ſucceſſor, qui a beato Polycarpo ad hanc urbem* (Lugdunum) *directum eſt, admirabili virtute enituit: qui in modici temporis ſpatio prædicatione ſua MAXIME IN INTEGRO CIVITATEM REDDIDIT CHRISTIANAM.* Quare in altera perſequutione, quæ ſub Severo contigit, quæque Irenæum cœlum tranſmiſit, aſſerit idem Gregorius, cum Irenæo *TANTAM MULTITUDINEM CHRISTIANAM ob confeſſionem Dominici nominis eſſe jugulatam, ut per plateas flumina currerent de ſanguine Chriſtiano, quorum*, ait, *nec numerum, nec nomina colligere potuimus.* Id Uſuardus, aliique confirmant Martyrologiorum Scriptores, dum narrant Irenæum *CUM OMNI FERE CIVITATIS SUÆ POPULO coronatum eſſe glorioſo Martyrio.* Si anno CCII. eiuſmodi erat in præcipuis Galliarum Eccleſiis Chriſtianorum numerus, cur circa annum CCL. eos primum exigua copia in illis inventum iri exiſtimabimus?

Heic autem ut ceteris a Clarkſono obiectis faciamus ſatis, dicimus, univerſam ipſius diſſerendi rationem, veram eſſe ἀσυλλογιςίαν. Si enim ſummo ab omnibus reprehenduntur jure, qui ex uno aut altero Scriptoris alicuius dicto, aut ex aliquo orationis membro, totam perfectamque ſe illius mentem aſſequutos eſſe gloriantur; qui erit, obſecro, de homine dicendum, qui ex ſtatu & conditione, qua noſtri uno aut altero

in loco, uno aut altero fortaſſe tempore reperiri potuere, eorum conditionem ac ſtatum, numerumque & copiam, immo paucitatem ubique ac omni in cœtu, omni in regione, quatuor ſpatio ſeculorum, ſtatuit, ac definit? Ad hæc, quis Eccleſiaſtica in hiſtoria hoſpes adeo eſt, ut ignoret, quanam ratione ac modo florentiſſimæ aliquando Eccleſiæ ſtatim, ac ictu oculi minuerentur, ac prope ad nihilum aliquo tempore redactæ eſſent, quamvis citiſſime etiam priſtinam reſtituerentur in multitudinem ac ſplendorem? *Has Martyrum cæleſtes coronas*, inquiebat Cyprianus libro de Lapſis, *has Confeſſorum glorias ſpirituales, has ſtantium fratrum maximas eximiaſque virtutes, mæſtitia una contriſtat; quod avulſam noſtrorum viſcerum partem violentus inimicus POPULATIONIS SUÆ ſtrage dejecit. Lacrymis magis quam verbis opus eſt ad exprimendum dolorem, quo corporis noſtri plaga deflenda eſt, quo POPULI ALIQUANDO NUMEROSI multiplex lamentanda jactura eſt.* Innumeræ reliquæ adhuc ſunt, notiſſimæque omnibus perſequutionum deſcriptiones & in Hiſtoria Eccleſiaſtica, & in ſinceris Actis Martyrum, in quibus copia fidelium alicuius Eccleſiæ immenſa, brevi cernitur prope ad nihilum redacta; quare haud mirum, ſi exigui fierent greges, qui antea erant frequentiſſimi.

Id poſt Conſtantinum quoque evenit furore Arianiſmi, quod egregie nobis Oratione XXII. Gregorius Nazianzenus his verbis deſcripſit: τοῦτο τὸ ποίμνιον ἦν ὅτε μικρὸν, τὸ δ' ἀτελὲς, κ. τ. λ. *Hic grex EXIGUUS ET IMPERFECTUS quon-*

dam

dam erat, quantum quidem oculorum ſenſu judicari poterat, ac ne grex quidem, ſed parvum quoddam ac tenue gregis veſtigium, aut reliquiæ dici poterat, incompoſitus & Paſtore carens grex, nullis terminis incluſus, nec paſcui liberi jus habens, nec caula cinctus, oberrans in montibus, in ſpeluncis, & in cavernis terræ, huc illuc diſperſus, & deiectus &c. . . . . tranſivimus per ignem & aquam, ſed benigna Salvatoris voluntate in refrigerium prodiimus. Hæc ſeges PARVA QUONDAM ET INOPS, adeo ut ne in vulgus quidem nota eſſet, ex quo tamen Deus, qui ex nocte diem facit, & tali quondam grege talem nunc fecit, tamque ſucculentum, tamque ſe ſe late porrigentem &c. Florentiſſima, ut omnes norunt, fuerat ſub Conſtantino Eccleſia Conſtantinopolitana, quæ tamen, ob Juliani, & Valentis Imperatorum perſequutiones, evaſerat puſillus Orthodoxorum grex, poſt quos tamen AD INGENTEM MULTITUDINEM reſtituta eſt, ut inquit Nazianzenus, qui propterea Anaſtaſiam ſuam, ſive Orthodoxorum ſacram ædem, his citato loco compellat verbis: χαιροῖς Ἀνασασία μοι τῆς ἐυσεβείας ἐπώνυμε, κ. τ. λ. *Vale Anaſtaſia nomen a pietate habens: tu enim nobis fidei doctrinam, quæ adhuc contemptui erat, excitaſti. Vale, inquam, communis victoriæ ſedes, nova ſolo, in qua primum arcam fiximus, QUADRAGINTA ANNIS in deſerto circumactam, incertiſque ſedibus vagantem. Tuque, o MAGNUM HOC TEMPLUM AC NOBILE, nova hæreditas, quod magnitudinem, quam nunc habes ab orthodoxa doctrina ſuſcepiſti. Voſque etiam ALIÆ SA-*

CRÆ ÆDES, huic a dignitate proximæ &c. Nil efficacius reperiri poſſe exiſtimo iis, de quibus hucuſque egimus, in lumine recto collocandis. Deſcribit, & ob oculos ponit Sanctus Pater cauſſam ob quam frequentiſſimæ antea Eccleſiæ, Chriſtianis etiam ſub Imperatoribus, ſed faventibus Arianiſmo, exiguum adeo redactæ fuerint ad fidelium Catholicorum cenſum, ut exſtinctæ prorſus fuiſſe viderentur. Verum acerbiores, diuturniores, ac univerſaliores ſæpenumero fuere perſequutiones in Chriſtianum nomen ſub Imperatoribus ethnicis exercitæ: proindeque ſi Orthodoxorum paucitas, ad quam iſti poſt Julianum, & Valentem aliquibus redacti fuere in locis, non arguit, eos ante Arianas vexationes exiguo fuiſſe numero; ita quod aliquo brevi tempore, aut aliquo in loco exigua fuerint ante Conſtantinum copia fideles, idoneo eſſe non poteſt argumento, eoſdem prioribus Eccleſiæ ſeculis ubique pauciſſimos fuiſſe.

Componuntur igitur obiecta Patrum teſtimonia cum immenſa in univerſum multitudine primorum fidelium, ſi locorum ac temporum, de quibus Patres dicebant, rationem habeamus. Quis enim mirabitur ætate Gregorii Thaumaturgi paucos fuiſſe illis in regionibus fideles, quum BORADI, ET GOTHI, Schyticæ nationes, ſæviſſimam in Pontum irruptionem tunc feciſſent, Chriſtianoſque fere cunctos vel occidiſſent, vel deficere coegiſſent a Chriſtiano nomine, vel in miſeram duxiſſent captivitatem, ut ex eiuſdem Gregorii epiſtola Canonica, quo illis mederetur

malis

malis palam eſt? Gregorius autem Nazianzenus, & Paullinus Nolanus, ad inſectationes Arianas reſpiciebant, quæ Orthodoxos jam antea numeroſiſſimos, circum illa tempora, in aliquibus Diœceſibus diminuerant. Quid, ſi iſti, aliique Epiſcopi, exiguorum ſe Paſtores gregum, humilitatis cauſſa dixerint, aut reſpectu ampliorum Diœceſeōn ac Præſulum? Ex oppoſito, quot quantaque proferri in medium a nobis poſſent veterum Patrum, & Epiſcoporum teſtimonia, qui pauciores verſari inter fideles, aut paucioribus Credentibus, ſed vera & Chriſtiana pietate præditis, præeſſe optaſſent magis, quam tam copioſo eorum numero, quod ingenti nimis in turba deeſſe mali plurimi vix poſſunt!

In indicium denique paucitatis primorum fidelium trahunt nonnulli incertas obſcuraſque origines omnium prope Eccleſiarum, incertos Epiſcoporum ante quartum vel quintum ſæculum Catalogos, quum, exceptis Patriarchalium ſedium Diptychis, ac Romanorum Syllabis Pontificum, pauciſſima, quæ ad alios ſpectaverint Chriſtianorum cœtuum Præſides, in ſinceris habeamus ante Conſtantini ætatem monumentis. Heinc Vir Cl. Scipio Maffeius pag. CLXXX. Muſei Veronenſis ſcripſit: *Cum in regionibus ceteris Chriſtiana priſca epitaphia raro reperire contingat, Romæ vero, & in agro Romano, mira frequentia emerſerunt ſemper, & adhuc emergant, dilucide apparet, quam altas in eo ſolo confeſtim egerit Chriſtiana Religio radices, & quam exiguus in partibus aliis diutius conſtiterit fidelium grex.* Ea nem-

pe lege, qua ex copia monumentorum ad Romanam Eccleſiam pertinentium, jure nos inferimus, plurimos in ea fuiſſe primis temporibus fideles; ita ex monumentorum inopia, quibus ceteræ laborant regiones, & Eccleſiæ, conſequi Adverſarii conantur, pauciſſimos in iſtis fuiſſe ante Theodoſiana tempora Credentes.

Fruſtra id conantur tamen, ni fallor vehementer; nam haud deeſſe plura monumentorum genera, quibus univerſo Romano in Imperio maximam fuiſſe prioribus ſeculis multitudinem fidelium oſtendatur, minime dubitaturos eos, qui hunc legerint Commentariolum, confido. Miramur vero doctiſſimum Maffeium inopiam urgere Chriſtianorum lapidum, qua, exceptis Roma, Romanoque agro, diutinam inferat fidelium paucitatem. Primum enim oblitus videtur Vir Cl. eorum quæ in Præfatione Operis ſui dixerat, nempe haud infrequenter accidiſſe, marmora, in quibus veteres erant inſcriptiones, a murorum ſtructoribus in fundamenta ædificiorum fuiſſe conjecta, quum ingentia eiuſmodi & complanata ſaxa mirum in modum fabricantibus quadrent. *Multa etiam comminuuntur*, ſubdit, *atque ut variis inſerviant uſibus, mutilantur; multa obruuntur iterum, vel abditis tenebricoſiſque in locis deliteſcunt; nec defuere qui de aliquibus calcem coquerent. Eapropter mirari nequaquam debemus, inſcriptionum poſt literas reſtitutas partem maximam periiſſe. Earum quæ Mazochius, quæ Panvinius, quæ Gruterus exhibuerunt, quota pars ſupereſt?* Verum ſi poſt reſtitutas literas, poſt reſtitutum huic ſtudio-

ſtudiorum generi honorem, tanta ſtrages evenit detectis jam, & cognitis lapidibus, quanto maius eiſdem oportuit contigiſſe excidium ſeculis obſcuris, præſertim in regionibus Romana ab urbe diſſitis, & apud populos, qui paucorum lapſu ſeculorum inſcriptiones illas non intelligere dicam, ſed legere neque potuiſſent? Fac enim medio ævo erupiſſe in Gallia inſcriptionem S. Gordiani Martyris, quæ proſtat in Itinere Italico Mabillonii pag. 141. quamnam cenſes homines illius temporis habere rationem potuiſſe talis epitaphii, ubi literæ Græcæ Runicis inſertæ ſunt, pro ratione ſcribendi veterum Gallorum, *qui in publicis privatiſque rationibus, Græcis literis utebantur*, ut ſcribit Julius Cæſar libro Commentariorum ſexto? Fac erupiſſe inſcriptionem Ambianenſem, quam refert idem Mabillonius, in epiſtola de cultu Sanctorum ignotorum, quamque ipſe tanta in luce vix legere ac explicare potuit: quid cenſes barbarorum ſeculorum homines fuiſſe facturos? Nil igitur mirum, ſi barbaricis temporibus ſimiles lapides, ſi qui exſtiterint, eruperintque, vel obruti rurſus fuerint, vel mutilati, vel in infinitos uſus converſi; quare ex hodierna eorum inopia, Chriſtianorum illarum partium paucitas inferri legitime non poteſt.

Verum, inquit Maffeius, Romæ, & in agro Romano emerſerunt ſemper, & adhuc emergunt Chriſtiana priſca epitaphia, in regionibus ceteris non item. Pace tamen tanti viri ſcripſiſſem potius, Romæ, & in agro Romano, doctiſſimorum hominum opere, ſtudio, cura &

 dili-

diligentia, CAVANTUR, EXCAVANTUR, EFFODIUNTUR quotidie lapides & inſcriptiones veteres Chriſtianæ, quod aliis plurimum in regionibus, harum de inventione rerum non adeo ſollicitis, minime contingit. Ubinam gentium, obſecro, aliis in regionibus PANVINII, BOSII, ARINGHII, BOLDETTII, FABRETTII, BOTTARII, MAZOCHII, GEORGII, MARANGONII, LUPII, MAMACHII, Chriſtianis illuſtrandis lapidibus addicti? Ante renatas literas, & lapidariæ ſtudium artis inductum, Romæ quoque & in agro Romano prope latebant veteres non tantum Chriſtianæ, ſed etiam Gentiles inſcriptiones; quippe prior veterum Inſcriptionum Romanarum collectio, quam ex Codice membraneo Bibliothecæ Einſildenſis, in veteribus Analectis edidit Mabillonius, pag. 359. inſcriptiones vix LXXX. continet, maximam partem profanas; nec niſi poſt Gruterum, Reineſium &c. in hoc literariæ ſupellectilis genus ſerio incumbendum duxere ſapientes. Virum propterea decuiſſet prudentiſſimum, haud confeſtim adeo de rebus, quæ a tempore, &, ut ita dixerim, a fortuna, aut ab accidentalibus pendent circumſtantiis, ſtatuere atque definire. Plura habemus illuſtria exempla, quæ circumſpectionem in eiuſmodi negotio docere ſatis poſſunt. Nam ut omittamus duo illa, ut cum Reimaro loquar, huius ſeculi prodigia, Herculanum videlicet, ac Tabulam Placentinam, quæ portenta, triginta ante annos, quis umquam fore ut laterent, exiſterentque, aut eruptura eſ-

ſent,

ſent, vel per ſomnium cogitaſſet? Narrat Mabillonius in Itinere Italico, Brixiam ſe inviſiſſe, ſed nihil ibi pro ſtudiis ſuis repertum. Paucis tamen poſt annis, en in Brixiano Virginum monaſterio, quod Sanctæ Juliæ appellant, & quidem Ordinis Sancti Benedicti, immo ab ipſis Benedictinis Monachis directo, pretioſiſſimum non modo MSS. Codicum theſaurum, quorum maximam partem innocenter a ſuis deſtructam traditione & uſu quingentorum & amplius annorum teſtabantur Virgines, Diplomatumque, quorum nonnulla Aſtezatus, illius inſtituti Vir Cl. vindicavit; verum etiam admirandæ antiquitatis Evangeliorum Codicem, a Blanchinio poſtea, Garbellio, aliiſque illuſtratum, & orbi patefactum: dum an literarius & Eccleſiaſticus eiuſmodi theſaurus Brixiæ reperiri potuiſſet, ne quidem pauciſſimos ante annos ſuſpicaretur Mabillonius, qui fuiſſet in exſtaſim, reor, raptus, ſi vel oculis eum contemplari potuiſſet. Exemplum alterum ſuppeditat Vir doctiſſimus, Franciſcus Antonius Zaccharia, præfatione in epiſtolas ad Perſimbum Sellenianum, ubi Montfauconii Piſas inviſentis verba ex Diario ipſius Italico ita refert: *Campum Sanctum, ut vocant, adiimus, areamque ſubdialem veterum ſepulchris oppletam, Baptiſterium, Eccleſiam Cathedralem, Turrim campanariam, quæ ab altera parte propendet, ac ſi vergeret in ruinam; ſed hæc trita & vulgata ſunt: pomeridianas horas viſendis thermis Piſanis, quarum grandes hodie reliquiæ ſuperſunt, inſumpſimus*: qua occaſione duæ recentes inſcriptiones a Montfau-

conio

ſauconio exſcriptæ, ceu nil antiqui, ac rari Piſis fuiſſet reliquum; quod quam alienum a veritate ſit, quantuſque illic veterum lapidum lateat theſaurus, ſubiectis in epiſtolis evincit laudatus Zacharia. Ea igitur ratione, qua ſuperioribus annis frequentes emerſerunt Romæ, & in agro Romano, veteres eiuſmodi Romanæ inſcriptiones, cur ceteris etiam in regionibus non poterunt fortaſſe emergere in poſterum, & inexpectato reperiri?

Romana in urbe inſtitutos fuiſſe legimus in libro Pontificali a ſanctiſſimis priorum temporum Pontificibus Notarios, qui Acta Martyrum inquirerent, deſcriberentque: aliis in Eccleſiis Notarios eiuſmodi inſtitutos non legimus. Quis inde tamen jure inferat, Romæ multos fuiſſe Martyres, exiguo autem numero aliis in locis? Erant Eccleſiæ, & Provinciæ, quæ frequentius utebantur *Æra Martyrum*; aliæ ea non utebantur. Numquid propterea in iſtis pauci Martyres? Itaque ex quo Romæ, & in agro Romano emergant Chriſtianæ inſcriptiones, ceteris in regionibus pari frequentia non emergant, aut confugiendum eſt ad id quod animadvertimus; Romæ ac in agro Romano frequens excavari, ac effodi, alibi non item; aut colligi tantum poteſt, veteres Romanæ Eccleſiæ fideles epitaphia tumulis imponere ſolitos fuiſſe; aliarum vero fideles regionum id in moribus non admodum habuiſſe; ſed iniuria ſemper inferes, paucos diutius fuiſſe in eiuſmodi regionibus Credentes.

Quamvis vero alieni ſimus a ratione cogitandi Fleetwoodii, Cuperi, ſimiliumque, qui nonnullas

nullas veteres inſcriptiones Chriſtianas a noſtris celebratas, falſitatis poſtulant, quaſi in cryptas poſteriore tempore inductas, ut diu poſt detegerentur, inducerentque incautos in errorem; intemperantioris tamen critices haud poſtulatum iri nos confidimus, ſi adfirmemus, maximam Chriſtianorum lapidum, qui nunc deteguntur, partem ad poſt-Conſtantiniana tempora eſſe referendam, illamque ad ætatem, qua adverſarii ipſi communiter fatentur, ubique jam maximo fuiſſe numero Chriſtianos. Ante Conſtantinum ſiquidem, ac ſævientibus præſertim perſequutionibus, vix datam fuiſſe fidelibus ſuos ſepeliendi cum honore facultatem, notius eſt, quam ut probari mereatur. Vulgatiſſima ſunt illa Prudentii Hymno XI. περὶ ϛεφάνων, de Martyribus Romæ tumulatis:

Sunt & multa tamen TACITAS claudentia TUMBAS
Marmora, quæ ſolum ſignificant numerum.
Quanta Virûm jaceant congeſtis corpora acervis
Noſſe licet, quorum NOMINA NULLA legis.
Sexaginta illic defoſſas mole ſub una
Relliquias memini me didiciſſe hominum,
Quorum SOLUS habet comperta vocabula CHRISTUS.

Si nec omnibus Martyribus epitaphia dedicare per illa tempora Romanæ Eccleſiæ fideles potuere: immo nec ipſa Martyrum nomina tumulis inſcribere: cogita, an inſcriptiones ponere conſueverint iis, qui extra martyrium requieverant; & quorum univerſim ſunt quæ recens emergunt inſcri-

inſcriptiones? Commodum adnotat ex Fabretto, aliiſque, Mabillonius in epiſtola de cultu Sanctorum ignotorum, *Chriſtianos Paganorum memorias, tituloſque ſuffuratos eſſe, & ſuis loculis cœmeterialibus claudendis applicuiſſe, propriis nominibus inſculptis, & profanorum abſconditis, aut abraſis. Id variis Chriſtianarum inſcriptionum exemplis patet*, ſubdit Mabillonius, *quorum nonnulla in Itinere noſtro Italico retulimus. Ex hac porro ſepulchralium lapidum tranſmutatione factum eſt, ut epitaphia Gentilium in Chriſtianorum cœmeteriis quandoque inveniantur, ex adverſa vero parte Chriſtianorum inſcriptiones.* Quis jam vero ſibi perſuaſerit, Chriſtianos antequam civiliter dominarentur in Imperio & Romæ, auſos fuiſſe memorias tituloſque Gentilium ſuffurari, ac eorum nominibus abraſis aut abſconditis, ſuorum in illis nomina inſculpere ac inſcribere? Quum tam ſeveræ eſſent apud ethnicos leges ad ſepulchrorum ſecuritatem pertinentes; nec inveniamus noſtros regnantibus ethnicis accuſatos fuiſſe quod ſepulchra violarent, ad quartum quintumque ſeculum retrahenda univerſim eſt eiuſmodi lapidum ſepulchralium tranſmutatio, quemadmodum & inductus mos Chriſtianarum inſcriptionum, præſertim quum, ut in allegata epiſtola addit Mabillonius: *In uſum communem Cœmeteria fuerunt ad prima quatuor, aut quinque minimum Eccleſiæ ſecula, ut inſcriptiones probant cum a Boſio in Roma ſubterranea, tum a Grutero, aliiſque, relatæ.* Pace igitur Eccleſiæ conceſſa, Romanæ urbis & Eccleſiæ Chriſtiani, lapidarium, ut ita dixerim,

regio-

regionis ſpiritum ſumentes, aliquibus non modo qui tunc moriebantur, inſcriptiones inſculpere cœperunt, verum & in tumulis eorum dedicavere, qui jam antea pro Chriſto occubuerant; ut in tabella patet ad cineres Flavii Clementis Martyris, ſub Domitiano paſſi, quæ tamen niſi anno CCCCXLIX. non fuit poſita & inſcripta, ut apud doctiſſimum Mamachium videre eſt libro II. Originum & Antiquitatum Chriſtianarum capite 6. pag. 355. Revera, in Paſſione Theodoriti Presbyteri Antiocheni, quam ex Codice Einſildenſi edidit in veteribus Analectis Mabillonius, legimus Julianum Orientis Comitem, ita Sanctum Martyrem fuiſſe alloquutum: *Tu es Theodoritus, qui tempore Conſtantini Imperatoris prohibebas Deos coli, & aras, & templa deſtruebas, & Eccleſias ædificabas; & ſepulchra mortuorum?* Nempe tunc ſepulchra Apoſtolorum & Martyrum ornari publice ac ſolemniter cœpere, uti de ſepulchris Ss. Petri & Paulli docet Boldettius, tunc illorum in tumulis epitaphia inſcribi; tunc privatæ etiam conditionis homines, Romæ & in agro Romano, alibique per Italiam, parentum ac affinium manibus Chriſtianas inſcriptiones inſculpere cœperunt; quumque ad Conſtantinum referenda ſit Collegii Copiatarum, ſive Lecticariorum, Foſſorumque inſtitutio, ut jam memoratus Zacharia egregie evincit in appendice ad Lupianas theſes de vita Conſtantini; inde intelligimus, eo ſolum temporis, rem Chriſtianorum funeralem manifeſta cœpiſſe coli dignitate; quum ex oppoſito nobiles ipſi, diviteſ-

que

que Chriſtiani ante illud ævum paupertatem ſponte colentes, ut idem Auctor animadvertit, propterea a ſepulchralibus lapidibus ac inſcriptionibus ponendis alieni eſſe debuerunt.

Nullus reipſa neceſſarius nexus eſt inter inſcriptionem ſepulchralis lapidis, & profeſſionem Chriſtiani nominis, ipſamque religionem ſepulchrorum; ac peſſime ageretur cum Chriſtianis veteribus Romæ, Romanique agri, ſi eorum quantitatem & numerum ex ſolis ſepulchralibus lapidibus deducere placeret. Nonne & ipſi univerſam per Europam decimi vel undecimi ſeculi Chriſtiani exiguus dicendi forent grex, ſi eorum cenſus ſepulchralibus ab inſcriptionibus eſſet repetendus? Myriades Chriſtianorum non in agris & vicis tantum, ſed in oppidis etiam, & in urbibus, Romæque & ubique, ætate noſtra ſunt, & moriuntur, quorum in tumulis nulla eſt, aut futura erit inſcriptio: cur igitur ad eiuſmodi monumentorum genus confugiendum erit, ut quantitas fidelium dignoſcatur, quæ in reliquis fuerit Romani Imperii regionibus? Præſertim quum id eas inter & Romam interfuerit diſcriminis, quod Roma non modo centrum Chriſtianæ religionis eſſet, verum adhuc poſt Conſtantinum urbs quodammodo ceterarum Princeps, eodem conſiſtens in ſolo, frequentique adhuc populo donata, ſummis etiam Magiſtratibus, honoris adhuc ſedes, urbanitatis, humaniorumque quamvis declinantium literarum: quare nil mirum illius urbis & agri fideles Romano ſpiritu inſcriptiones aliquas ſibi ſuiſque poſuiſſe, ea ſcilicet

æta-

ætate, qua Barbaris in Imperii Romani Provincias irrumpentibus mutatæ ſunt Principatuum ſedes, inſigniores urbes miſeros mutatæ in vicos, everſa vaſtataque ſunt omnia, tamque tenebricoſa ſe ſe undique effudit ignorantia, ut anſam eripuerit fidelibus illarum partium, etiamſi numeroſiſſimis, ſepulchrales inſculpendi lapides, aut ſculptos intelligendi conſervandique facultatem. Quum igitur extra Romam, & Romanum agrum, Chriſtianæ inſcriptiones aut raro ac prope nullæ fuerint, aut veriſimilius perierint, aut effodi ac emergere adhuc poſſint, perperam omnino Maffeius ceterum doctiſſimus ex earum inopia paucitatem Chriſtianorum in reliquis Romani Imperii regionibus ſuſpicatus eſt.

Minus æque officit, incertas obſcuraſque eſſe origines prope omnium Eccleſiarum, incertos Epiſcoporum ante quartum vel quintum ſeculum catalogos; ſiquidem haud minus obſcuræ incertæque ſunt origines veterum quorumdam populorum, urbium, & familiarum; quum tamen doctiſſimi ſint Viri, qui gentes ac imperia maiori gaviſa olim fuiſſe incolatum multitudine, quam in præſens, argumentis plurimis contendant. Fridericus Spanhemius, in introductione ad Hiſtoriam utriuſque Teſtamenti, de propagatione agens Chriſtianæ Religionis toto ſeculo ſecundo ac tertio, eo quo Tertullianus & ceteri veteres more ac modo, enumerata ubique multitudine Credentium addit: *Neque tamen fabulis locum eſſe debere, quibus ſcatent Eccleſiarum vulgatæ origines ex apocryphis monumentis, credulo ſæpe Euſebio,*

bio, *aliiſque*. Hominis effatum audis in credulitatem minime propenſi, qualis profecto Spanhemius fuit; probe tamen ſingularium origines Eccleſiarum a maxima univerſim fidelium quantitate ſecernentis. Dum igitur illas rejicit, ac ex oppoſito miram ſtupendamque fuiſſe tuetur MULTITUDINEM FIDELIUM, ſatis evincit, hanc ab incertitudine illa non labefactari. Vigintiquinque jam anni ſunt, ex quo in diſſertatione de inopia veterum monumentorum pro copia Martyrum dignoſcenda adverſus Dodwellum, nec paucas, nec pœnitendas cauſſas in medium adduxi, ob quas haud potuere primorum temporum fideles ſingularibus de rebus ad ſe ſuoſque pertinentibus ſolliciti ita eſſe, ut vel memorabilia collegerint, faſtiſque ac poſteritati conſignaverint. Ea immo fuiſſe videtur veterum ſcribendi ratio, ut de generalibus modo gentium ac populorum vicibus & fatis, deque inſignioribus tantum, ac regiis urbibus, maximis denique de mutationibus dixerint: propterea generalibus ex monumentis ac teſtimoniis, exque ſtatu rerum generali, diſſerendum eſt de numero & copia primorum Chriſtianorum, non ſingularibus ex factis, quæ alicubi aut raro evenere, nec ex quo de aliquarum originibus Eccleſiarum, deque illarum Epiſcopis, quarto tantum quintoque ſeculo tuta ac certa habeamus monumenta, conſequi fas eſt, nullos antea fuiſſe in illis urbibus aut oppidis Epiſcopos, paucoſque in eiſdem fuiſſe ante illa tempora Chriſtianos. Hoc enim perinde foret, ac ſi propterea quod nullos in Italia

anti-

antiquiores habemus in præſens Evangeliorum MSS. Codices Vercellenſi, Veronenſi, & Brixiano, quarto vel quinto ſeculo, ut credimus, conſcriptis, quis inferri poſſe exiſtimaret, hos tantum, vel ſaltem pauciſſimos, quarto quintoque ſeculo univerſa fuiſſe in Italia Evangeliorum Codices: quod inſanum prope foret; quum ætate illa nullum eſſe potuerit, non dicam oppidum, urbs, aut Eccleſia, ſed nulla neque prope domus, aut familia, aut Chriſtifidelis, qui Codicem Evangeliorum non habuerit; proindeque innumeri fuerint in Italia Evangelici Codices neceſſe eſt, qui tamen hodie deſiderantur. Habemus certe egregiis ex Scriptoribus, prope omnes primorum temporum fideles ita in ſacrarum literarum lectione verſatos fuiſſe, ut eas memoria tenerent, ac memoriter fideliterque recitarent. Ita ſane ſcribit Claudius Fleury tum in tractatu de primorum Chriſtianorum moribus, tum in altero de ratione ac delectu ſtudiorum. Auctor antiquitatum critices tomo I. tractatulum edidit de illis qui integra Biblia memoriæ conſignaverant, quem adhuc ſyllabum amplificandum perficiendumque ſibi ſumpſit doctiſſimus Maurinæ Sodalitatis Monachus, Johannes Lyronus tomo III. ſingularium ad literas & hiſtoriam pertinentium, ubi veterum urget ſtudium Chriſtianorum, diligentiamque, qua in univerſum iidem ſatagebant, ut Scripturas memoriæ traderent, tenaciterque retinerent; cuius rei Euſebium, Hieronymum, & Epiphanium, profert teſtes; ſolemneque ac omnibus prope no-

tum eſt, quod Auguſtinus epiſtola LXXI. de Epiſcopo narrat Africano, qui quum in ſynaxi Jonam explicaret, ac non *cucurbita*, ut recepta in lectione erat, ſed *hedera*, juxta verſionem Hieronymi dixiſſet, *factus eſt tantus tumultus in plebe; maxime Græcis arguentibus, & inclamantibus calumniam falſitatis, ut cogeretur Epiſcopus, (Aea quippe erat Civitas) Judæorum teſtimonium flagitare.* Non ſatis id ab iis, qui de inopia veterum agunt monumentorum animadverſum memini. Si qua enim danda Patribus fides eſt, quæ ſumma profecto concedi debet, fideles antiqui, quarto, quintoque ſeculo, maximam partem Scripturas memoriter callebant; ſuos propterea Scripturarum Codices prope quiſque fidelium habuerit oportet; ne heic memoremus innumeras editiones ac verſiones Bibliorum, quas Patres & Eccleſiaſtici Scriptores præ manibus habebant, & quibus paſſim utebantur. Contigerat id valde poſt perſequutionem Diocletiani, qua in ſacros & Eccleſiaſticos Codices ſævitum eſt. Ex tot tamen innumeris, ac prope infinitis, publicis privatiſque Codicibus ſacris quotuſquiſque nunc remanet? Certe prope nullus: itaque hodierna ex monumentorum inopia haud eſt de antiquis rebus & factis argumentandum, præſertim dum apud Patres ac veteres Hiſtoricos aperta & conformia proſtant eventuum teſtimonia. Quum igitur eorum, qui Romano præſertim in Imperio, ſecundo tertioque Eccleſiæ ſeculo tam in urbibus, quam in oppidis, villis, atque agris, CHRISTUM A JUDÆIS CRUCI AFFIXUM,

TAM-

TAMQUAM VERUM DEUM SUPREMIS HONORIBUS COLEBANT, eorum, inquam, numerum fuiſſe copioſiſſimum & immenſum generalia evincant momenta & argumenta; tum ex Ss. Patribus, Eccleſiaſticis Scriptoribus, ipſorumque Gentilium teſtimoniis & factis; tum etiam ex innumeris fidelium illius ætatis conditionibus, ordinibus, artibus, ſtudiis, officiis, vicibus, virtutibus, & vitiis; ex innumeris quoque AMPLIS, LAXISQUE, ET SPATIOSIS, in quæ ad ſynaxes conveniebant, locis; ac denique ex infinitis prope maiorum ac minorum Ordinum Miniſtris ſacris derivata; quum eorum complexio, qui Apoſtolicam doctrinam uno ore confitebantur, reſpectu hæreticorum SUPERIOR, PRÆVALENS, ET MAGNA ECCLESIA, fuerit omnium conſenſu appellata; quum tot cauſſæ, occaſiones & media, tot præſidia, rerumque habitus ac ſtatus; ipſæ immò perſequutiones ad amplificandam Credentium copiam vehementiſſime contulerint; quum ea denique, quæ in oppoſitum a Clarkſono ceteriſque objiciuntur, nullius momenti ac ponderis eſſe videantur; ideo MAXIMAM MULTITUDINEM eorum, qui prioribus Eccleſiæ ſeculis Chriſtianam Religionem profeſſi ſunt, ſatis oſtenſam credimus & vindicatam.

F I N I S.

ERRATA.

Pag.	Lin.		
6.	22.	errant	erant
14.	2.	tempore	ſuo tempore
15.	7.	viribus	ritibus
48.	13.	*percepitque*	*præcepitque*
54.	26.	Conſtantini	Conſtantii
76.	13.	Donatiſtarum	Montaniſtarum
118.	16.	quorum	cuius
120.	31.	aſſertus	aſſerti
165.	13.	Synodis	Synodi
217.	14.	ſcripſiſſet	ſtrinxiſſet
218.	22.	Juliam ?	Juliani ?
227.	21.	Martyres	Martyrem
266.	12.	Zelargius	Lelargius
270.	10.	*Presbytero*	*Presbyteros*
282.	12.	multaque	multoque
282.	26.	*& Thracia*	*ex Thracia*
293.	27.	alicui	aliqui
298.	10.	cenſebantur	cenſebatur
301.	11.	*diſſimilitudo*	*diſſimulatio*
309.	18.	mentiquæ	mentique
344.	7.	*parens*	*patens*
346.	16.	Palæſtinam	Palæſtina
347.	31.	oſtendebant	obtendebant
353.	5.	*directum*	*directus*
353.	10.	cœlum	cœlo
355.	12.	*& tali*	*ex tali*
360.	32.	latetent	laterent

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM.

ADdiſoni error de copia veterum Chriſtianorum. 112 *Agapes, humanitas, charitas, hoſpitalitas, liberalitas, primorum fidelium, cauſſa maximi eorum incrementi* 286. *ſeqq. Alexandria plures ante Athanaſium habebat Eccleſias, in quas Chriſtiani conveniebant,* 146. *ſeq.* 254. *ſeq. Antiochia quatuor urbibus conſtabat,* 253. *Centum mille fideles ætate Chryſoſtomi numerabat.* 240. *Apoſtoli circa polygamiam cum primis fidelibus non diſpenſavere,* 319. *ſeq. Arcani diſciplina an medium ad proferendam religionem uſurpatum?* 301. *Auctor quæſtionum & reſponſionum ad Orthodoxos inter Opera Juſtini explicatus,* 87. *Bælius refellitur,* 97. *ſeq. Baſnagius refutatur* 22. *ſeq.* 145. 150. *ſeq. Baptiſmales ritus veterum Chriſtianorum a Luciano expreſſi.* 218. *ſeqq. Beauſobrius refellitur.* 175. *Bohmerus oppugnatur* 270 *ſeq.*

Carthaginenſi in urbe, Cypriani tempore, plura loca ad ſynaxes fidelium habendas deſtinata, 149. *ſeq. Chorepiſcopi certum ingentis veterum Credentium copiæ argumentum,* 169. *ſeq. Chriſtiani veteres immenſo numero ex Patribus* 1. *& antiquis Eccleſiaſticis Scriptoribus.* 12. *ſeqq. Ex teſtimoniis & factis Ethnicorum.* 29. *ſeqq.* 202. *ſeqq.* 236. *ſeqq. Ex eorum artibus, moribus, officiis, virtutibus, vitiis, &c.* 106. *ſeqq. Ex ingenti Miniſtrorum ſacrorum numero.* 159. *ſeqq. Cum Judæis olim non confuſi.* 46. *ſeqq. Innumeri aliquando nondum Ba-*

ptiſmate donati. 346. ſeqq. Non omnes ad eamdem urbem & Eccleſiam pertinentes eodem in templo ſimul continebantur. 249. ſeqq. Plurimi privato matrimonio contenti. 321. ſeq. Cur dicti Hermaphroditis delectati. 227. ſeqq. Collectæ pecuniarum, ob eleemoſynas a fidelibus primis factæ, eorum multitudinem oſtendunt. 234. ſeq.
Diaconi olim aliquas Eccleſias rexere. 176.
Eccleſiæ amplæ & ſpatioſæ medio tertio ſeculo a Chriſtianis erectæ. 141. ſeqq. Ad formam Chalcidienſium Baſilicarum quarto ſeculo exſtructæ. 247. Plures in eadem urbe. 142. ſeqq. Eccleſiæ mos & ſpiritus in eleemoſynis diſtribuendis. 290. Epiſcoporum per priora ſecula numerus immenſus. 162. ſeqq. Epiſcopi quomodo a Clero olim & a populo electi? 268. ſeqq.
Fabricius, Johannes Albertus, refellitur. 300. ſeq. Fellus, Johannes, Oxonienſis, refutatur. 200.
Gentiles de nimio querebantur Chriſtianorum numero. 33. Quammaxime cavebant, ne Chriſtiani ſub Judæorum larva & nomine latere pertentarent. 51. ſeq. Gentilibus aliquando innumeri fidelium occulti. 89. ſeqq. Geſnerus refutatus. 213. ſeqq.
Hæretici primorum temporum pauciſſimi ad Orthodoxos comparati. 72. ſeqq. Helvetius refutatus. 322. Hobbeſii calumnia rejecta. 288. ſeqq. Hominum numerus fuerit ne copioſior olim, quam nunc? 311.
Illiberitanus Canon explicatus. 215. Judaicus Fiſcus numquam a Chriſtianis per ethnicos Cæſares exactus. 52. ſeqq.
Kingius, Witringa, Burnetius, Moylius, a Mamachio V. Cl. oppugnati. 16. 43. 107. 232.
Lampadum & cereorum in antiquis conventibus fidelium uſus. 216. Lapides ac inſcriptiones veterum Chriſtianorum ſepulchrales cur Romæ, & in agro Romano frequens inveniantur, ſecus alibi? 359. Lapidum ac inſcriptionum ejuſmodi multis in regionibus inopia, an idoneum paucitatis Chriſtianorum argumentum? 358. ſeqq. Lex Papia contra cœlibatum nullo fuit propagationi Chriſtiani nominis obſtaculo. 314. Libellatici

quinam? 103. *Libellorum millia quotidie data a Martyribus & Confeſſoribus.* 128. *Licinius, Maxentius, & Julianus, ob Chriſtianorum multitudinem, ſimulavere profeſſionem Chriſtianæ Religionis.* 32. *ſeqq.*
Maſſuetus, Renatus, correctus. 176. *ſeqq. Media quibus Credentium numerus immenſum auctus & amplificatus eſt.* 278. *ſeqq. Milites Romani prope omnes, Conſtantini ac Juliani tempore, Chriſtiani.* 32. *ſeqq.* 108. 174. *Moabitæ, & Ammonitæ maximo numero fideles.* 138. *Monachorum veterum copia immenſa.* 182. *Montaniſtæ aliquando a Catholicis minime ſeiuncti.* 75. *ſeq.* 225.
Nobiliſſima Chriſtianorum multitudo apud Perſas. 283. 317. *ſeq. apud Arabes.* 318. *Notæ arcanæ, ſymbola, & ænigmata aliquando a fidelibus uſurpata, quibus dum ſe invicem notos facerent, adhuc ſe ſe ethnicis celarent.* 93. *ſeqq.*
Occaſiones quibus Chriſtiana fides aliquibus in locis propagata eſt. 278. *ſeqq. Opes ac divitiæ veterum Eccleſiarum.* 240. *ſeqq. Oratoria privata etiam ceſſatis perſequutionibus fideles frequentabant.* 261. *Origines obſcuræ incertæque prope omnium Eccleſiarum idoneum haud ſunt paucitatis primorum fidelium fundamentum.* 367. *ſeqq. Orthodoxorum cœtus Magna Eccleſia ab Ethnicis etiam dictus.* 86.
Parœciarum origo antiquiſſima 196. *ſeqq. Pauperes Eccleſiæ quinam?* 243. *Ex eorum numero non recte quantitas ceterorum fidelium computatur.* 233. *Peræquatores an ante Conſtantinum?* 218. *ſeq. Petavius, V. Cl. dictum Juliani Cæſaris non videtur aſſequutus.* 85. *Plures ætate Tertulliani erant fideles unius Provinciæ, quam exercitus omnes Romanorum.* 20. *ſeq.*
Quandonam revera cœpta eſt ingens Chriſtianorum multitudo 64. *ſeqq. Quomodo verum ſit, multas civitates, poſt Conſtantinum modo, Chriſtianas factas.* 338. *ſeqq.*
Ratio agendi veterum Gentilium multitudinem noſtrorum hominum confirmat. 42. *Rigaltius emendatus.* 103. *Romæ, ætate Cornelii Pontificis, quadraginta ſex erant fidelium*

Digitized by Google

conventus. 143. *ſeqq. Romæ, ac in præcipuis Romani Imperii urbibus, tum adhuc reliqua erat idololatria, quum jam ſuerat in univerſo Romano Imperio fere penitus exſtincta.* 343. *ſeq.*

Summa Chriſtianorum diviſio olim in Catechumenos, & Baptizatos. 347. *Synaxes in cœmeteriis & cryptis Chriſtiani nunquam habuere.* 150. *ſeqq.*

Templa & ſimulacra Numinum cur quarto ſeculo adhuc in nonnullis urbibus erecta? 344. *ſeqq. Templa Gentilium in Eccleſias communiter verſa non fuere.* 247. *ſeq. Templorum apud Chriſtianos veterum anguſtia trahi in argumentum non poteſt paucitatis fidelium.* 260. *ſeqq. Ad ea pacis etiam tempore convenire ſoliti non erant omni die Dominico cuncti fideles.* 264. *ſeq. Sed conventus habebant ſacros privatis adhuc in domibus, in hortis, balneis, thermis, agreſtibus in locis, in vinetis, ad ſepulchra Martyrum, ad Monaſteria.* 303. *ſeqq. Tituli urbis Romæ, initio, quinam?* 135. *ſeqq. Thomaſinus, Ludovicus, refutatus.* 138. *ſeqq.*

Valeſius, Henricus, notatus. 141. *Emendatus* 194. *Veterum matrimonia, polygamia, concubinatus, divortia, repudia, vix aliquo fuere propagationi Chriſtiani nominis impedimento.* 123. *ſeq.* 314. *ſeqq. Verſiones Evangeliorum antiquiſſimæ.* 327. *ſeq. Eædem non ſtatim factæ, idoneum ne forent ad negandam ingentem copiam antiquorum fidelium momentum?* 325. *ſeqq. Voltærius correctus.* 105. 111.

Zoſimus rejectus. 340. *ſeq.*

NOS FR. JOHANNES THOMAS

DE BOXADORS,

S. Theologiæ Profeſſor, ac univerſi Ord. FF. Prædic. humilis Magiſter Generalis, & Servus.

HArum ſerie, noſtrique authoritate officii, licentiam concedimus, quantum in nobis eſt, R. A. P. M. F. Caſto Innocenti Anſaldi Provinciæ noſtræ Lombardiæ, in Regia Taurinenſi Academia S. Theologiæ Profeſſori, typis edendi Diſſertationem a ſe elaboratam, *de Maximo Chriſtianorum numero &c.* dummodo a duobus Ordinis noſtri Theologiæ Profeſſoribus probetur, & ſerventur cetera, quæ ſunt de jure ſervanda. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Dat. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſupra Minervam die 13. Octobris an. 1764.

FR. JOHANNES THOMAS
DE BOXADORS
Magiſter Ordinis.

Reg. pag. 103.

Fr. Dominicus Vincentius Maria Bertucci Mag. Provincialis Daciæ, & Socius.

JUſſi a Reverendiſſimo Patre, Fratre Johanne Thoma de Boxadors, Magiſtro Generali totius noſtri Ordinis Prædicatorum, legimus diligentiſſime R. A. P. M. F. Caſti Innocentis Anſaldi Librum, qui *Maxima multitudo eorum, qui prioribus ſeculis Chriſtianam Religionem profeſſi ſunt &c. oſtenſa, & vindicata*, inſcribitur. Legendo autem ſic reperimus: tam longe Cl. Auctorem a re quavis in eo aut ſtatuenda, aut probanda abfuiſſe, quæ ab Orthodoxæ Religionis decretis, rectave morum inſtitutione, aliena eſſe videretur, ut idem contra Clarkſonum multa, deprimendæ Epiſcoporum dignitatis cauſſa, de paucitate Chriſtianorum primorum temporum turbantem atque jactantem, non modo vicerit auctoritate Maiorum, ſed etiam expugnarit. Itaque cenſemus Librum eumdem, ſi publicetur, populo Chriſtiano maximæ utilitati, & commodo futurum.

Dabamus Romæ in Ædibus S. Mariæ ſuper Minervam Idibus Decembris anni 1764.

F. Thomas Maria Mamachius Ord. Præd.
S. T. M. & Theologus Caſanatenſis.

F. Hyacinthus Maria Bonfilius Ord. Præd.
S. T. M. & Cathedraticus Caſanatenſis.

IMPRIMATUR.

F. Johannes Dominicus Piſelli Ord. Prædic. S. T. M. Vicarius Generalis S. Officii Taurini.

V. Cavalli Colleg. Theol. Præſes.

V. Se ne permette la Stampa

GALLI per la Gran Cancelleria.

Digitized by Google

05653301

Google